COMMENTARIUS IN PESTERIOREM D. PAUILI APOSTOLI, AD TIMOTHEUM EPISTOLAM; IN...

Peter Stevart

BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
39MC
49

COMMENTARIVS IN POSTERIOREM D. PAVLI APOSTOLI, AD TIMOTHEVM EPISTOLAM;

IN QVO NON MODO APOSTOLI SENSV FIDELITER EXPLANATO, plurimi Sectariorum nostri temporis errores fraudesq; deteguntur; sed & non parum multa, quæ ad Pastorum Ecclesiæ munia pertinent, continentur.

AVCTORE

D. PETRO STEVARTIO LEODIO, PROTON. APOST. SS. LITERARVM IN ACADEMIA INGOLSTADIENSI PROFESSORE, Procancellario, Pastore ibidem Mauriciano, Canonico Leodiensi, & ad SS. Apostolos Coloniæ Præposito, &c.

Cum duplici Scripturarum scilicet, & rerum indice.

AD REV.mum ET ILL.mum PRINCIPEM AC DOMINVM, D. IOANNEM CONRADVM Episcopum Eystettensem, &c.

Cum gratia & priuilegio sacræ Cæsar. Maiest.

INGOLSTADII,
Excudebat ANDREAS ANGERMARIVS.
Anno Domini M. DC. XII.

SVblimis lituum ſtringit manus: áltera candet,
Altera pupureo pars clypei igne rubet.
Noſce boni curam vigilem paſtoris: itemq́ue
Innocuum, & ſacro pectus amore, flagrans.

Cæruleis clypeus ſpatiis ſulcatur & auro,
Quæq́ue aurata ſuprà cornua caſſis habet.
Hæc GEMMINGERÆ ſunt inclyta ſtemmata gentis,
Nobilium priſcis ducta abauorum atauis.
Cærulus eſt æther; aſtra aurea: ſignat vtrumq́ue
Plebe procul natos, non niſi ad alta viros.
Talibus illuſtris ſtirps eſt ea, MARTE, TOGAQVE,
Fœcunda HÆROVM, PONTIFICVMQVE parens.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO JOANNI CONRADO, EPISCOPO EYSTETTENSI, CATHOLICÆ AC CEleberrimæ Ingolſtadienſis Academiæ Cancellario perpetuo, &c. Domino & Principi ſuo colendiſſimo.

PETRVS STEVARTIVS LEODIVS.

Liber ille, quem B. Ioannes *foris & intus ſcriptum, ſeptemq; ſigillis ſignatum* vidit, *Apocal. 5.* R.^me & Ill.^me Princeps, argumento eſt, ſacram Scripturam adeò multis difficultatibus inuolutam, vt his reſerandis, *Dauidis*, hoc eſt, ſcientiæ opus ſit *claue*, de qua Phariſæis loquens Dominus: *Væ vobis*, ait, *Legiſperi-* *Luc. 11.*

 tis,

tis, quia tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & qui introibant, prohibuistis. Vnde (quod scripsit Apostolorum Princeps) colligitur, Scripturam sacram nō esse proprio spiritu interpretādam, siquidem eius clauem, & (quod inde sequitur) notitiam sibi Deus ter Max: vindicet. Cui enim vult, eam aperit, & cui vult, claudit; nec cui is aperit, quispiam claudere, neq; cum clauserit, aperire aliquis potest. *Cum* enim *lex spiritualis sit*, ait Hieronymus, *reuelatione opus habet vt intelligatur, ac reuelata facie Dei gloriam contemplemur.* Ad eam rem, mox Eunuchi subiungit exemplū dictus Hieronymus, *in quo nō defuit aut studium & diligentia, aut ardor & desiderium cognoscendi Scripturæ sensa; & tamen cum librum teneret, & verba Domini cogitatione conciperet, lingua volueret, labiis personaret, ignorabat eū quem in libro nesciens venerabatur. Venit Philippus, ostendit ei Iesum, qui clausus latebat in litera, &c.* Hæc Hieronymus, qui in Scripturis legendis

2. Petr. 1.

Hieron. epist. ad Paulin.

Actor. 8.

dis opus esse aliquo qui aperiat nobis sensum, tum nostrum intrinsecus, tum Scripturarum extrinsecus affirmat. Scripturæ namq; liber diuinus & sacer est, qui non nisi diuino quodam spiritu accepto, potest intelligi. Hic autem spiritus, in Ecclesia vera & in corpore Christi mystico duntaxat habetur; cum spiritus subministratio, in membra Christo capiti vnita & inter se inuicem compacta fiat. Quid, quod Apostoli toto triennio Christi docentis & prædicantis auditores discipulique fuerant, qui tamen in scripturis, de Lege, de Prophetis, de Psalmis tādiu peregrini manserunt, donec Christus *illis aperuit sensum*, vt eas intelligerent. Eandem obscuritatē insinuans Dominus: *Scrutamini*, inquit, *scripturas*. Scrutari enim dicimur, quod nostræ mentis oculos fugiens, valdè absconditum & altè defossum latet. Ex quo satis hodiernorum Sectariorum vesania conuincitur, aientium Scripturam sacrā non modò sui ipsius optimum esse inter-

Luc. 24.

Ioan. 5.

pretem, sed ita facilem & perspicuam, vt nec Doctore indigeat nec explanatore habeat opus; cum tamen ita passim dicatur obsignatus Scripturæ liber, vt nullus siue in cœlo, siue in terra inueniatur idoneus, qui possit eum aperire, præter *Agnũ Dei, qui tollit peccata mundi.* Rem secus habere non ignorans Regius vates (cui tamen *incerta & occulta sapientiæ* diuinæ erant *manifesta*) à Deo sibi *intellectum dari, oculos* suos *reuelari, faciem illuminari* supplex petebat, vt ipsius *legem scrutari, iustificationes considerare, in iudiciis* eiusdem *meditari* posset, quæ Scripturis diuinis continentur. Quæ verba expendens D. Hieronymus: *Si tantus*, inquit, *Propheta tenebras ignorantiæ confitetur; qua nos putas paruulos ac penè lactentes inscitiæ nocte circundari?* Nec mirum est Scripturæ intelligentiam omnibus non esse obuiam, cum diuino consilio factum sit, vt multis difficultatibus implicata diuulgaretur; tum ne infideles altissima fidei nostræ mysteria

Ioan. 1.

Psal. 50.

Psal. 118.

Hieron. cit. epist. ad Paulin.

ſteria, quæ non intelliguntur, ſugillarent; tum vt ad eius imbibendam veritatem diligentiùs prouocaremur; cum ea curioſiùs inueſtigari ſoleant, quæ ſunt obſcuriùs ſcripta. Quocirca, ſi verum eſt (quod narrat Clemens Alexandrinus) Ægyptios in valuis templorum ſphynges collocare conſueuiſſe, in ſymbolum obſcuritatis, vt docerent diuina non paſſim euulganda, & (quod refert Plutarchus,) Pythagoram varijs ſymbolis Philoſophiæ arcana & moralia dogmata contexiſſe; quid mirum, ſi diuina conſilia ſacris literis obſcurè fuerint inuoluta, ne perditorum hominum malitia tenebris errorum obfuſcarentur? Et ne perſequi ſingula velle videar, cum in Epiſtolis Pauli quædam *difficilia intellectu* reperiri dicat Apoſtolorum princeps, quæ *indocti & inſtabiles deprauant*; quæ iſthæc veſania eſt, planè contrarium aſſerere? Si *ſpem ſuam in mendacio non ponerent* Hæretici, ipſis B. Paulum legentibus mille difficultates occurrerent, apud quem, tot

Clemens, lib. 5. Strom.

Plutarch. lib. de inſtit. puer.

2. Pet. 3.

Eſai. 28.

& tan-

& tāta reperire est hyperbata & Anantapodota, vt vix sensum colligas; præterq̃ quod sit sępenumero difficillimū animaduertere, quæ quibus in ipsis epistolis cohæreāt, vel quando aliam materiam inchoët, vel priorem finiat; ita sensim ac veluti furtim ex alia in aliam materiam transiens serpit, vt sine labore, quid velit, non comprehēdas, quemadmodum testatum facit B. Augustinus, qui eam ob causam, in obscuro loco, quomodo sit distinguendum, quomodo pronuntiandum, consulendam esse fidei regulam, monet, quæ de Scripturarum planioribus locis & Ecclesiæ authoritate percipitur. Verum, fidei regulam cū ignorent Sectarij, & in ea firmiter fundati non sint, sed *omni vento doctrinæ circunferantur*, ideò errant, nec rectam fidem habent, quam ante omnia necessariam esse tradunt Scripturæ. Esaias enim dicit: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Ex quibus verbis, sic contra Manichæos Hæreticos ratiocinatur Augustinus: *Sed vos ista non*

August. lib. 3. de doctr. Christ. cap. 2 & 3. & serm. 5. de Verb. Apost.

Eph. 4.

Esa. 7.

August. lib. contra Faustum Manichæ. cap. 2.

non intelligitis, quia, sicut Propheta dixit: Nisi credideritis, non intelligetis. Nō enim estis eruditi in regno cœlorum, id est, in Ecclesia Christi vera Catholica. Hæc ille: Vbi obiter aliam Scripturam insinuat, quę docet fidem rectam ad intelligendas Scripturas necessariò prærequiri, dicente Christo: *Omnis scriba in regno cœlorū, similis est Patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera.* Matth. 13. Neq; enim satis est quomodocumq; doctum esse, sed in regno cœlorum, hoc est in Ecclesia Catholica. Eam ob causam cordatis hominibus in mentē venire debet, Epistolas Pauli non vel Ethnicorum sapientibus seu Philosophis, vel Sectarijs & infidelibus, sed fidelibus dūtaxat esse scriptas, non quidem immediatè singulis, sed singulorum magistris & Doctoribus, quos dedit Dominus *ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.* Eph. 4. Quare quod Aristot in epist. ad Alexand. de suis Acroamaticis Alexandro respondit Aristoteles, hodiernis Sectarijs elegan-

 ter

ter dici posset; Epistolas Pauli editas esse, & non editas, intelligi enim ab ijs solum posse, qui ipsum per legitimos Ecclesiæ pastores & Doctores audiuissent.

Tametsi verò, Dei verbum vel minimus apex Scripturę, sinapis grano comparetur, quod omnium seminum sit minimum, mente tamen ritè susceptum ita iuuante Deo, & veritatis afflante spiritu, in Ecclesia excultum ea cogitationum magnitudine (sic loquitur Nyssenus) dilatari, ramorumq; loco præceptis & institutis expandi, propositoque pietatis fine, sic efferri in sublime potis est, vt excelsæ altæq; mentes veniant, & habitent in ramis eius. Ad eam rem plurimum profuerit, sanctorum Patrum libris, doctrinæ folijs lucubrationes nostras inserere, vt illorum virtute & humore coalescant, atq; veluti ipsorum rami non sine ingenti vtilitate, neq; sine laboris nostri proprio quodam fructu succoque efficiantur. Tum fiet, vt quæ ab illis accepimus, seminis vice nobis sint, vnde fœtum

tum concipiamus, qui labore, meditatione, industriâ coalescens, in lucem feliciter prodeat. Quod ipsum à sapiente requisiuit Sapiens, cùm iussit, vt *sapientiam omnium antiquorum exquireret, in Prophetis vacaret, & virorum nominatorum narrationem conseruaret.* Neq; enim repletionem desiderant ingenia, sed accendi volunt, ceu materia; quo vis inueniendi simul cum appetentia veritatis incitetur. Quid, quod & Philosophorum Poëtarumq; sapientia huic rei, ex SS. Patrum sententia, ancillari plurimum possit; quia authore Theodoreto, *inter spinas flos est aliquis quē legamus, & in amaris & austeris herbulis suauitas, cui insidamus, & apum more dulcedinem hauriamus.* In quam sententiam de sapiente dictum est, quod *in terram alienigenarum Gentium pertransiet: bona enim & mala in omnibus tentabit.* Hanc ipsam rationem & conuenientiam in elucidandis Pauli epistolis sum semper imitatus; vtriusq; Testamenti videlicet consen-

Eccl. 39.

August. lib. 2. de doctr. Christ. cap. 4. & lib. 8. de Ciuit. Dei, cap. 11.

Origenes, homil. 2. in Exod. & alij.

Theod. lib. 10. de cur. Graec. affect.

Eccl. 39.

fioni & fententiæ eius mentem non minus accommodando, quam Ecclefiæ, SS. Patrum, facrorumq́; & profanorum fcriptorum fententias adhibendo, quibus elucidari poffe eiufdem fcripta exiftimarem.

Veftræ porrò Celf. cur has potiffimum meas Commentationes dicandas cenfuerim, nec omninò mihi tacendum eft, nec facilè tamen, prout vellem, & res ipfa defiderat, poffum explicare. De Celf. V. tum egregijs virtutibus, tum ingenij præftantia, tum eximia naturæ ipfius ad optima quæq; propenfiffimæ bonitate nihil dicã, licet multa & præclara verè dici poffent. Humanas enim laudes, hoc eft, gloriã & famam ab ijs non ignoro contemni, qui virtutis & fapientiæ lucem, non vmbram fequuntur. Gratia tamen & beneuolẽtia, quib⁹ me Celf. V. (provt pleriq; norunt) tãta dignatur, vt de me bene merendi nullã occafionem præterfluere finat, me non omninò filere patiuntur. Quidni etenim publi-

publicare liceat, quæ ad non dubiam Reipub. vtilitatem à Celſ. V. ſapienter deſignari ſæpe coràm video, quæ vt inſigni eſt eruditione, ita ad generis nobilitatem, eâ vitæ modeſtiâ Pontificiam dignitatem Princeps exornat, quæ conſummatam in Eccleſiaſtica diſciplina ſapientis Epiſcopi laudem continent; adeo vt virtuſne an doctrina in eadem Celſ. V. præponderet, non facile ſit iudicium facere. Si Paulus ab eo Præſule Eccleſiam Dei ritè gubernari putabat, *qui bene domui ſuæ præfuiſſet*, eadem prorſus de Celſ. V. futura eſt eorum ſententia, qui eandem Celſ. V. ea opera & monumenta quotidie moliri intuentur, quorum intuitu, Eyſtettenſis ciuitas miris longe lateque laudibus hodie celebratur, cuius fama vix olim abditæ vallis Almonianæ ſuperans anguſtias, vel ipſos vicinos latebat. Et ne ſingula perſequi curioſius videar, aureæ & argenteæ ſuppellectilis illius opes, tam ſacris quam prophanis vſibus deputatæ, quemadmodum inſi-

1. Timoth. 3.

gnem prouentus Epiſcopalis auctum incrementumque commendant, ita indefeſſum Celſ. V. laborem & incredibilem vigilantiam faciũt apud eos teſtatam, qui præſentem Diœceſeos Eyſtettenſis ſtatum cum præterito comparare poſſunt. Inter has, ſummæ apud omnes admirationis eſt illa Hierotheca, quam Venerandæ Synaxi tanto ſumptu tantoq́; artificio & elegantia concinnatam, ſuoque ipſius ingenio excogitatam nuperrimè præparauit, vt vehementer dubitem, habeatne Europa ſi-

Apocal. 21. mile *tabernaculum, in quo Deus cum hominibus habitet*. Vnde factum eſſe mihi perſuadeo, quod poſtquam Celſ. V. *locum*

Pſalm. 131. *Domino* tam nobilem & *tabernaculum* tam excellens *Deo Iacob adinuenit*, ex voto cuncta ditioni Eyſtettenſi euenerint.

2. Reg. 6. Sicut enim, referẽte Scriptura, *Obed-edom, & omnia eius, propter arcam Dei benedixit* olim Dominus: ita turribus Eyſtadianis rerum omnium abundantiam & pacem peperiſſe SS. Synaxi exſtructum domici-

lium

lium existimo, quod non pereuntem, sed æternum cibum ad immortalitatem custodit. Quidni etenim eo loci pax & securitas vigeat, vbi concordiæ & vnionis Sacramento tantus honor, tantaque veneratio exhibetur? Sane, cùm proximus paries arderet, & gliscentis belli flamma ante biennium Eystadiensia confinia allamberet, Deo in hoc Sacramento Cels. V. consilia salutaria dirigente, ea securitate ditio Eystadiana gaudere visa est, vt *vnusquisque sub vite sua, & sub ficu sua* tranquillè, licet non sine metu, *habitaret*: 3.Reg.4. Quid quod magnæ molis volumen illud, quod iam prælum parturit, quodque incomparabiles celeberrimi horti Eystettensis diuitias insigni plantarum, florum & fructuum varietate constantes, viuis imaginibus & figuris incisas exprimit; mirum Cels. V. laborem & industriam toti orbi patefaciat? Quis enim non miretur, Eystettense solum, Naturâ nouercante saxosum, sterile, frigidum, ingenio humano sic paruo temporis

poris ſpatio manſueſcere potuiſſe, vt & ſtirpes, & flores eiuſmodi hodie proferat, quos Germania longè lateq́ue diffuſa non antea viderat. Vnde multos Principes & magnæ authoritatis viros iuſtâ locorum intercapedine diſſitos videre eſt, Eyſtadio; tanquam ex cornucopia rerum botanicarum inuſitatarum, copiam petere. Quod ſi ingentem VVilibaldini Caſtri (in quo potiſſima huius Commentarij pars concinnata eſt) ſtructuram, quam ad domeſticos vſus, neceſſitas à Celſ. V. nuper extorſit, commemorem, & magnum illud pietatis opus deſcribam; quod ſacro Dominitatis opus deſcribam; quod ſacro Domini ſepulchro parat, ruinam minante SS. Crucis antiquiſſimo templo, profectò hæc breuis Epiſtola vix dignum cogitationum & operum Celſ. V. capiet encomium.

Cum igitur quadrageſimus iam decurrat annus, quod primas meas lucubrationes Opt. Principi, Epiſcopo itidem Eyſtetenſi D. Martino, Ceſ. V. prædeceſſori nuncupauerim, hos vltimos meos labores, tā-

quam

quam ſingularis erga Celſ. V. amoris & beneuolentiæ teſtes perpetuos atque obſides ad Celſ. V. mittendos putaui, quod non minori beneuolentiâ quàm fauore, me licet immerentem, proſequi pergat.

Accipe ergo Princeps Opt. hoc meum poſtremum munuſculum tuis non alienum ſtudiis, nec tuæ indecens eruditioni; quod equidem vel eo nomine non ingratum ſpero futurum, quod ex variis doctiſſimiſque diuinarum rerum Commentationibus ac diſciplinis eſt concinnatum. Deus Opt. Max. V. Celſ. diu ſuæ Ecclesiæ eiuſque ſubditis ſaluam conſeruet. Ex curiâ paræciali Maurícianâ, Ingolſtadij, ipſo S. VVilibaldi die, primi Eyſtettenſis Epiſcopi, VII. Iulij, Reparatæ ſalutis Anno M.DC.XII.

CARMEN

VIRI CLARISSIMI, DOMINI PHILIPPI MENZELII, P.L. PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORIS, EIVSDEMQVE IN ACADEMIA INGOLSTADIENSI PROFESSORIS,

huius D. Pauli epistolæ, Argumentum breuiter complectens.

ET meritò meminisse iuuat benè temporis acti:
Et, cuius tetrica frons asperitate rigebat,
Finiti superant mollissima terga laboris.
Idcircò haud dubitas, Cilicum decus, optime PAVLE,
Tu quoque, veridicus præco, interpresque tonantis,
Percurrendo Asiam, ceu sol clarissimus, omnem,
Chri-

Christiadûm satagens rerum, sitiensq́ salutis;
Omni ex parte obitos tibi, tot memorare labo-
res:
Carceris inprimis noctes non vnius atras:
Verbera sæua modum suprà: discrimina vitæ
Mille: quater denas, vna minus, Isacidarum
A populo acceptas quintùm (miserabile) plagas:
Terq́ vt sanguineis concisus terga flagellis:
Et lapidum duro semel obrutus imbre: ter idem
Naufragus: inq́ maris noctemque, diemq́ pro-
fundo
Gurgite luctatus fueris. Iam longa viarum,
Huc, illuc tendentis iter, quis tædia nescit?
Tum quæ traiiciens tot flumina, totq́ latronũ
Expositus trucium telis, sexcenta subisti,
Impauidus, dia pro religione, pericla?
Quæq́ tui generis circùm te dira stetêre,
Atq́ odia, atq́ iræ flagrantes: quæq́ profanas
Per gentes, numero vix comprēdendã, tulisti;
Intrà vrbes, medioq́ foro vexatus, & extrà,
Desertisq́ locis: & per maria aspera: & inter
Versatus simulatores, fratresq́ bilingues:
Fractus, & erumnis, miseriq́ laboribus aui;
Atq́ vigil multùm, & stimulante fameque,
sitiq́

 Frau-

Fraudati genio passus ieiunia ventris;
Frigoribusq; rigens, & nudus, & omnium egenus.

Ergò bono de certato certamine gaudes
Victor ouans: a quoq; tibi sub iudice plexam
Iustitiæ æternam spe præcipis ipse coronam.

Præterea, Lethi quum mens præsaga propinqui
Esset, & infandi rabiem, furiasq; Neronis
Prospiceres animo, caput, (vt tua viscera) charum
TIMOTHEVM, fidꝰ præiens dux, atq; magister,
Fatidico ritu, & cycnæa voce canorus,
Multa cauenda mones prudens, sectandaque multa.
Præcipuè, vt nitens tua per vestigia, mundi
Magnanimus contemptor eat; sanæq; talentũ
Doctrinæ vigili cura dispenset, apud se
Depositum, casus patiens, ac fortis in omnes.

His animaduersis, veterum qui scita parentum
Rescindunt, mutantq; nouis, Cyprioq; Ophyraum
Aëre aurum (miseros sic fascinat error) eant nunc,

Atq;

Atque Fidem, nullis operum comitantibus, vnam
Vsque crepent: & Adamigenas hanc protinus vnam,
Vociferentur item, facere, ac seruare beatos:
Æternæque fores vitæ reserare, polumque.
PAVLE, sacris bissex procerum pars magna senatus,
Per mare, per terras CHRISTVM *pleno ore sonantum,*
Longiùs abductis à veri calle, precatu,
Exemploque tuo, fer opem miseratus: & esse,
Condiscant, (facito) quòd Seruatoris IESV
Sanguine se pascens, & atroci viuida morte,
Haud nihil eualeat virtus humana mereri.
In rectã redeant, quos tã procul abstulit error,
Te monstrante, viam: tum quæ caliginis atræ
Obtentu, visus aciemque, & lumina opacant,
Abscedant oculis quam, quales tibi tacto
De cœlo, lucem ceciderunt antè receptam.
Idque velis summum, pater, exorare tonantem.

DEO OPT. LAVS.



APPROBATIO.

Cum negari non possit præclarè de Ecclesia eos mereri, qui sacras literas interpretantur, iure optimo prædicandus est labor admodum Reuerendi & Magnifici Domini Doctoris PETRI STEVARTII qui post plerasque Epistolas Sancti Pauli commentarijs illustratas, alteram quoque ad Timotheum, suæ diligentiæ noluit esse expertem; quam quidem lucubrationem typis & luce perq̃ dignam iudico, vtpote nihil vel orthodoxæ fidei, vel bonis moribus repugnans, complectentem; ex cuius lectione non modò sacræ scripturæ explanatores, sed & verbi diuini concionatores multum emolumenti capient.

IACOBVS GRETSERVS Societatis IESV SS. Theologiæ Doctor & Professor in Academia Ingolstadiensi.

ARGV-

ARGVMENTVM
POSTERIORIS D. PAVLI AD TIMOTHEVM EPISTOLAE.



ANno Christi 70. Neronis verò 14. aut circiter, Paulus secũdo in vinculis Romæ positus, hanc secundam epistolam per Tychicum Diaconũ, ad Timotheum misit. Cuius idem ferè est scopus, qui & prioris ad eundem Tim. datæ, nempe vt qui præpositi sunt Ecclesiæ aliosq́; docendi suscepêre prouinciam, & eruditione sint eximij, & in fide constantes, & vitæ probitate clari. Ideò pater à filio Timotheo peramãter petit, vt assidua muneris sui functione, sic fidei Christianæ œconomiam vita & doctrina exornet, ne malis & incommodis Euangelicæ prædicationis causa, sibi paulò post imminentibus, se frangi patiatur. Duri namq́; laboris susceptam æquo animo pro Christi nomine molestiam, immarcessibilem gloriæ coronã suo tempore, certo certius subsecuturam. Familiare etenim est Paulo suos proprios labores, ærumnas & persecutiones Christi gratia toleratas, alijs singulari artificio recensere, vt his ijsdem tyrones & discipulos suos ad sui imitationẽ & sequelam prouocatos cohortetur. Hoc enim habent calamitates & omnia mala, vt ea vix leuiter intellecta æstimentur, frigidè etiam aut languidè explicẽtur, si prius ea perpessus aliquis nõ fuerit, quam prædicationis munus adeat. Bene etenim patiens diuini verbi præco esse debet, qui vtiliter

Euseb. lib. 2. Eccles. hist. Chrysost. in proœm epist. Pauli. Hieron. de scriptor. Eccles. in Paulo. Theodor. in præf. in Paul. Ambrosius hic & communis Doct. ac Interp. sententia.

Psal. 91

ter

ter volet annuntiare. Certè ante omnia exuritur labijs Esaias, vt non frigidè, sed ardenter prædicet; & parturiens loquitur Galatis Apostolus, quasi doloribus & ærumnis toleratis adigatur ad clamandum & ardenti spiritu prædicandum Euangelium: Et hi qui verbi diuini prædicationi erant destinandi, audiũt: Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Paulus igitur Timotheum hac posteriore Epistola non solum sui muneris admonitum ad patientiam in aduersis fidei Christianæ causa sustinendis animaturus, ideò se in exemplũ adducit, vt ducem suũ inuictus miles per omnia tum sequi, tum imitari velit, cùm iuxta sapientis sententiam, per patientiam nascatur viri doctrina, ea nempe, quam nuspiam in Philosophorum scriptis reperias. Nemo enim nescit, quod sicut salutari Pauli doctrinâ, cruces & calamitates probantur; ita etiam malorum patientia & longanimitas inter bona enumerentur; cum potius cæteri profani authores, à cruce ad temporales delicias & voluptates inuitent; Peripateticis corporis mala omnia horrentibus, Stoicis verò miseris sibi aut laqueo aut præcipitio aut generis alicuius mortealia, consulere præcipientibus. Posteaquam verò Ducis instar ad stabilem contra instantes calamitates constantiam militis animum præmonuit & præmunijt, vt ad se amicorum solatio destitutum, cum Marco Romam proficiscatur eundem inuitat: Depositis interim de transfugarũ quorundam & à se, & ab ipsa fide defectione quærelis, quorundam bonorum in se vinctum liberalitatem & hospitalitatem commendat & deprædicat.

Esa 5.

Galat. 4.

Matth. 10.

Prouerb. 19.

(o)

De

EPISTOLA D. PAVLI AD TIMOTHEVM SECVNDA.

Caput Primum.

PAVLVS Apoſtolus IESV Chriſti, 1.
* per voluntatem Dei, * ſecun- 2. 3.
dum promiſſionem vitæ quæ
eſt in Chriſto IESV: * Timo- 4.
theo chariſſimo filio, * gratia, miſericordia 5.
& pax, * à Deo patre, & Chriſto IESV Dño 6.
noſtro. * Gratias ago Deo, * cui ſeruio à 7. 8.
progenitoribꝰ * in cõſcientiâ purâ, * quod 9. 10.
ſine intermiſſione habeam tui memoriam
in orationibus meis, * nocte ac die deſide- 11.
rans te videre, memor lacrymarum tuarũ,
vt gaudio implear, * recordationem acci- 12.
piens eius fidei, quæ eſt in te nõ fictâ, * quæ 13.
& habitauit primùm in auiâ tuâ Löide,
& matre tuâ Eunice: * certus ſum autem 14.
quod & in te. * Propter quam cauſam ad 15.

16. moneo te, vt resuscites gratiam Dei, * quæ
est in te per impositionem manuum mea-
17. rum. * Non enim dedit nobis DEVS Spiri-
tum timoris; sed virtutis, & dilectionis, &
18. sobrietatis. * Noli itaque erubescere testi-
monium Dñi nostri, neq; me vinctũ eius:
19. * sed collabora Euangelio secundum vir-
20. tutem Dei, * qui nos liberauit, & vocauit
21. vocatione suâ sanctâ, * non secundum
opera nostra, sed secundum propositum
suum & gratiam, quæ data est nobis in
22. Christo IESV, ante tẽpora sæcularia. * Ma-
nifestata est autẽ nunc per illuminationẽ
23. Saluatoris nostri IESV Christi, * qui destru-
xit quidem mortem, illuminauit autem
vitam & incorruptionem per Euangeliũ,
24. * in quo positus sum ego prædicator, & A-
25. postolus, & magister Gentium. * Ob quã
causam etiam hæc patior: sed non confun-
26. dor. * Scio enim cui credidi, & certus sum,
quia potens est depositum meum seruare
27. in illum diem. * Formam habe sanorum
verborum, quæ à me audisti in fide & dile-
28. ctione in Christo IESV. * Bonum deposi-
tum

tum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis.
*Scis hoc, quod auersi sunt 29.
à me omnes qui in Asia sunt: ex quibus est
Phigellus & Hermogenes. *Det miseri- 30.
cordiam Dn̄s Onesiphori domui, *quia 31.
sæpe me refrigerauit, & catenam meam
non erubuit: sed cum Romam venisset,
solicitè me quæsiuit, & inuenit. *Det illi 32.
Dominus inuenire misericordiam à Dn̄o
in die illa. *Et quanta Ephesi mini- 33.
strauit, tu melius nosti.

COMMENTARIVS, JN POSTERIOREM D. PAVLI AD TIMOTHEVM EPISTOLAM.

CAPVT I.

1. *Paulus, Apostolus* IESV *Christi.*

FAmiliare est Paulo tria suis Epistolis præmittere. Primum enim, propriũ nomen suis titulis adornatum exprimit: deinde, salutis loco, bona quædam diuini ordinis imprecatur ijs, ad quos scribit; quos deniq; suis nominibus cõpellat. Vox *Apostolatus*, licet prima facie, propria noui Testamenti videatur, Iudæorum tamẽ Synagogæ non ignota fuit. Hoc enim Apostoli nomine, apud Iudæos appellatos fuisse eos testatur Epiphanius, hæres. 30. qui Pontificem consilio iuuantes, mittebantur ab eo ad Synagogas inspiciendas, & mores componendos atq; corrigendos. Sic enim quendam Iosephum, Iudæorum Apostolum fuisse, scribit citatus author: *Hic Iosephus*, (inquit) *inter dignitate præstantes viros, apud ipsos* (Iudæos) *connumeratus erat. Sunt enim hi post Patriarcham Apostoli appellati; aßident q; Patriarchæ, & cum ipso sæpe aßiduè in nocte ac die degunt consulendi gratia, & vt referant ad ipsum ea quæ sunt in lege*, &c. Eo etiam *Apostoli* nomine dictus

Apostolatus nomen apud Iudæos, quid.

Apostoli apud Græcos, qui?

est

est ille Græcorum magistratus, cui rei nauticæ cura demandabatur; quod cum noui Testaméti Apostolis plurimum consentit, quibus etiam nauis gubernanda committitur, Ecclesia videlicet, cuius typus Noëtica arca fuit, vt testatur Petrus, 1. suę Epist. cap. 3. & passim nauis dicitur, ipseq́; locus, in quem ad sacra conuenitur, nauis in morem cõstruitur, vt Clemens & Anacletus Rom. Pontif. in suis Epist. docuerunt.

Apostolatus hoc loco, & passim in nouo Testamento, non tantum magnæ dignitatis in Ecclesiâ; sed & summæ authoritatis nomen est, quod à Christo paucorum illorum Collegio est attributum, quos, vt ait Tertullianus, lib. de præscript. cap. 20. *ipse lateri suo adlegit*, id est, suos à Latere Legatos esse voluit. Non enim nunciandi, id est, Euangelij prædicandi duntaxat, sed etiam baptizandi, peccata remittendi, aliaq; multa faciendi potestatem acceperunt; quod proprium legatorum est. Eam enim authoritatem, quam à suo Patre Christus vt homo accepit, *duodecim quos* Luc. 6. *elegerat, discipulis suis*, ita communicauit Ioan. 20. vt eâ freti, ad credentium salutem, tanquam orbis terræ Doctores, & pacis inter Deum & homines factæ Prædicatores, ipsiusq́; Christi Vicarij, veritati testimonium perhiberent. Esse siquidem Apostolum, est id, quod à Deo patre filius naturalis & æternus Dei, homo factus acceperat, participare, eademq;(proportione quadam,) vti authoritate, quam filio cælestis pater tradidit. Sicut enim pater non merum annuntiatorem aut nudum prædicatorem; sed cum potestate spirituali, tanquam pastorem, in terras filium miserat; ita & Apostoli, non verbi duntaxat præcones, sed & rectores & gubernatores in

Apostolatus in nouo Testamẽto.

Quid sit esse Apostolum.

ſpiritualibus, & ijs omnib⁹, quæ ad ſalutem pertinẽt, miſſi ſunt à Chriſto; quemadmodum Act. 20. expreſſit Paulus, Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores alloquens: *Attendite*, inquit, *vobis & vniuerſo gregi, in quo Spiritus ſanctus vos poſuit regere Eccleſiam Dei.* Vnde Chryſoſtom. hom. 1. in cap. 1. Rom. *Apoſtoli*, inquit, *munus, res bonis infinitis exundans, gratijs omnibus maius, ac dona omnia complectens. Quid enim amplius dixerimus, quam id videlicet Chriſtum, quod nobiſcum dum verſaretur, feciſſet, hoc ipſum illis* (Apoſtolis) *commiſiſſe, ac ſic demum à nobis abijſſe?* &c. In his tamen ſimilitudo non æqualitas attendenda eſt, cùm Apoſtoli Chriſto & naturâ, & poteſtate, & officio longè inferiores, homines ſolum limitatam poteſtatem habentes eſſent, ſicut Vicarij non verò Domini, quemadmodum indicauit ipſe Dominus Ioan. 13. cum ait: *Non eſt ſeruus maior Domino ſuo, neq; Apoſtolus maior eo qui miſit eum.* Et Paulus 2. Cor. 5. Apoſtolorũ dignitatem extollens: *Pro Chriſto*, inquit, *legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos*, hoc eſt, Chriſti vice.

Apoſtolatus etymo, impiè abutitur Caluinus.

Quamobrem impudenter ſimul ac impiè *Apoſtoli* voce abutitur Caluinus, cum ex eius etymo probare nititur, nullam à Chriſto fuiſſe Apoſtolis conceſſam poteſtatem; ſed tales ab eo miſſos legatos aut nuncios, qui Domini mandata viua voce duntaxat tradita referrent. Multa enim de facto mandaſſe Apoſtolos, quæ non ex ore Chriſti, ſed dictante Spiritu ſancto, didicerant, inter alia, teſtantur Acta Apoſtolica cap. 15. vbi: *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*, inquiunt Apoſtoli, *non aliud vobis imponere*, id eſt, mandare, *quam hæc neceſſaria*, &c. Sic etiam Paulus 1. Corinth. 7. *Cæteris*, inquit, *ego dico, non Dominus; ſi*

Refutatur Caluinus.

quis

quis frater vxorem habet, &c. Postea de vidua dicit: *Beatior erit si sic permanserit, secundum meum consilium.* Hinc est, quod D. Augustin. lib. 3. hypogn. hanc Apostolorum potestatem plura præcipiendi, quam Christus viua voce mandauit, illam esse supererogationem Euangelicam exponat, quam in parabola stabularij docuit Saluator, Luc. 10. dicens: *Si quid supererogaueris, dum rediero reddam tibi. Si quid supra Euangelium meum*, inquit Augustinus, *tanquam misericordiam consecutus, vt esses fidelis, ad eius vtilitatem sapueris, dum rediero iudicaturus mundum, reddam.* Quod ipsum ex eadem parabola eleganter docuit Optatus Lib. 3. contra Parmen. Non ergo Apostoli missi duntaxat sunt, vt doceant viua voce, à Christo audita, & postea in scripturas relata, quemadmodum vult impius Caluinus; sed sunt missi, vt Spiritus sancti organa & amanuenses; sunt missi, vt doceant tanquã magistri orbis, *prout Spiritus dat illis eloqui*, Act. 1. sunt missi, vt prædicent verbum Dei, quod Spiritus sanctus illis suggerit, tanquam testes veritatis: sunt missi, vt præcepta & decreta constituant, tanquam præpositi Ecclesiarum, sicuti in Actis fecisse diximus; *Paulusq́, & Barnabas circuibant præcipientes custodire decreta Apostolorum & Seniorum:* Sunt missi, vt soluant & ligent peccata tanquam iudices: sunt deniq; Apostoli specialiter missi, vt vnusquisq; eorum cum plena potestate quocũq; terrarum loco verbum prædicaret, omnesq; potestatis Ecclesiasticæ partes plenissimè exerceret. Hinc illi specialiter à Christo vocantur *Lux mundi, Sal terræ*, Matth. 5. *amici* Christi, quia *omnia nota fecit* illis; *fundamenta* deniq; fidelium, iuxta illud Pauli Ephes. 2. cap. *Aedificati super fundamenta Apostolorum*

Apostoli, plura mandarunt, quam viua voce à Christo acceperunt.

Quamobrem missi Apostoli, diuersa ratione.

1. 2. 4. 5. 6.

lorum & Prophetarum. *Fundamenta autem sunt* (ait Augustinus Enar. in Psal. 86.) *quia earum authoritas portat infirmitatem nostram.*

Non ad solos 12. sed ad alios extenditur Apostoli nomen.

Et quamuis hoc *Apostoli* nomine, soli noti duodecim à Christo sint appellati Luc. 6. extenditur, tamen hoc nomen non tantum ad Matthiam in proditoris locum diuinâ authoritate subrogatum; sed & ad Paulum, Barnabam, Epaphroditum in scriptura; imo etiam septuaginta duo discipuli, qui *missi* dicuntur à Domino Luc. 10. Apostoli aliquādo nominantur apud veteres authores, Irenęum lib. 2. cap. 37. & Tertullianum lib. 4. contra Marcion. Dicuntur præterea Apostoli omnes Episcopi, vt docet Theodoret. 1. Timoth. 3. sicut & illi primi, qui Euangeliũ in aliquam regionem intulerunt, vel restituerunt, vt Bonifacius Germanorum, præsertim Frisonum, Rupertus Bauarorum, &c. Quin immò, & omnes qui Christum viderunt, ex eo putat D. Hieronymus appellatos Apostolos, quod 1. ad Corinth cap. 15. dicatur: *Visus est* (Christus post resurrectionem) *posthac illis vndecim, deinde visus est plusquam quinquentis fratribus simul a deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus.*

Episcopi omnes, Apostoli dici possunt.

Apostoli quinā dici possint.

Apostoli nomē, Paulo quodāmodo appropriatum.

Hoc autem *Apostoli* nomen Paulò est quodammodo appropriatum, ita vt cum absq; addito auditur nomen *Apostoli*, intelligant omnes Paulum, nō solum quia plura scripsit, & visus est alijs doctior: sed quia, (quod Apostoli proprium est) fidem pluribus in locis plantauit, *incipiens*, vt ipse Rom. 16. testatur, *ab Ierusalem per circuitum, vsq; ad Illyricum*, imò, vt ait Hieronymus, in cap. 5. Amos, *à mari rubro vsq; ad Oceanum per totum ferè orbem, deficiente prius eum terrâ, quam studio prædicandi; & plus omnibus laborauit.* 1. Cor. 15.

Eam

Cur Apostolatus titulum vsurpet Paulus.

Eam porro ob causam hunc *Apostolatus* titulum libenter vsurpat Paulus, quia, cum de ordinario numero duodecim Apostolorum non esset, ne aliquis illum vere & legitimè vocatum Apostolum fuisse negaret, (quemadmodum Pseudoprophetæ calumniabantur) idcirco frequenter eundem annectit. Est enim cuiusuis Ecclesiæ prælati, dignitatem & authoritatem suam asserere, quemadmodum ij Catholici scriptores testati sunt, quos dignitatis suæ titulos scriptis suis solitos præfigere referũt S. Ignatius Epist. 13. ad Heron. & Chrysostom. Hom. in Psal. 13. Omittit tamen aliquãdo hunc dignitatis titulum decoris obseruantissimus Paulus, cum videlicet, eo opus esse non putat; vtiturq; pro eo, vel humilitatis *(serui)* vel patientiæ *(vincti)* vocabulis. Sic in Epist. ad Philipp. eo omisso *seruum Dei* se vocat, quia Philippenses laudare cupiẽs, humilitate potius, quàm authoritate sibi opus esse putabat. Sic in Epist. ad Philem. *vinctum* se vocat, vt eo patientiæ nomine, facilius ad misericordiam Onesimo seruo fugitiuo præstandam, Philemonem prouocet, &c. Addidit autem in hac ad Timotheum sibi charissimum discipulum scripta Epistola, hunc authoritatis titulum; tum quia magnæ authoritatis Episcopo Timotheo; tum quia de rebus Ecclesiasticis præcepta præscribit, quæ non nisi cum summa authoritate fieri possunt.

Apostolatus titulum, cur aliquãdo omittat idem Paulus.

Cur se Paulus hoc loco Apostolum vocet,

Pauli & aliorum 12. Apostolatus discrimẽ.

Triplex autem discrimen inter Apostolatum
Pauli, & aliorum duodecim affert Abulẽsis in cap. 10.
Matth. q. 25. & alibi. Primum, quia hi à Deo, Christo 1.
mediãte, in terris sunt electi, ille immediatè de cælo,
Vocatus est enim ad Apostolatum Paulus, cũ Act. 9.
proficisceretur in Damascum, *non ab hominib⁹, aut per hominem, sed per Iesum Christũ & Deum patrem,* &c. Gal. 1.

Quare ſegregatio illa Act. 13. facta, ei non contulit Apoſtolatum, ſed fuit Dei quædam tantum externa deputatio, eiuſdem authoritate facta, vt maiore au-
2. thoritate apud alios ipſe prædicaret. Secundum, quia veluti ſeiunctus ab aliorum collegio. Quæ cauſa eſt, quod ſe Petrus in ſuis Epiſtolis abſq; addito *Apoſtolum* nominet; Paulus verò ſe *vocatum*, ſeu vocatione, ſiue *vocatiuum* appellet *Apoſtolum*; quod ipſe extra duodenarium illum Apoſtolorum numerum, ingeſſiſſe ſe, propriâue vſus authoritate videri nolebat.
3. Tertium, quia Iudææ, & certæ alicuius regionis finibus circumſcripti fuerunt cæteri Apoſtoli, cum nulli certæ prouinciæ fuerit deſtinatus Paulus. Hinc eſt, quod inter alias Chriſti apparitiones ſuam quoq; cõmemorans *Abortiuum* ſe vocet Apoſtolũ, 1. Cor. 15. *Nouiſſimè autem omnium*, inquit, *tanquam abortiuo viſus eſt & mihi*. Quæ cum *abortiuo* ſimilitudo, vel poteſt in eo conſtitui, quòd ſupra cõſtitutum à Chriſto numerum ſit aſcitus, eo videlicet modo, quo Suetonius in Octauio, vocauit *abortiuos* Senatores, qui per gratiam in Senatum allegebantur, præter ordinarios:

Paulus cur ſe abortiuum vocet.

Prima, cum abortiuo ſimilitudinis ratio.

2. Vel in eo fundari, quòd ſe *minimum Apoſtolorum* exiſtimet, qui non ſit dignus vocari Apoſtolus, inſtar illorum, qui ante conſtitutum à Natura tempus naſcun-
3. tur tenuiores & graciliores: Vel vt comparatio ex eo ſumatur, quod ſicut abortus eijcitur naturæ quædam violentia: ita Paulus ſuperna quadam numinis vi, quaſi coactus fuerit renaſci, nondum ipſo, ſua ſpõte, facilè & ſuauiter volente exire de cæco Synagogæ v-
4. tero, ad fidei & Euangelij lucem. Vel deniq; (vt eo loci indicauit Anſelmus) vt ea *abortiui* ſimilitudine, ſuam ipſius in conuerſione cæcitatem & luminis amiſſio-

missionem significaret. Quemadmodum enim qui non debito nascuntur tempore, semimortui & cæci nasci videntur: Ita & Paulus cũ Christo & Ecclesiæ Christianæ natus est, velut immaturus abortus eiectus est in terram exanimis, atq; semimortuus, cęcus, non videns lucem, licet luce de cælo copiosâ circumfusus esset. Act. 9. & 22. Quæ omnia, extraordinariã Pauli & ab alijs Apostolis dissimilem ad Apostolatum vocationem elegãter exprimũt. Cæteri enim Apostoli editi sunt in lucem tempore congruo, benignè cum eis agente cælo: Paulus natus asperiori cælo, & cum quadam illius temporis inclementiâ. Cæteri Apostoli, cum à Deo vocati sunt oculos aperuerunt, & accedentes ad Christum illuminati sunt: Paulus, dum vocatur, cæcus efficitur. Alijs Apostolis dictum est; *Venite post me:* At Paulus de viâ reuocatus, & ne pergeret, quo cæperat, equo deiectus est.

Paulus dissimili modo ab alijs ad apostolatũ vocatus.

Quamuis vero hęc Pauli extraordinaria vocatio è cælo facta, Iudæis Act. 9. & 22. Gentibus Galat. 1. fuerit inculcata: ea tamen ordinatione quadam ab Ecclesia debuit approbari, quemadmodum patet Act. 13. vbi Ecclesiæ simul congregatæ dicitur: *Segregate mihi Paulum & Barnabam ad opus, ad quod assumsi eos.* Et quia sic nondum Doctor, sed discipulus erat, quéadmodum notauit Chrysostom. in Act. Euangelium quod erat docturus cum alijs coapostolis suis cõferre debuit, ne *forte in vanum curreret aut cucurrisset.* Vnde virtutibus & signis ipsius Pauli extraordinaria vocatio 2. Corinth. 12. & 2. Thessalon. 3. commendatur. Ab hac vocatione longo interuallo dissentiunt, qui hodie Reformatores Ecclesiarum sese venditãt, cum tamẽ Antichristi pręcursores sint, qui viam Diabolo pparant in mundo.

Pauli extraordinaria vocatio, ab Ecclesia debuit approbari.

Iesu Christi adiuncto nomine, Apostolatus dignitas plurimũ amplificatur.

Apostolatus verò sui dignitatem & præstantiam adiuncto *Iesu Christi* nomine vehementer amplificat, quemadmodum indicasse videtur Hieronymus, in cap. 1. ad Titum, cum scripsit: *Quod Paulus ait, Apostolus Iesu Christi, tale mihi videtur, ac si dixisset, Præfectus Prætorio Augusti Cæsaris, aut magister exercitus Tiberij Imperat.* Et infra: *Grandem inter Christianos sibi vendicans dignitatem, Apostolorum se Christi titulo prænotauit, vt ex ea nominis authoritate lecturos deterreret, indicans omnes, qui Christo crederent, esse sibi debere subiectos.*

Venerabile Iesu nomen, Paulo semper in ore.

Hoc auté venerabile *Iesu* nomen, in ore semper habuisse videtur Paulus, quia ita sæpe in Epistolis suis illud expressit, vt teste S. Thoma, plusquam ducenties vigesies, authore Genebrardo in Cronol. quingenties vsurparit. Cuius rei rationem reddens Hieronym⁹, totum id vehementissimo amori tribuit. D. Thomas, id ideo factum putat, quod in eo maximam gloriæ suæ parté poneret, quod eiusmodi *vas* à Christo fuisset electus, in quo eius *nomen coram Gentibus, & regibus, & filijs Israël portaretur.* Act. 9. *Portauit enim,* ait D. Thomas, *Paulus Christi nomen, & in corpore, conuersationem & passionem eius imitando; & in ore, sæpissimè in Epistolis exprimendo.* Illud etiam ideo vsurpasse videri posset, tanquam præsentissimum contra carnis stimulos, & eum, quem se colaphizantem habebat, angelum Sathanæ, remedium. Est enim IESV nomen sacra mortalium anchora, ad quam, tanquam ad certissimum præsidium, in tentationibus, doloribus, periculis, miseræq; huius vitæ tempestatibus est confugiendum. *Cui enim* (ait S. Bernardus, Serm. 13. in Cant.) *in periculis palpitanti & trepidanti inuocatum virtutis nomen, non statim fiduciam præstitit, depulit metum?*

Cur nominis Iesu, in Paulinis Epistolis, tam frequens vsus.

1.

2.

3.

Iesu inuocatio, præsentissimũ contra tentationes, remediũ.

metum? Cui in aduersis deficienti, iamiamq; deficienti, si nomen adiutorij sonuit, defuit fortitudo? Tristatur aliquis vestrum, veniat in cor Iesus, & inde saliat in os, & ecce ad exortum nominis lumen redit serenum, &c. Cui consonans Laurentius Iustinianus serm. de Circunc. *Si tentaris,* inquit, *à Diabolo, si ab omnibus hominib⁹ opprimeris, si conficeris ægritudine, si doloribus fatigaris, si blasphemiæ seu desperationis agitaris spiritu, si concuteris formidine, si dubietate pulsaris,* IESV *nomen edicito,* &c. Hinc est, quod ad solam eius vocem dæmonia fugata, serpentes interemptos, morbos curatos, multaq; & ingentia mortalibus beneficia collata narrent SS. Literæ Act. 19. & alibi. Sed de hoc nomine plura inferius. *Nominis Iesu, efficacia.*

2. *Per voluntatem Dei.*

Quod alijs verbis in 1. Epistola expressit, vocans se *Apostolum secundum imperium Dei*, id est, iuxta iniunctionem & delegationem Patris, qui per filium exemit nos à Diaboli tyrannide, & *transtulit nos in sortem sanctorum.* Neq; enim Apostolicum munus à quoquam exerceri conuenienter potest, nisi authoritate diuinâ ad ipsum vocatus, quemadmodum ex cap. 20. Ioan. colligitur, vbi Dominus ait: *Sicut misit me pater & ego mitto vos.* Quasi diceret: Sicut ego, vt homo, missus sum à diuina potestate: ita & ego eadẽ diuina potestate vos mitto: Non homo me misit, sed Deus; ita etiam vos nõ merus homo, sed simul Deus mittit. Et ipse Paulus, Hebr. cap. 5. *Nemo assumit sibi honorem, nisi qui vocatus est tanquã Aaron.* Vnde & cap. 1. Epist. ad Rom. vocatũ, siue vocatione (nempe à Deo, à quo & cæteri sunt vocati) se Apostolum nominat. *Vocatio diuina ad Apostolatũ, necessaria.*

Hac loquendi formulâ primùm Pseudoprophetas & *Heretici non missi, prædicare præsumunt.*

tas & Hæreticos tacitè coarguit, qui (vt est apud Hierem. cap. 23.) *non missi currunt, & non loquente ad eos Domino, prophetant*, vt scilicet *varijs & peregrinis doctrinis* Christianorum *animas deprauent*.

Hypocritas propter peccata, regnare permittit Deus.

Excludit deinde Hypocritas, quos, vt est apud Iob cap. 34. Deus *regnare facit propter peccata populi*. Quod enim à prouidentiâ & iustitiâ Dei alienum videtur, vt rerum potiatur & ius dicat is, qui ius ipsum euertit, legesq́; pessundat, id est inprimis diuinæ iustitiæ opus, populi peccata punientis durissimo dominatu; permittentis etiã vt improbus aliquis, fictâ quâdam humanitatis specie, & ementito sanctitatis splendore, obrepat ad honores supremos; de quibus apud Oseam cap. 12. *Dabo*, inquit Dominus, *eis regem in furore meo, & auferam in indignatione*. Licet enim dicat Apostol⁹ Rom. 12. *mundi potestates ordinatas esse à Deo*, & scriptum sit Hierem. cap. 3. *Dabo vobis principes secundum corda vestra; est* tamen *euidens*, ait Anastasius, quæst. 15. *quod ex principibus & regibus*, (addo etiam Episcopis, & alijs Ecclesię pastoribus) *alij quidem à Deo præficiuntur tanquã digni eo honore, alij autem rursus cum sint indigni, Dei permissione aut voluntate præficiũtur populo digno eorum indignitate*. Hæc ille.

3. Secundum promissionem vitæ, quæ est in Christo Iesu.

Paulini Apostolatus scopus.

Apostolatus sui scopum explicat eadem ratione, qua initio 1. cap. Epist. ad Rom. vbi se dicit *segregatum in Euangelium Dei*; ad eius nempe Euangelij dignitatem & vtilitatem explicandam, quæ est ipsa prædicatio. Christi namq; prædicatio ab his bonis, quę nunciat, offert, & efficit, Euangelium dicitur; quod non

Christi prædicatio, cur Euãgeliũ dicatur.

Dei

Dei duntaxat cum hominibus reconciliationem, regni Diaboli dissolutionem, peccatorum remissionem, vitam æternam, & regnum cælorum annuntiat; sed viam, modum, & conuenientiam hæc omnia simul assequendi commonstrat. Ad eam autem rem, se *per voluntatem Dei*, factum Apostolum dicit hoc loco Paulus, vt doceat *promissionem vitæ*, quæ contingit *in Christo*, id est, per Christum Iesum; siue eius vitæ felicitatem, quæ propria est Euangelio ac Christianissimo; quæ est futura & immortalis vita. Et hoc addidit Apostolus, vt veteris & nouæ legis discrimen ob oculos poneret. Nam vita, quã Moyses Deuteron. cap. 28 pollicebatur, ætatis erat, momentanea ac terrena: quam vero Christus promittit, est immortalis, spiritualis ac æterna, quæ tempore non circumscripta æternitatem habet, per quam omnia moriuntur, quæ sunt huius creationis, vt tandem mortificatis membris nostris, solus in nobis Christus viuat, eiusq; in nobis vita maneat abscondita. Hinc est, quod *vitæ æternæ* pollicitationem nouæ legis esse dicat Chrysostom. hom. 46. in Ioan. eo quod in veteri æterna vita non promittebatur, sed dierum longitudo: *In veteri Testamento*, ait Chrysost. *longa vita & multi dies promittebãtur. Nunc vero*, in nouo, *non simpliciter vitæ longitudo, sed vita sine fine promittitur*, &c. *Simul* etiam, vt idem S. Pater subiungit; *indicatur, quod supplicium ex peccato inductum, nunc per Christum sit reuocatum; sententiam illam mortis soluendo & vitæ sempiternæ inducendo, contra superiorum temporum institutionem*. &c. *Vitæ* verò potius, quam aliorum donorum in Euangelio promissorum, promissionem inculcat hoc loco Paulus, quia omnes sumus vitę cupidi, mortemq; maximè formidamus, &c. Quam ob causam, eandem

Noua & Veteris legis discrimen.

Vitæ æternæ promissio, nouæ legis propria.

Cur Vitæ promissio toties inculcetur, in nouo test.

eandem vocem sæpius in Euangelio repetijsse testatur Theophylactus, Ioan. 6. *Vbiq;, inquit, Christus vitæ meminit, & crebro hoc nomen addidit, quia nihil ita suaue hominibus vt res illa,* &c. Et Chrysostom. *Vita vbiq; meminit Christus,* inquit: *Nam eius trahimur cupiditate, & nihil suauius quam non mori,* &c.

Cur Apostolatus sui scopum commemoret Apostolus.

Videtur autem sui *Apostolatus* scopum tam diligenter Paulus Timotheo aperuisse, vt in docendis iuuandisq; ad felicitatem capessendam hominibus, Deiq; honore atq; nomine illustrando, declaret Pastorum Ecclesię munus & officium perpetuò debere versari: vt quibus hac occasione maior vberiorq; augendæ gratiæ gloriæq; amplificandæ materia possit suppetere. Nam qui aliorum sunt magistri & Doctores, eosq; ad omnem virtutem, prout ad Deum refertur, colendum & capiendum erudiunt atq; inducunt, præcipuo quodam & singulari gloriæ splendore, cæteris sunt futuri clariores. Scriptū est enim Daniel. cap. 12. *Qui ad iustitiam erudiunt multos, erunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

Via ad vitam.

Cum igitur ad vitam æternam alia via perueniri non possit, nisi fide diuinitatis & mysterij dispensationis Christi, vt scilicet credatur Deus, & credatur Christus; tum in eam curam Ecclesiæ Doctoribus incumbendum est, vt credentium cætui ante omnia persuadeant, omnem Christiani hominis scientiam his duobus capitibus contineri, nempe supernaturali cognitione diuinitatis & veritatis mysterij Incarnationis Christi, per quā redemptio sic perfecta est, vt sine illius fide nemo vitam æternam possit consequi; cum *aliud non sit datum nomen sub cælo hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri* Act. cap. 4. siquidem ipse

In duobus consistit scientia Christiana.

est

est *propitiatio pro peccatis nostris.* Atq; hoc ipsum est, quod Ioan. 17. patri dicebat Dominus; hanc, nempe *vitam* esse *aeternam, vt cognoscant te* (inquit) *solum verum DEVM & quem misisti, IESVM Christum*: Quasi vitæ æternæ consequendæ potissima via foret fides diuinitatis & incarnationis Christi. Nam qui ritè in Christum credit, facile etiam sibi persuadet, vitam non in otio & desidia degendam esse; verum oportere, vt quemadmodum ipse ambulauit, & ille ambulet, secteturq; omni studio iustitiam, pietatem, fidem, charitatem; eo quod Christus ideo pro nobis se dederit, vt *nos redimeret ab omni iniquitate & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum*. Bona namq; opera esse iter & rectam ad vitam æternam viam, docuit eum adolescentem Dn̄s cui dixit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*: Vbi perpetuitatem beatitudinis, quæ beatorū desiderium expleat, *vitam* vocat Dominus, quem Legis ille peritus intelligebat, qui à Saluatore quærebat, *quid sibi faciendum foret*, vt ad eum locum, vbi perfecta felicitate frui liceat, posset peruenire. Atq; hoc ipsum (ad cuius ostensionem se destinatum Apostolū prædicat Paulus,) quod Dominus adolescenti & Iurisperito dixit, pastoribus passim inculcat Apostolus, vt loquantur & exhortentur; nempe vt in erudiendis fidelibus nunquam intermittant, præmijs vitæ æternæ propositis, eorum animos accendere, vt quæcumq; vel difficilima Christiani nominis causa, subeunda esse docuerint, facilia atque ideo iucunda esse existiment, promptioresq; ad parendum Deo & alacriores reddantur.

Bona opera, recta ad æternam vitam via.



4. *Timotheo charißimo filio.*

Timotheus, quis?

Persona salutata exprimitur *Timotheus*, quem Lucas Act. 16. Lystrensem, mulieris viduæ fidelis filium, licet patre Gentili, prognatum fuisse dicit, cui testimonium bonum reddebant, qui Lystris erant, & in Iconio fratres. Hunc Paulus secum volens proficisci, *circumcidit propter Iudæos, qui erãt in illis locis*, &c.

Paulus, cur Timotheum sibi æqualẽ filium vocet.

Eum verò, licet sibi æqualem & collegam (vtpote Episcopum Ephesinum) vocat *filium* Apostolus, non quidem natura, sed fide. Postquam enim diui-
1. næ prædicationi credidisset, diuinum Apostolum vocabat *patrem*, à quo vicissim *charißimus filius* appellabatur; tum ob eius eximiam sanctitatem, quam initio lib. de cælest. Hierarch. ita commẽdat Dionysius, vt propter eandem sua omnia planè diuina opera ei-
2. dem dedicârit: tum etiam quia patris imperata ad amussim faciens, eius voluntati per omnia morem gereret, sicut tum alibi sæpe, tum in ea, quæ est ad Philipp. cap. 2. ipse testatur Paulus: *Neminem habeo*, inquit, *tam vnanimem*, (quam Timotheum) *qui sincera affectione pro vobis solicitus sit.*

Maximus Pauli in Timotheũ affectus.

Tria porro huius loci vocabula, magnum Pauli in Timotheum amorem ita declarant, vt nullum in terris chariorem Timotheo habuisse Paulus videri possit. Ac primo quidem, eum amorem, proprij nominis interpellatione manifestat, eo quòd soleat scriptura ea proprij nominis interpellatione indicare, eum qui interpellatur, interpellatori gratissimum & familiarissimũ esse; cuius scilicet peculiarem valde solertemq; habeat curam. Sic enim Ioan. 20. inter alias veri boniq; pastoris conditiones, numeratur etiam

Proprij nominis interpellatio, amoris indicium.

etiam illa, quod *proprias oues vocet nominatim, & educat eas.* Cum enim sua nomina singulis ouibus imponit Pastor, singularem omnium curam se gerere, beneq́; sibi notas ac familiares esse indicat. Quare proprio nomine vocatæ & interpellatæ, quasi compellatione delinitæ & allectæ, vocem eius audiunt, eumq́; facile sequuntur, quocumq; duxerit, scientes videlicet fieri non posse, vt qui illas nominatim cognoscit, solerter non curet & splendidè non pascat. Hinc est quod Christus, vt homo erat, aut Christi precursor Ioannes, aut quilibet iustus, quem Deus peculiari prouidétia tuetur, apud Esaiam cap. 49. dicat: *Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.* Quasi dicat: Antequam prodirem in hanc lucem, Deus me vocauit nominatim; me dilexit, mei rationem habuit: antequam homo aliquis meum nomen noscet, aut mei rationem duceret, Deo meo curæ eram. Quem sensum habent etiam illa Psal. 70. *De ventre matris meæ tu es protector meus.* Et Hierem. cap. 1. *Priusquam te formarem in vtero noui te.* &c.

Quia verò hic Pastoralis Pauli amor, omnibus fidelibus communis esse videbatur, vt pote, qui, boni Pastoris instar, omnes suas oues nominatim cognosceret; ne eo duntaxat communi amore Timotheũ diligere videretur; proprio nomini addit dulcissimam *filij* vocem, qua maximum (vtpote paternum) suum in Timotheum amorem manifeste patefacit. Solet enim maximus parentum erga liberos amor, eo quòd filij parentum non modo membra sint, sed & viscera, in quibus omnis affectus amoris, &, vt ita dicam, animi mollitudo sita sunt. Hinc est quod *Paternus Pauli in Timotheũ amor.*

Maxima parentum erga filios, dilectio.

postquam filij nomine seruum Onesimum dignatus esset Paulus, scribens ad Philemonem: *Obsecro te pro filio meo, quem genui in vinculis Onesimo*; subijcit; *Tu autem illum vt viscera mea suscipe.* Sunt enim (vt eo loci notat Hieronymus) omnes filij parentũ viscera.

Filij parentum viscera.

Vnde Apollonius Thianæus, vt in vita eius refert Philostratus, lib. 2. cũ multa de animalium in suos fœtus charitate disseruisset, illud Euripidis dictum plurimũ cõmendat: *Omnibus profecto hominibus, filij sunt anima*; quamuis videri sibi verius atque sapientius dicat, si de cunctis animalibus eandem sentẽtiam protulisset. Quare non immeritò dixerit lib. 8. Ethic. cap. 12. Aristoteles, *æquè parentibus vitam liberorum charam esse atq; suam*; & paulo plus Latinus Pacatus, in Panegyrico, quem Theodosio dixit: *Instituẽte natura, plus ferè filios, quã nosmetipsos diligimus.* Hinc est, quod decedẽtibus parentibus, filij superstites maximũ sint mortis solatium, ita vt omnino mori se non existiment, cũ viuentes relinquũt liberos; iuxta illud Ecclesiast. 30.

Decedentibus parẽtibus, maximum liberi sunt solatium.

Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se. Quod si cõtingat filium mori viuente patre, & se & filium eius mortis participes esse existimant, vt nonnunquam cupiant parentes alterna vicariaq; sua morte, filiorũ vitam redimere, quemadmodũ testis locupletissimus esse potest Regius vates, qui mortem filij sui, sibi quamuis inobedientissimi deflens: *Quis mihi det*, inquit 2. Reg. 18. *vt ego moriar pro te fili mi.*

Timotheus Paulo omnium charissimus.

Verum quia non solum Timotheum, sed plures habebat Apostolus, quos vt filios paterno hoc amore complectebatur, vt pote Titum, Tit. cap. 1. *Tito dilecto filio, &c.* Onesimum, de quo supra; Galatas omnes, cap. 4. *Filioli mei, quos iterũ partu-*

parturio, &c. idcirco amoris plenæ voci (*filio*) adiungit epithetum, *charißimum*, vt nimirum indicet, inter cæteros omnes filios eum ſibi eſſe chariſſimum; quæ eſt maxima amoris exaggeratio.

5. Gratia, & miſericordia, & pax.

Hac fere communi ſalutandi formula, in exordijs ſuarum Epiſtolarũ, vtitur Apoſtolus; bona maxima & dona Euangelicæ perfectionis ac doctrinæ plena, eis imprecando, ad quos ipſe ſcribit.

Gratia quidem donum eſt, ex Dei beneuolentia & dilectione proueniens animæ, per quod homo ita gratus & dilectus Deo, & fortis in bonis operibus efficitur, vt remiſſionem peccatorum cõſecutus, rectè, meritoriè, & ſecundum Deum, poſſit operari. *Quid ſit gratia*

Pacis porro nomine, hominis cum Deo per Christum reconciliatio intelligitur, in qua viuentes operamur ea, quæ amicis Dei & reconciliatis cum eo, maxime ſunt conſentanea; quam *pacem* vocat Theodoretus, omnem bonam virtutis actionem. Nec deſunt Interpretes, qui *pacis* vocem, mentis tranquillitatem interpretantur, qua homo per Dei miſericordiam, propter Chriſtum remiſſionem peccatorum conſecutus, in placida quadam animi quiete & tranquillitate ſecurus requieſcit; cuius meminit Eſaias. *Pacis nomine, quid intelligendum.*

Hanc autem *gratiæ* poſtpoſuit, quia ſine *gratia, pax* vera eſſe non poteſt, ſicut ſcriptum eſt Eſai 57. *Non eſt pax impijs, dicit Dominus.* Hinc Pſal. 2. *Orietur*, inquit Pſalmiſta, *in diebus iſtis, iuſtitia & abundantia pacis.* Eſai 32. *Et erit opus iuſtitiæ pax*, &c. *Cur pax gratiæ poſtponatur.*

Singulare eſt autem (quod obſeruauit Rupertus lib. 1. Commen. in cap. 1. Apocal.) in Epiſtolis ad Timothe- *Cur peculiariter Timotheo miſericordia exoptetur.*

Timotheum *misericordiæ* fieri mentionem. *Cum Apostolus*, inquit Rupertus, *in omnibus Epistolis suis salutando Ecclesias, hæc duo gratiam & pacem coniungat, dicendo; Gratia vobis & pax: in his duntaxat, quas ad Timotheum discipulum scribit, misericordiam interponit; Timotheo eius dilecto filio in fide, gratia, & misericordia, & pax, &c. Nam quia in illo, Episcopos omnes informabat, cuius officij summum & necessarium decus est misericordia; & ille, vt fertur, Zeli feruẽtioris erat; idcirco rectè & oportunè misericordiæ viscera vt haberet illi præoptabat. Et hæc inter cætera dicens in priori Epistola cap. 5. Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem*, &c. Hæc Rupertus. Quasi Timotheũ ingenij fuisse seuerioris in Episcopatus sui administratione insinuaret, atq; adeo in ipsa misericordiæ optatione voluisset Apostolus, vt huius virtutis præsidiũ, ad rectam aliorum gubernationem spiritualem adhiberet. Quod confirmat communis illa Interpretum sententia, qui cum Lirano dicunt, Ephesinum illum Angelum, de quo Apocal. cap. 2. Dominus, fuisse Timotheum, à Paulo ibidem creatum Episcopum. Eum enim tanti Zeli tantæq; seueritatis fuisse testatur ibidem Dominus, vt *malos sustinere*, eorumq; vitia dissimulare non posset, quin potius acerrimè illos insectaretur. Hinc est, quod in priore Epistola cap. 5. illum adhortetur, vt in increpationibus modum seruet. Et cap. 4. vt *sibi attendat & doctrinæ.* Et hic cap. 3. eundem admonet, vt *cum omni patientia increpet*, cum tamen Tito præcipiat, vt id *cum omni imperio* præstet, quia videlicet hic mitioris; ille seuerioris erat ingenij.

Timotheus, ingenij seuerioris.

Huic seueritati oppositam; *misericordiæ* virtutem à Deo *patre misericordiarum* exoptat, vt huius præsidio,

Seueritati misericordia opponitur.

cum

eum quem ipse tenet, miserendi & puniendi modũ sciat Timotheus obseruare. Diuinæ autem naturæ ita proprium est misereri, vt punire eidem quasi extraneum sit, à sceleribus videlicet, quæ patrantur, occasionem materiamq; accipiens. Quod declarauit Esaias cap. 28. cum ait: *Vt faciat opus suum, alienum opus; vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo.* In quem locũ D. Hiero. *Contra impios*, inquit, *irascetur Dominus, vt faciat opus suum: nõ est enim opus Domini perdere, quos creauit, sed facere opus alienum: peregrinum enim est & alienum ab eo, vt puniat, qui est Saluator.* Hoc sensu ab Hieremia dicitur Thren. 3. *Non ex corde humiliauit, & abiecit filios hominum:* Quasi diceret; non esse cordis sui punire; sed id facere prouocatum; cum is ex animo punire dici non possit, qui punit prouocatus. Gen. 6. *tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo*, inquit, *hominem quem creaui.* Ecclesiasticum igitur prælatum diligi potius à subditis quam timeri cupiens, eandem hanc Dei in homines promptam & facilem ad miserendum naturam suo Timotheo precatur Apostol⁹. Illius enim hæc misericordiæ virtus propria quodãmodo esse debet; vt cui omnia quasi nihil, & indigna suâ irâ & indignatione reputanda sunt, iuxta illud Poëtæ: *Dignum te Cæsaris ira Nullus honor faciet.*

Misericordia, diuinæ naturæ propria.

Diuina misericordia Ecclesiastico prælato imitanda.

Aut certè quod iram posse cohibere, & peccantibus parcere, excelsi cuiusdam & generosi sit animi, vt qui nõ impotens sit sui, sed potens maximè ad sibi, quicquid tandẽ acciderit imperandum. Quo etiam fit, vt hæc in Deo excellens præstansq; miserendi natura, eius animi, vt ita dicam, magnitudinem & omnipotentiam declaret. Vnde merito dixerit D. Fulgentius Epist. 7. ad Venant. expendens illud Esaię 55.

Iram cohibere, inuicti est animi.

Misericordia, magnitudinem & omnipotentiam diuinam manifestat.

Quia

Quia multus est ad ignoscendum: In hoc multo nihil deest, in quo est omnipotens misericordia & omnipotentia misericors. Tanta est autem benignitas omnipotentia, & omnipotentia benignitatis in Deo, vt nihil sit quod nolit aut non possit relaxare conuerso. Hinc canit Ecclesia: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas,* &c.

6. *A Deo patre & Iesu Christo Domino nostro.*

A tota Trinitate, omnia dona promanãt.

Quia *omne datum optimum & omne donum perfectũ de sursum est, descendens à Patre luminum;* ideo tria hæc munera *à Deo patre & Iesu Christo* sic exoptat Timotheo communicari Apostolus, vt nulla Spiritus sancti facta mentione, eundem vel in duabus personis tanquam nexum, vel in suis donis inclusum velit.

Cur Deo, patris nomen additũ.

Addidit autem hoc loco Paulus de *Patre* loquẽs, postq̃ eum Deum dixit, nomen *Patris,* non expositionis tantum gratia, sed vt Timotheum incitaret ad eum ardentius amandum, & sanctius honorandum, qui pater eius est, à quo illa bona accipimus, & ad hęc nobis beneficia & dona conferenda ab ipso patre missus est. Hoc enim patris nomen amoris plenissimum est, quo, teste August. lib. 2. de Serm. Domini cap. 8. *charitas plurimum excitatur.* Hinc 2. Corinth. cap. 1. *Benedictus Deus,* ait Apostolus, *& Pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarũ, & Deus totius consolationis,* &c. Et 1. Corinth. 15. *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & patri.*

Reperitur autem in plerisq; exemplaribus, nomini (*Patris*) adiunctum pronomen, *nostrum,* sic: *A Deo patre nostro.* Secundum quã Lectionem *Deum,* *patrem*

atrem nostrum, ideo vocabit Apostolus, vt eo *patris* nomine, Timotheo fiduciam spemq́; optata impetrandi incendat. Tanto enim tantæq; pietatis audito nomine, fieri non potest, quin statim ad misericordiam commoueatur Deus; non aliter quàm pater amplecti & osculari solet filium infantulum, cui repetita identidem *patris* appellatione blanditur. Quod nō ignorans filius ille prodigus, Luc. 15. inde duntaxat animos reconciliationisq́; fiduciā sumpsit: *Ibo*, inquit, *ad patrem meum, & dicam ei; Pater mi, peccaui in cælum & coram te.* Hac eadem ratione, Deum exorare nomine populi conatus est Esaias cap. 63. *Attende de cælo, & vide de habitaculo sancto tuo: vbi est zelus tuus, & fortitudo tua; multitudo viscerum tuorum & miserationum tuarum super me continuerunt se. Tu enim pater noster, & Abraham nesciuit nos, & Israël ignorauit nos. Tu Domine pater noster, redemptor noster, à sæculo nomen tuum.* Quo loco indicat Propheta, Deum vsq; adeo clementem esse, vt Abrahamus & Israël siue Iacob præ illo nomen Patris minimè mereantur: sic enim ait: *Abraham nesciuit nos, & Israël ignorauit nos*, mirum si tecum conferantur. Illis autem verbis, *vbi est fortitudo tua*, &c. appellatur fortitudo Dei, ipsius misericordia, eo quod misericordiæ operibus maximè omnipotentiam suam declarare soleat. Admirabundus deinde Propheta dixit; *super me continuerūt se*, quasi nouum quiddam sit in Deo, posse misericordiarum suarum viscera continere, quo minus ea liberaliter effundat.

Cur Deus, Pater noster dicatur.

Patris nomine, Deus facile exoratur.

Bis deniq; appellauit Deum *Patrem* Propheta, quia fuit semel Pater per creationem, & iterum per redemptionem. Hanc etiam ob causam Dominus

Deus, duplici titulo, Pater noster.

cum discipulos orare docuit Matth. 6. ab hac patris voce inchoare orationem præcepit: *Pater noster qui es in cælis. Excitatur* enim, ait August. *hoc* (patris) *nomine, quadam impetrandi, quæ petuntur, præsumptio, cum priusquam aliquid peteremus, tam magnum donum accepimus, vt sinamur dicere Deo Pater noster. Quid enim iam nō det filijs petentibus, cū hoc ante dederit, vt filij essent?* &c. Et Bernardus, serm. 15. in Cant. *Vbi illud*, inquit, *quod apud antiquos tam terribiliter quam frequenter intonare solebat: Ego Dominus, ego Dominus? Mihi dictatur oratio* (dominica) *cuius principium nomine dulci paterno sequentium obtinendarum petitionem præbet fiduciam*, &c.

Cur Deus pater, noster dicatur, alia ratio. Potest & ideo hunc addidisse *Deo, patris nostri* titulum, vt Timotheo ostenderet quantum noui Testamenti status à veteri differat; cum veteris Testamenti status seruorum fuerit, noui autem sit filiorū; vt pote qui Deum *patrem* habeamus. Vnde l. 2. de serm. Dñi cap. 9. D. Augustinus: *Vtatur* (inquit) *voce noui Testamenti* (*patris*) *populus nouus, ad æternam hæreditatem vocatus*, &c. Quare Deum nunquam patrem vocatū in veteri scriptura testatur Augustinus, cap. 8. Sed *Dominus eis insinuatus est*, ait, *tanquam seruientibus, id est, secundum carnem viuentibus*, &c.

3. Ratio. Deum etiam *patrem nostrum* ideo appellauit Apostolus, vt suæ dignitatis memor Timotheus, patri Deo similis esse enitatur. *Meminisse enim debemus*, ait Cyprianus, *quia quando Deum patrem dicimus, quasi filij Dei agere debemus, vt quomodo nos nobis placemus de Deo patre, sic sibi placeat ille de nobis*, &c. Et Nyssenus Gregorius, in lib. de orat. *Cum, inquit, præcepit Christus Matth. 6. vt patrem tuum Deum dicas, nihil aliud, quam per diuinum vitæ institutum te cælesti patri similem fieri iubet*, &c.

et, &c. Quibus accedit pluribus locis S. Chryſologus, ſerm. 67. & 68.

Vocauit deniq; Deum *patrem noſtrum* Apoſtolus, ut eximium cæleſtis adoptionis beneficium Timotheó in memoriam reuocaret. *Patris enim nomen*, ait Theophylactus, *oſtendit tibi, quanta bona ſis aſſecutus, factus filius Dei*, &c. Et Chryſoſtom: *Qui patrem Deum appellat, & veniam peccatorum, & pœnarum interitum, & iuſtificationem, & ſanctificationem, & liberationem, & filiorum adoptionem, & hareditatem Dei, & fraternitatem cum Chriſto copulatam, & Spiritus ſancti dona largiſſima vno ſermone confitetur*, &c. 4. Ratio

Aduertendum eſt autem hoc loco pronomine *noſtrum* indicari nos omnes fratres eſſe, vnius filios patris, vnius & eiuſdē cæleſtiſq; nobilitatis: quo admonentur diuites & nobiles (teſte Auguſt. lib. 2. de ſerm. cap. 8.) nō ſuperbire aduerſus pauperes & ignobiles, quoniam ſimul dicunt Deo; *pater noſter*, &c. Aduertendum 2. *Deo patri* additum pronomen *noſtrum* efficere, vt *patris* nomen non ſit amplius ſingulare patris, nec perſonaliter accipiatur, quemadmodum omiſſo accipi diximus; ſed eſſe nomē commune totius Trinitatis Patris & Filij & Spiritus ſancti, cum ſit tota Trinitas, Deus *pater noſter*. Quare hæc dona à *Deo patre noſtro* tanquam omnis boni origine & authore, Chriſto verò tanq̃ mediatore, qui ſuo aduentu illa Timotheo & nobis omnibus promeruit, dari precatur. Quaſi ingenuo ſuo germano *gratiam, miſericordiam & pacem à Deo* Paulus exoptet, quem propter Chriſtum (per quem maxima nobis & pretioſa promiſſa Deus donauit 2. Pet. 3.) iam non modò *patrem* habemus, ſed & vt *patrem* oramus & inuocamus. Hinc eſt, quod Chriſtum veteris Teſtamenti *arca*, in qua

Omnes homines fratres.

Pronomen, Noſtrum, patri additum, eius acceptionem mutat.

Arca Veteris Teſtamenti, Chriſti figura.

in qua pretiosissimi thesauri asseruabantur, adumbratum tradunt Cyrill. lib. 9. de adorat. & Gregorius hom. vlt. in Ezech. Arca enim Christus est, non vacua, sed pretiosis thesauris referta, iuxta illud Ioan. 1. *plenum gratiæ & veritatis*; & illud Pauli Colos. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei abscōditi.* Arca est, ex qua pretium, quo redempti sumus est depromptū, in qua omnis gratia, quam largitur Deus, est reposita. Quemadmodum mater cum plorantes filij panem petunt, ex arca panem depromit, quem largitur; ita Deus cum flentes homines panem gratiæ, &c. implorant, ex hac panis Dei, id est, vniuersæ gratiæ arca, depromptum donat.

Christi diuinitas, duplici titulo probatur.

1. Duplici autem titulo, Christi diuinitatem probat hoc loco Paulus: & cum ab eo dona hæc precatur; & cum eundem *Dominum* vocat; hęc enim duo solius Dei propria sunt. Manifestum quippe est ea, quæ Timotheo exoptat dona, non nisi à Deo posse prouenire, sine quo *nihil nos posse facere*, testatur Veritas Ioan. 15. *Nō enim sumus sufficientes*, ait Paulus 2. Cor. 3. *cogitare aliquid à nobis, tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, patre* scilicet *luminum, à quo omne datum optimum & omne donum perfectum descendit*, Iac. 1. Vnde Bernard. serm. 13. in Cant. *Origo fontium & fluuiorum omnium mare est; virtutum, scientiarum donorumq́; omnium Dominus Iesus est*, &c.

2. Absoluta porro sineq; addito & restrictione vox *Domini*, (qua voce Christum hoc loco afficit) illius est duntaxat, qui est diciturq́; *Dominus dominantium.* Apocal. 19. Vnde Christus Matth. 21. duos ex suis missurus ad adducendum asinum: *Si quis*, inquit, *vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet.*

Absoluta Domini, vox, Deo propria.

n quæ verba Author Imperf. Operis. *Ne dicatũ*, ait, *Dominus huius neq; Dominus noster, neq; Dominus iumentorum, sed Dominus; vt intelligant omnes quia ego solus Dominus*, &c. Quare Romanorum quidam Imperatores, eam *Domini* appellationem, tanquam sibi ignominiosam, sæpius detrectarunt: vt teste Suetonio cap. 53. Augustus, qui id vt maledictum & opprobrium semper exhorruit: Authore Tacito lib. 2. annal. Tiberius, qui ita appellanti denuntiauit, ne se amplius contumeliæ causa, nominaret: teste Lampridio Alexander Seuerus, testibus alijs, Adrianus. *Augustus imperij formator*, ait Tertullian. Apol. cap. 34. *e Dominum quidem dici se volebat. Et hoc enim Dei est cognomen. Dicam plane Imperatorem Dominum, sed more communi, sed quando non cogor, vt Domini Dei vicè dicam. Ceterum liber sum illi: Dominus enim meus vnus est, omnipotens Deus æternus, idem qui & ipsius.* Sic ille.

Rom. Imp. Domini titulum detrectantes.

Eandem Christi diuinitatem quinq; modis ex scriptura cognosci posse, differit S. Hilarius, lib. 7. de Trinit. nomine videlicet, natiuitate, natura, potestate, & professione. Nomine; quia simpliciter & præsè vocatur Deus vt Ioan 1. *Deus erat verbum.* & 1. Ioan. vlt. *Vt simus in vero filio eius, hic est verus Deus.* Apud Paulum Rom 9. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Natiuitate & generatione, quoniã in scriptura sæpè vocatur *verus filius Dei*, id est, non per voluntariam gratiæ adoptionem. Sicut autem filius hominis est homo, ita filium Dei necesse est Deum esse, quia naturalis natiuitas consubstantialitatem generationis & geniti necessario habet. Natura; quoniam ipse dixit Ioan. 10. *Ego & pater vnum sumus*: Non vnus, quod

Christi diuinitas, 5. modis in scriptura cognoscitur.

1.

2.

3.

 personam

personam denotat, cum sit distincta persona patris & filij; sed *vnum* quod substantiam demonstrat: hæc
4. vero prorsus vna atq; eadem est patris & filij, alioqui non vnus tantum esset Deus Potestate; Ipse enim dixit Matth. vlt. *Data est mihi omnis potestas, in cælo & in*
5. *terra.* Et patri dixit Ioan. 16. *Omnia mea tua sunt,* &c. Professione deniq;, quoniam ipsemet Christus, profitebatur se Deum habere patrem, eiq; se consubstãtialem & æqualem esse. Qua de re accusabant eum Iudæi Ioan. 20. & semel lapidare voluerunt. Ioan. 5.

Cur Christus, Dominus noster dicatur.

Dicitur autem Christus *Dominus noster*, non tam ratione creationis, quam cum patre & spiritu sancto communem habet, quàm titulo redemptionis, quia
1. *populi sumus acquisitionis. Non sumus subtractionis filij,* seu filij subtracti, *in perditionem: sed fidei* seu fideles *in acquisitionem animæ empti sumus pretio magno.* Hebr. 10.
2. 2. Cor. 6. *Dominus* dicitur, titulo plusquã iustæ commutationis, quia non qualitercunq; redemit nos, sed pretio iustissimo. *Non corruptibilibus auro & argento redempti estis à vana cõuersatione vestra, sed pretioso*
3. *sanguine quasi agni immaculati Christi.* 2. Pet. 1. Dicitur *Dominus noster*, iure datæ libertatis. Redimuntur enim sępe ab vnius captiuitate, qui in alterius transeũt. Sed nos sic redempti sumus à seruitute diaboli & peccati, vt liberi maneamus. Dedit se nobis, vt *sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in sanctitate & iustitia omnibus diebus vitæ nostræ.* Luc. 2.
4. *Dominus noster* deniq; est titulo iustæ donationis, pactiq; indissolubilis ex parte nostra. Quotquot enim *in Christo baptizati sumus, Christum induimus,* Galat. 3. hoc est, nomen ei & fidem dedimus, quod ei tanquã Dño adhærebimus, &c. 1. Cor. 6.

Hunc

Hunc Pauli locum transfert Erasmus geminata voce Domini, in hunc modum: *A Domino Iesu Christo, qui Dominus noster, &c.* Quasi sit aliter Dñs omnium, & aliter fidelium; quos pretio magno redemit, redemptos per baptismum suos fecit, factosq; singulari cura & prouidentia regit ac gubernat, vt eos in viam salutis æternæ dirigat.

Erasmi translatio.

7. *Gratias ago Deo.*

Inusitatum non est Apostolo, dicendi & scribendi principium à gratiarum actione sumere; eo quod de acceptis beneficijs non ingratus, gratiarum actiones minimè differendas iudicaret. Eam enim dilationem Deo ingratam esse, declarauit illa veteris legis pro gratiarum actione holocausti oblatio, cuius victimæ carnes in diem sequentem reseruandæ non erant. Leuit. 7. Vnde cum primum exijt de arca, diluuio liberatus Noë, statim gratias agens, Deo altare fecisse, & sacrificia obtulisse legitur. Genes. 8. Quam ob causam, Christus Dominus Ioan. 6. post multiplicationem panum iussit colligi *fragmenta, ne pereant*, inquit, id est, vt in memoriam accepti beneficij reseruentur. Odit autem Deus hanc gratiarum actionis dilationem, non sua causa, sed nostra; quia videlicet, sicut is qui de acceptis beneficijs gratus est, maiora accipere meretur; ita ingratus Deo quodammodo manus claudere, eiusq; faciem à se auertere videtur. Ait enim scriptura Sap. 16. *Ingrati spes tanquã hybernalis glacies tabescet, & disperiet tanquam aqua superuacua. Qui gratè beneficium accipit, primam eius pensionem soluit*, ait Seneca lib. 2. de benef. cap. 22. Vnde nulla re magis Cæsarem Augustum demeruit, & ad alia

Gratiarum actiones nõ differendæ.

Odit Deus gratiarum actionis dilationes.

Furnij erga Cæsarem gratitudo.

alia impetranda facilem sibi reddidit Furnius, quam quod illum; cum patri, Antonianas partes secuto, veniã impetrasset, dixisse refert idem Seneca cap. 8. *Hanc vnam Cæsar habeo iniuriam tuam: Effecisti vt viuerem & morerer ingratus.* Hæc enim animi gratitudo Cæsarem ad maiorem in eum beneuolentiam concitauit.

In gratitudine, pietatem collocauit Deus.

Hanc animi gratitudinem vt à nobis impetraret Deus, quam sibi debemus pietatem, in eo propriè sitam voluit, vt sibi anima non ingrata foret. Sic enim pietatem definiens lib. de Spiritu & lit. cap. 11. Augustinus: *Cultus Dei,* inquit, *in hoc maximè constitutus est, vt anima ei non sit ingrata. Vnde in ipso verissimo & singulari sacrificio, Domino Deo nostro gratias agere admonemur.* Deus enim *bonorum nostrorum non indiget,* ait Dauid Psal. 15. sed totum obsequium nostrum, quod Deo præstare possumus, illud est, ne eius beneficijs ingrati simus. Vnde Apostolus 1. Thessal. 5. *In omnibus,* inquit, *gratias agite, hæc est enim voluntas Dei.*

Paulina gratiarum actio, maximũ charitatis indicium.

Huius autem loci Paulina gratiarum actio, maximæ charitatis erga proximos & amicos, quib⁹ scribit, est argumentum. Hac namq; ratione beneuolentiam & attentionem captat: Sicut Timotheum Episcopalis officij hoc loco moniturus, sapienter & artificiose ab eo initium cœpit, quod amoris in eum vehementissimi testificationem præbebat: Deo inprimis gratias agendo, quod ipsi cum eo esset eiusmodi amicitia; deinde quod illius inter orandum noctes & dies recordaretur; quasi ex ea necessitudine nescio quid ad se laudis, gloriæ & commodi prouenire sentiret.

Pleraq; antiqua exemplaria ad *Dei* nomen, adiunctum

iunctum habent pronomen *meum*; hoc modo: *Gratias ago Deo meo.* Secundum quæ, communem vniuersorum Deum vocauit *suum* Apostolus, non vt cæteros omnes excludat, sed vt se totum illi addictum significet, gratiæq; & beneuolentiæ diuinæ dona simul commendet, quibus se reipsa cumulatum experiebatur, dum priuatæ vtilitatis oblitus, in ea se summa felicitate ferri videret, quæ & ad Dei gloriam augendam, & ad proximi salutem procurandam spectassent. In illo enim pronomine *(meo)* significatio est singularis charitatis, tum etiam grati animi erga Deum. Nam præterquam quod similia Pronomina afferunt aliquid singulare & eximiè dilectum, pertinent etiam ad charitatis significationem, cum beneficia communia singulari animi gratitudine prosequimur, & quæ omnium sunt, nostra facimus. Sic ad Galath. 2. de Christo Paulus: *Qui dilexit me*, ait, *& tradidit semetipsum pro me.* In quem locum scribens Chrysostomus: *Quid facis Paule*, inquit, *dum communia propriè tibi vendicas, quæq; pro toto orbe terrarum facta sunt, tibi facis peculiaria? Cum consideraret* (subiungit S. Pater) *Apostolus infirmitatem naturæ humanæ, & ineffabilem Dei solicitudinem, tum quibus ipsum malis liberasset, quæ bona largitus esset, inflammatus illius desiderio, hunc in modum loquitur; quandoquidem & Prophetæ non raro Deum communem sibi proprium faciunt, hoc modo loquentes: Deus Deus meus, ad te de luce vigilo, Psal. 62. Præterea vero declarat Paulus, hoc quoq; par esse, vt quisq; nostrum non minus agat gratias Christo, quam si ob ipsum solum aduenisset. Neq; enim recusaturus erat vel ob vnum tantam accipere dispensationem.* Sic Chrysostom. Cui consentiens Theophylactus: *Paulus*, inquit, *secum cogitans*

Vniuersorum Deum, cur suum vocet Apostolus.

Pronomẽ meus singulare quid denotat.

Iusti homines, communia beneficia sibi propria faciunt.

Quia multus est ad ignoscendum: In hoc multo nihil deest, in quo est omnipotens misericordia & omnipotentia misericors. Tanta est autem benignitas omnipotentiæ, & omnipotentia benignitatis in Deo, vt nihil sit quod nolit aut non possit relaxare conuerso. Hinc canit Ecclesia: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas,* &c.

6. *A Deo patre & Iesu Christo Domino nostro.*

A tota Trinitate, omnia dona promanāt.

Quia *omne datum optimum & omne donum perfectū de sursum est, descendens à Patre luminum;* ideo tria hæc munera *à Deo patre & Iesu Christo* sic exoptat Timotheo communicari Apostolus, vt nulla Spiritus sancti facta mentione, eundem vel in duabus personis tanquam nexum, vel in suis donis inclusum velit.

Cur Deo, patris nomen additū.

Addidit autem hoc loco Paulus de *Patre* loquēs, postq̃ eum Deum dixit, nomen *Patris,* non expositionis tantum gratia, sed vt Timotheum incitaret ad eum ardentius amandum, & sanctius honorandum, qui pater eius est, à quo illa bona accipimus, & ad hęc nobis beneficia & dona conferenda ab ipso patre missus est. Hoc enim patris nomen amoris plenissimum est, quo, teste August. lib. 2. de Serm. Domini cap. 8. *charitas plurimum excitatur.* Hinc 2. Corinth. cap. 1. *Benedictus Deus,* ait Apostolus, *& Pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarū, & Deus totius consolationis,* &c. Et 1. Corinth. 15. *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & patri.*

Reperitur autem in plerisq; exemplaribus, nomini *(Patris)* adiunctum pronomen, *nostrum*, sic: *A Deo patre nostro.* Secundum quā Lectionem *Deum,* *patrem*

patrem nostrum, ideo vocabit Apostolus, vt eo *patris* nomine, Timotheo fiduciam spemq; optata impetrandi incendat. Tanto enim tantæq; pietatis audito nomine, fieri non potest, quin statim ad misericordiam commoueatur Deus; non aliter quàm pater amplecti & osculari solet filium infantulum, cui repetita identidem *patris* appellatione blanditur. Quod nō ignorans filius ille prodigus, Luc. 15. inde duntaxat animos reconciliationisq; fiduciā sumpsit: *Ibo*, inquit, *ad patrem meum, & dicam ei; Pater mi, peccaui in cælum & coram te.* Hac eadem ratione, Deum exorare nomine populi conatus est Esaias cap. 63. *Attende de cælo, & vide de habitaculo sancto tuo: vbi est Zelus tuus, & fortitudo tua; multitudo viscerum tuorum & miserationum tuarum super me continuerunt se. Tu enim pater noster, & Abraham nesciuit nos, & Israël ignorauit nos. Tu Domine pater noster, redemptor noster, à sæculo nomen tuum.* Quo loco indicat Propheta, Deum vsq; adeo clementem esse, vt Abrahamus & Israël siue Iacob præ illo nomen Patris minimè mereantur: sic enim ait: *Abraham nesciuit nos, & Israël ignorauit nos*, nimirum si tecum conferantur. Illis autem verbis, *vbi est fortitudo tua*, &c. appellatur fortitudo Dei, ipsius misericordia, eo quod misericordiæ operibus maximè omnipotentiam suam declarare soleat. Admirabundus deinde Propheta dixit; *super me continuerūt se*; quasi nouum quiddam sit in Deo, posse misericordiarum suarum viscera continere, quo minus ea liberaliter effundat.

Cur Deus, Pater noster dicatur.

Patris nomine, Deus facile exoratur.

Bis deniq; appellauit Deum *Patrem* Propheta, quia fuit semel Pater per creationem, & iterum per redemptionem. Hanc etiam ob causam Dominus

Deus, duplici titulo, Pater noster.

D cum

cum discipulos orare docuit Matth. 6. ab hac patris voce inchôare orationem præcepit: *Pater noster qui es in cælis.* *Excitatur* enim, ait August. *hoc* (patris) *nomine, quædam impetrandi, quæ petuntur, præsumptio, cum priusquam aliquid peteremus, tam magnum donum accepimus, vt sinamur dicere Deo Pater noster. Quid enim iam nō det filijs petentibus, cū hoc ante dederit, vt filij essent?* &c. Et Bernardus, serm. 15. in Cant. *Vbi illud,* inquit, *quod apud antiquos tam terribiliter quam frequenter intonare solebat: Ego Dominus, ego Dominus? Mihi dictatur oratio* (dominica) *cuius principium nomine dulci paterno sequentium obtinendarum petitionem præbet fiduciam,* &c.

Cur Deus pater, noster dicatur, alia ratio.

Potest & ideo hunc addidisse *Deo, patris nostri* titulum, vt Timotheo ostenderet quantum noui Testamenti status à veteri differat; cum veteris Testamenti status seruorum fuerit, noui autem sit filiorū; vt pote qui Deum *patrem* habeamus. Vnde l. 2. de serm. Dñi cap. 9. D. Augustinus: *Vtatur* (inquit) *voce noui Testamenti (patris) populus nouus, ad æternam hæreditatem vocatus,* &c. Quare Deum nunquam patrem vocatū in veteri scriptura testatur Augustinus, cap. 8. Sed *Dominus eis insinuatus est,* ait, *tanquam seruientibus, id est, secundum carnem viuentibus,* &c.

3. Ratio.

Deum etiam *patrem nostrum* ideo appellauit Apostolus, vt suæ dignitatis memor Timotheus, patri Deo similis esse enitatur. *Meminisse enim debemus,* ait Cyprianus, *quia quando Deum patrem dicimus, quasi filij Dei agere debemus, vt quomodo nos nobis placemus de Deo patre, sic sibi placeat ille de nobis,* &c. Et Nyssenus Gregorius, in lib. de orat. *Cum,* inquit, *præcepit Christus Matth. 6. vt patrem tuum Deum dicas, nihil aliud, quam per diuinum vitæ institutum te cælesti patri similem fieri iubet,* &c.

bet, &c. Quibus accedit pluribus locis S. Chryfolo-
gus, ferm. 67. & 68.

Vocauit deniq; Deum *patrem nostrum* Apostolus, vt eximium cælestis adoptionis beneficium Timotheò in memoriam reuocaret. *Patris enim nomen*, ait Theophylactus, *ostendit tibi, quanta bona sis assecutus, factus filius Dei*, &c. Et Chrysostom: *Qui patrem Deum appellat, & veniam peccatorum, & pœnarum interitum, & iustificationem, & sanctificationem, & liberationem, & filiorum adoptionem, & hæreditatem Dei, & fraternitatem cum Christo copulatam, & Spiritus sancti dona largissima vno sermone confitetur*, &c. *4. Ratio*

Aduertendum est autem hoc loco pronomine *nostrum* indicari nos omnes fratres esse, vnius filios patris, vnius & eiusdẽ cælestisq; nobilitatis: quo admonentur diuites & nobiles (teste August. lib. 2. de serm. cap. 8.) nõ superbire aduersus pauperes & ignobiles, quoniam simul dicunt Deo; *pater noster*, &c. Aduertendum 2. *Deo patri* additum pronomen *nostrum* efficere, vt *patris* nomen non sit amplius singulare patris, nec personaliter accipiatur, quemadmodum omisso accipi diximus; sed esse nomẽ commune totius Trinitatis Patris & Filij & Spiritus sancti, cum sit tota Trinitas, Deus *pater noster*. Quare hæc dona à *Deo Patre nostro* tanquam omnis boni origine & authore, Christo verò tanq̃ mediatore, qui suo aduentu illa & Timotheo & nobis omnibus promeruit, dari precatur. Quasi ingenuo suo germano *gratiam, misericordiam & pacem à Deo* Paulus exoptet, quem propter Christum (per quem maxima nobis & pretiosa promissa Deus donauit 2. Pet. 3.) iam non modò *patrem* habemus, sed & vt *patrem* oramus & inuocamus. Hinc est, quod Christum veteris Testamenti *arca*, *Omnes homines fratres.* *Pronomen, Nostrum, patri additum, eius acceptionem mutat.* *Arca veteris Testamenti, Christi figura.*

in qua pretiosissimi thesauri asseruabantur, adumbratum tradunt Cyrill. lib. 9. de adorat. & Gregorius hom. vlt. in Ezech. Arca enim Christus est, non vacua, sed pretiosis thesauris referta, iuxta illud Ioan. 1. *plenum gratiæ & veritatis*; & illud Pauli Coloss 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei abscōditi.* Arca est, ex qua pretium, quo redempti sumus est depromptū, in qua omnis gratia, quam largitur Deus, est reposita. Quemadmodum mater cum plorantes filij panem petunt, ex arca panem depromit, quem largitur; ita Deus cum flentes homines panem gratiæ, &c. implorant, ex hac panis Dei, id est, vniuersæ gratiæ arca, depromptum donat.

Christi diuinitas, duplici titulo probatur.

1. Duplici autem titulo, Christi diuinitatem probat hoc loco Paulus: & cum ab eo dona hæc precatur; & cum eundem *Dominum* vocat; hęc enim duo solius Dei propria sunt. Manifestum quippe est ea, quæ Timotheo exoptat dona, non nisi à Deo posse prouenire, sine quo *nihil nos posse facere*, testatur Veritas Ioan. 15. *Nō enim sumus sufficientes*, ait Paulus 2. Cor. 3. *cogitare aliquid à nobis, tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, patre* scilicet *luminum, à quo omne datum optimum & omne donum perfectum descendit*, Iac. 1. Vnde Bernard. serm. 13. in Cant. *Origo fontium & fluuiorum omnium mare est; virtutum, scientiarum donorumq; omnium Dominus Iesus est*, &c.

Absoluta Domini. Vox, Deo propria.

2. Absoluta porro sineq; addito & restrictione vox *Domini*, (qua voce Christum hoc loco afficit) illius est duntaxat, qui est diciturq; *Dominus dominantium.* Apocal. 19. Vnde Christus Matth. 21. duos ex suis missurus ad adducendum asinum: *Si quis*, inquit, *vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet.*

In quæ verba Author Imperf. Operis. *Ne dicatis*, ait, *Dominus huius neq; Dominus noster, neq; Dominus iumentorum, sed Dominus; vt intelligant omnes quia ego solus Dominus*, &c. Quare Romanorum quidam Imperatores, eam *Domini* appellationem, tanquam sibi ignominiosam, sæpius detrectarunt: vt teste Suetonio cap. 53. Augustus, qui id vt maledictum & opprobrium semper exhorruit: Authore Tacito lib. 2. annal. Tiberius, qui ita appellanti denuntiauit, ne se amplius contumeliæ causa, nominaret: teste Lampridio Alexander Seuerus, testibus alijs, Adrianus. *Augustus imperij formator*, ait Tertullian. Apol. cap. 34. *ne Dominum quidem dici se volebat. Et hoc enim Dei est cognomen. Dicam plane Imperatorem Dominum, sed more communi, sed quando non cogor, vt Domini Dei vicè dicam. Cæterum liber sum illi: Dominus enim meus vnus est, omnipotens Deus æternus, idem qui & ipsius.* Sic ille.

Rom. Imp. Domini titulum detrectantes.

Eandem Christi diuinitatem quinq; modis ex scriptura cognosci posse, differit S. Hilarius, lib. 7. de Trinit. nomine videlicet, natiuitate, natura, potestate, & professione. Nomine; quia simpliciter & precisè vocatur Deus vt Ioan 1. *Deus erat verbum.* & 1. Ioan. vlt. *Vt simus in vero filio eius, hic est verus Deus.* Apud Paulum Rom 9. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Natiuitate & generatione, quoniã in scriptura sæpè vocatur *verus filius Dei*, id est, non per voluntariam gratiæ adoptionem. Sicut autem filius hominis est homo, ita filium Dei necesse est Deum esse, quia naturalis natiuitas consubstantialitatem generationis & geniti necessario habet. Natura; quoniam ipse dixit Ioan. 10. *Ego & pater vnum sumus:* Non vnus, quod

Christi diuinitas, 5. modis in scriptura cognoscitur.

1.

2.

3.

personam denotat, cum sit distincta persona patris & filij; sed *vnum* quod substantiam demonstrat: hæc
4. vero prorsus vna atq; eadem est patris & filij, alioqui non vnus tantum esset Deus Potestate; Ipse enim dixit Matth. vlt. *Data est mihi omnis potestas, in cælo & in*
5. *terra.* Et patri dixit Ioan. 16. *Omnia mea tua sunt*, &c. Professione deniq;, quoniam ipsemet Christus, profitebatur se Deum habere patrem, eiq; se consubstãtialem & æqualem esse. Qua de re accusabant eum Iudæi Ioan. 20. & semel lapidare voluerunt. Ioan. 5.

Cur Christus, Dominus noster dicatur. Dicitur autem Christus *Dominus noster*, non tam ratione creationis, quam cum patre & spiritu sancto communem habet, quàm titulo redemptionis, quia
1. *populi sumus acquisitionis. Non sumus subtractionis filij*, seu filij subtracti, *in perditionem: sed fidei* seu fideles *in acquisitionem animæ empti sumus pretio magno.* Hebr. 10.
2. 2. Cor. 6. *Dominus* dicitur, titulo plusquã iustæ commutationis, quia non qualitercunq; redemit nos, sed pretio iustissimo. *Non corruptibilibus auro & argento redempti estis à vana cõuersatione vestra, sed pretioso*
3. *sanguine quasi agni immaculati Christi.* 2. Pet. 1. Dicitur *Dominus noster*, iure datæ libertatis. Redimuntur enim sępe ab vnius captiuitate, qui in alterius transeũt. Sed nos sic redempti sumus à seruitute diaboli & peccati, vt liberi maneamus. Dedit se nobis, vt *sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in sanctitate & iustitia omnibus diebus vitæ nostræ.* Luc. 2.
4. *Dominus noster* deniq; est titulo iustæ donationis, pactiq; indissolubilis ex parte nostra. Quotquot enim *in Christo baptizati sumus, Christum induimus*, Galat. 3. hoc est, nomen ei & fidem dedimus, quod ei tanquã Dño adhærebimus, &c. 1. Cor. 6.

Hunc

Hunc Pauli locum transfert Erasmus geminata voce Domini, in hunc modum: *A Domino Iesu Christo, qui Dominus noster,* &c. Quasi sit aliter Dñs omnium, & aliter fidelium; quos pretio magno redemit, redemptos per baptismum suos fecit, factosq; singulari cura & prouidentia regit ac gubernat, vt eos in viam salutis æternæ dirigat. *Erasmi translatio.*

7. *Gratias ago Deo.*

Inusitatum non est Apostolo, dicendi & scribendi principium à gratiarum actione sumere; eo quod de acceptis beneficijs non ingratus, gratiarum actiones minimè differendas iudicaret. Eam enim dilationem Deo ingratam esse, declarauit illa veteris legis pro gratiarum actione holocausti oblatio, cuius victimæ carnes in diem sequentem reseruandæ non erant. Leuit. 7. Vnde cum primum exijt de arca, diluuio liberatus Noë, statim gratias agens, Deo altare fecisse, & sacrificia obtulisse legitur. Genes. 8. Quam ob causam, Christus Dominus Ioan. 6. post multiplicationem panum iussit colligi *fragmenta, ne pereant,* inquit, id est, vt in memoriam accepti beneficij reseruentur. Odit autem Deus hanc gratiarum actionis dilationem, non sua causa, sed nostra; quia videlicet, sicut is qui de acceptis beneficijs gratus est, maiora accipere meretur; ita ingratus Deo quodammodo manus claudere, eiusq; faciem à se auertere videtur. Ait enim scriptura Sap. 16. *Ingrati spes tanquā hibernalis glacies tabescet, & disperiet tanquam aqua superuacua. Qui gratè beneficium accipit, primam eius pensionem soluit,* ait Seneca lib. 2. de benef. cap. 22. Vnde nulla re magis Cæsarem Augustum demeruit, & ad alia

Gratiarum actiones nō differenda.

Odit Deus gratiarum actionis dilationes.

Furnĳ erga Cæsarem gratitudo.

junctum habent pronomen *meum*; hoc modo: *Gratias ago Deo meo.* Secundum quæ, communem vniuersorum Deum vocauit *suum* Apostolus, non vt cæteros omnes excludat, sed vt se totum illi addictum significet, gratiæq; & beneuolentiæ diuinæ dona simul commendet, quibus se reipsa cumulatum experiebatur, dum priuatæ vtilitatis oblitus, in ea se summa felicitate ferri videret, quæ & ad Dei gloriam augendam, & ad proximi salutem procurandam spectassent. In illo enim pronomine (*meo*) significatio est singularis charitatis, tum etiam grati animi erga Deum. Nam præterquam quod similia Pronomina afferunt aliquid singulare & eximiè dilectum, pertinent etiam ad charitatis significationem, cum beneficia communia singulari animi gratitudine prosequimur, & quæ omnium sunt, nostra facimus. Sic ad Galath. 2. de Christo Paulus: *Qui dilexit me*, ait, *& tradidit semetipsum pro me.* In quem locum scribens Chrysostomus: *Quid facis Paule*, inquit, *dum communia propriè tibi vendicas, quæq; pro toto orbe terrarum facta sunt, tibi facis peculiaria? Cum consideraret* (subiungit S. Pater) *Apostolus infirmitatem naturæ humanæ, & ineffabilem Dei solicitudinem, tum quibus ipsum malis liberasset, quæ bona largitus esset, inflammatus illius desiderio, hunc in modum loquitur; quandoquidem & Prophetæ non raro Deum communem sibi proprium faciunt, hoc modo loquentes: Deus Deus meus, ad te de luce vigilo, Psal. 62. Præterea vero declarat Paulus, hoc quoq; par esse, vt quisq; nostrum non minus agat gratias Christo, quam si ob ipsum solum aduenisset. Neq; enim recusaturus erat vel ob vnum tantam accipere dispensationem.* Sic Chrysostom. Cui consentiens Theophylactus: *Paulus*, inquit, *secum cogitans*

Vniuersorum Deum, cur suum vocet Apostolus.

Pronomẽ meus singulare quid denotat.

Iusti homines, communia beneficia sibi propria faciunt.

gitans à quibus nos Christus liberârit, quid donârit, charitate inflammatus, quod publicum est, proprium facit, aquè ac Prophetæ, Deus Deus meus, inquiunt: Pariter ostendens, quod tantam oporteat quemuis gratiam reddere Christo, quantam exhiberet, si pro ipso solo mortuus esset, &c.

Pauli eximia gratitudo.

Nec potuit non esse gratissimus Pauli animus, excellentissimis ac singularib⁹ beneficijs exornatus. Vt enim aquę in valles; ita in gratum beneficiorumq; memorem animum beneficia dilabuntur. Quod præclarè docuit Theodoretus Ancyræ Episcopus, in ea Hom. quam in Conc. Ephes. habuit. *Solet*, inquit, *vberior gratia illis obuenire, qui grato animo gratiam accipiunt. Tantum enim plerumq; donorum præstatur, quanta eorum est gratitudo, qui eiusmodi donis potiuntur. Quare cum de accepto dono donatoris benignitatem grata recordatione agnoscis, non modò pro acceptis fecisti satis, verum ad maiorum quoq; beneficiorũ elargitionem donatorem astrinxisti.* Hæc ille.

Pronomẽ meus amoris plena vox.

Vberrimam igitur gratiam gratissimo animo Paulus accepit, cum vocem illam amatoriam & singulari dilectione refertam (*meus* scilicet) hoc loco vsurpauit. Quasi dicere voluisset: *Deo meo*, quem toto corde & pectore diligo. Sic Achab beneuolus atq; diligens eorum quos odisset Deus; ait ad seruos Benadab 3. Reg. 20. *Si adhuc viuit, frater meus est. Quod acceperunt viri pro omine* (erant videlicet Syri augurijs dediti, & omen est augurium ex verbis captatum, quæ erant valde amica, propter vtramq; vocem; *frater meus*, &c.) *Quare festinantes serui, rapuerunt verbum ex ore eius atq; dixerunt; frater tuus Benadab*, &c. Sic etiam Iob incredibili charitate videtur dixisse cap. 19. *Credo, quod redemptor meus viuit*; quasi dicat: Si viuit, redem-

redemptor meus est. Hanc etiam ob causam Dauid diuinam potestatem, quam titulo creationis exercet DEVS in omnem creaturam, ad se tantum pertinere significauit Psal. 14. cum ait: *Exaltabo te Deus meus rex;* ob amorem videlicet, vt explicat Theodoret.

8. *Cui seruio à progenitoribus meis.*

Verbo *Seruiendi*, non quoduis seruitutis genus est intelligendum, sed id, quod Scriptores Ecclesiastici ei cultui accommodarunt, qui propriè Deo, tanquam supremo rerum omnium Dño ac moderatori, debetur; qui *cultus latriæ* vocatus est, eo quod is summo cum tremore, reuerentia, ac veneratione debeat exhiberi. Inuoluit enim sua significatione *latria* vehementiam & intensionem timoris, ita vt D. Thomas debitum Deo honorem & reuerentiam ad donũ *Timoris* sapienter retulerit. Quæ *Timoris* significatio nec Latinos latuit, cũ apud Ouidium, 5. Metamorph. decantetur *Emathion æqui cultor timiduſq; Deorum.* Et in scriptura frequenter *timor*, est Dei adoratio & cultus, vt Matth. 4. ait Dñs Sathanæ; *Deum tuum adorabis;* cum Deuteron. cap. 6. vnde sumptum est, habeatur: *Deum tuum timebis.* Hęc verò religiosa Dei veneratio & cultus siue seruitus (seruitutem enim affert *Latriæ* nomen) qua seruire se Deo protestatur hoc loco Apostolus; duo videtur in se comprehendere; & internam numinis reuerentiam, & externum cultum cæremoniarũq; piarum obseruationem. Quæ duo, *timoris* nomine significari testatur scriptura: Et quod primum Psal. 2. Reges & iudices terræ alloquens Regius vates: *Seruite*, inquit, *Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Quasi diceret: Horrendi numi- 1.

Seruiendi Verbo, quid intelligendum?

Latria in sua significatione timorem inuoluit.

Latria seruitus duo in se comprehendit.

 nis

nis maiestatem & excellentiam debito honore & reuerentia prosequimini, ita tamen vt exultare coram illo possitis, beneq; vobis de vestra seruitute & timore gratulari. Est enim magnifica & gloriosa serui Dei, sicut & illius maiestatem numenq; timentis compellatio; magniq; cuiusdam præmij ex huiusmodi seruitute & timore prouenturi spem efficit.

2. Quoad secũdum; Psal. 137. *Adorabo,* inquit idem Regius vates, *ad templum sanctum tuum in timore tuo.* Volens dicere, Deum se adoraturum, iuxta ritum ceremoniarum & præscriptum legis obseruandæ ijs, qui adeunt Deum adoraturi. Hinc est, quod *timens Deum,* vel *timoratus,* pro legis obseruatore & religioso cultore accipiatur Iob cap. 1. *Timens Deum.* Luc. 2. *iustus & timoratus.* Act. 10. *religiosus & timens Deum.*

Timoris nomine tota legis obseruatio cõprehensa in Veteri Test. Eius ratio,

Ratio autem, cur timor in lege naturæ, & in veteri præsertim Testamento, omnem cultum & legis vniuersæ obseruationem significarit & comprehẽderit, illa esse videtur, quòd tunc timore peragebantur omnia, & veluti serui colebant Deum, pœnæ potius & vindictæ declinandę gratia, quam amore numinis. Timebant enim sibi, nisi timerent, puniẽtem Deum, legemq; minantem. Vnde Dauid, dum penitus cõpressam hostium audaciam, & vel supplicio, vel timore inflicto ab iniuria sibi inferenda coërcitos desiderat: *Constitue,* inquit Psal. 9. *legislatorem super eos, & sciant gentes, quoniam homines sunt.* Idem nimirum censens *legem* aut *legislatorem,* quod *timorem* aut *tremorem.*

Lex Vetus, cur timor dicta,

Quare legem illam terrificam ideo *timorem* appellabãt, quod magno timore esset tradita, quemadmodum narrat Moyses Exod. 20. Nec tantum lex illa, sed & Legislator Deus, *timor* dicebatur iustorum

Iacob,

acob, & patris sui Isaac: Abstracto illo nomine signi-
cante, Dei nimiam charitatem, qua dilexit nos in
Christo; redamandumq; à nobis ex toto corde, ex
ota anima, & vniuersis viribus, quippe vt optimum
t indulgentissimum parentem, non à seruis, sed à
lijs, &c.

Et quia diximus eam *latriæ* seruitutem propriè
Deo, tanquã supremo omnium hominum domino
t moderatori deberi; sciendum est, eum *Domini*
tulum non nisi creato homine, in scripturis Deo
uisse tributum, quemadmodum ex illis scripturæ
erbis; *Formauit igitur Dominus Deus hominem*, sapien-
er animaduertit Tertullianus in lib. contra Hermog.
Quibus indicatur, id seruitutis genus Deo debitum,
anquam Dño absq; præscriptione antiquissimo, vt
ui fuerit à principio creationis rerum, atq; adeo i-
so creationis titulo (quo nullum antiquius) Dñs
erum omnium, nedum hominum. Est enim Dñs
bsq; limitatione amplissimus, &, vt scriptura 2. Ma-
hab. cap. 14. *Dominus vniuersorum*, iuxta illud. 1. Para-
p. cap. 29. *Cuncta quæ in cælo sunt & in terra, tua sunt*.
st etiam *Dominus* absq; superiori supremus, vtpote
x regum & *Dominus dominantium*; *solus Dominus & so-
s altissimus super omnem terram*. Deuteron. 10. Psal. 82.
x quibus emergit seruitij & obedientiæ necessitas,
uemadmodum declarauit Dominus, Leuit. 20. 21.
22. & cum in fronte Decalogi præmissum voluit;
go Dominus Deus tuus, & cum in fine veterum præ-
eptorum frequentissimè additum: *Ego Dominus*.
uod Prophetæ imitati, passim addunt commina-
onibus: *Dicit Dominus exercituum*. Hinc illæ in scri-
turis Dei voces Hierem. 5. *Me, inquit Dominus, non
timebitis?*

Domini titulum Deo ante hominis creationem non tributum.

Seruitus Deo vt Domino, iure debita.

timebitis? & à facie mea non dolebitis? Qui posui arenam terminum maris; præceptum sempiternum, quod non præteribit & commouebuntur, & nō poterunt: & intumescent fluctus eius, & non transibunt illud. Populo autem huic factum est cor incredulum, & exasperans; recesserunt & abierunt; & non dixerunt in corde suo: Metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluuiam temporaneam & serotinam in tempore suo, &c. Rursum idem Propheta cap. 10. *Quis non timeat te, ô rex gentium? quia tuum est decus. Inter cæteros sapientes Gentium, & in vniuersis regnis eorum nullus est similis tibi.* Sic & per Prophetam Malachiam cap. 1. *Filius honorat patrem, & seruus Dominum suum; Si ergo Pater ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi est timor meus; dicit Dominus exercituum.* Quare non seruire Domino Deo tot & tam supremis titulis *Domino nostro;* vt incredibile portentum abominatur scriptura Ierem. 2. *Obstupescite cæli super hoc, & portæ cæli desolamini vehementer;* id est, decorem omnem vestrum, quem ex me habetis, deponite, luctumq; induite. Huius rei causa subiungitur: *Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas,* &c.

Non seruire Deo, vt portentum abominatur scriptum.

Et quamuis contra iam allatam verbi *seruiendi* explicationem, imò & *Latriæ* nominis vsurpationem plurima adducat Valla in cap. 4. Matth. ea tamen nullius esse momenti, prudens rerum æstimator facile iudicabit. Id enim sibi iuris (quicquid tandem ille dicat) semper vendicarunt optimarum disciplinarum authores, vt (quò sua commodius traderent) voces quasdam sibi proprias & peculiares facerent. Id quod etiam notauit in cap. 1. Epist. ad Rom. scribens Doctissimus Sasbout, qui & Augustinum de vocabulo

Valla notatur.

cabulo

bulo *latriæ* disputantem lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 1. oc agere dicit, non vt doceat, quæ sit natiua eius vo- s signficatio, sed quem vsum habeat, tum apud scri- ores Ecclesiasticos, tum vbique ferè in sacra scri- ura.

Progenitorum nomine, non solum parentes, sed periores & maiores suos intelligit Apostolus; si- ificans ortus sui principium ab ijs esse deriuatum, i longa retrò serie Dei veri cultores extitissent; quibus hæreditatis loco, sic veram fidem & religio- m accepit Apostolus, vt cum Regio vate Psal. 118. renti optimo dicere posset; hæreditate se acqui- isse testimonia Dei in æternum; quia, inquit, *ex- atio cordis mei sunt*. Hanc namq; primam iustorũ, maximè Patriarcharum curam olim fuisse, testa- scriptura Genes. 18. qua præceperint filijs suis, lomui suæ post se, vt custodirent viam Domini, acerent iudicium & iustitiam. Neq; enim erant tenti (sicut in dictum locum obseruat Pererius) vt eximiè essent pij & religiosi erga Deum, sed in n ipsi pariter curam incumbebant, vt eandem tatem diligenter filios suos omnemq́; familiam dirent, atq; imbuerent. Sic enim de posteritate soliciti & satagentes erant, vt eiusdem grauissima ctitatis & religionis documenta & præcepta suis teris commendarent. Certum est enim, priscos s patres Moysis legem, omnemq; sacram diuina- n & humanarum rerum scripturam prægressos, a voce, & per domesticam institutionem ac disci- iam, tum filios tum posteros suos docuisse, quæ- nq; ad consequendam animi salutem æternam- foelicitatem, scire id tempus ab ijs exigebat.

Progenitorum nomine quos intelligat Paulus.

Summa iustorum erga suos liberos cura.

Doce-

Patriarchæ, posteritati plurimum consulentes.

Docebant, inquam, huius mundi, Deum esse opificem & moderatorem, à quo mortales in sanctitate & iustitia procreati fuissent, priusquam in peccatum miserè fuissent prolapsi. Hinc grauiter errantibus & delinquentibus, constitutis supplicijs, æterna prę-mia ijs esse post hanc mortalem vitam proposita subijciebant, qui iustitiam coluissent, hoc est, Dei mandata seruassent, rectiq; ducem & magistram rationem fuissent consecuti. Sanè Moyses, *in viam vniuersæ carnis* abiturus, toto Deuteronomij libro, multa præcepta reliquit, quibus Deo debita seruitutis obsequia docerentur exhibere. Quem Dauid imitatus est, 3. Reg. cap. 2. & Tobias cap. 4. qui hæreditate legabat suo filio, vt omnibus diebus vitæ suæ in mente sic Deum habere vellet, caueretq;, ne aliquādo peccato consentiens, præcepta Dei sui prætermitteret. Eum namq; qui Deum mente, hoc est, iugi cogitatione & reuerentia gerit, à veritate in errorē aut perfidiam labi est difficile, quemadmodum Prouerb. cap 3. insinuat Salomon, cum ait: *In omnibus vijs tuis cogita Dominum, & ipse diriget gressus tuos.* Cui, alioqui Gentilis, consentiens Seneca, Epist. 10. *Sic*, ait, *viue cum hominibus, tanquā Deus videat*; *Quia* (vt idem Epist. seq. subijcit) *magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cuius authoritate etiam secretum suum sanctius faciat. O felicem illum, quem non aspectus tantum, sed etiam cogitatus emendat*, &c.

9. *In conscientia pura.*

Conscientiæ nominis, duplex acceptio.

Paulo familiare dicit esse Chrysostomus, vt pro vita, *conscientiæ* vocabulum vsurpet; licet alij huius loci

loci *conscientiam*, propriè pro synderesis sobole, siue pro iudicio de particulari quodã agibili interpretantes accipiant. Quasi diceret Apostolus: Nunquam, etiam cũ Ecclesiam persequerer, aliter docui, quàm sentirem, & quàm etiam mihi conscientia dictaret.

Verum cum vna Scriptura (vbi se dat occasio) per aliam conuenienter explicari possit; eundem sensum habere videtur hic seruitutis modus cum eo, quem cap. 1. Epist. ad Rom. idem Apostol⁹ expressit: *Cui seruio*, inquit, *in spiritu meo in Euangelio filij eius*. Quod enim hic *conscientiam*, ibi *spiritum* vocat, hoc est, mentem & affectum, quo in suo Apostolatu & Euãgelica prædicatione Deo seruiebat. Quo sensu, Ioan. cap. 4. dicuntur ij esse *veri adoratores, qui patrem adorant in spiritu & veritate*, hoc est, in vera fide, in Spiritus sancti gratia, in charitate & actibus ac operibus ex his procedentibus, seclusis scilicet erroribus & figuris corporeis. Multi quidem corpore & exterius Deo seruiunt, non tamen *conscientia pura* aut mente, siue secundum interiorem hominem sibi nihil mali conscium: At viri iusti cum Paulo, non corpore duntaxat, sed etiam summa mentis puritate ministrant, sicut dictum est:

Vera huius loci interpretatio.

Mente potissimum Deo seruiendum.

Si Deus est animus nobis vt carmina dicunt;
Hic tibi præcipuè sit pura mente colendus.

Quasi Dei seruitium magis à spiritu quàm à corpore depẽdere deberet: Spiritu namq;, non Deo tantum, sed & proximo etiam absenti & distãti seruiri potest, quod secundum corpus non licet.

Verus huius loci sensus.

Deo itaq; *gratias agit* Apostolus, *cui seruit in conscientia pura*, hoc est, ea omnia faciendo, quæ ipsius conscientia dictat esse secundum Deum faciendo, ab

his verò abstinẽdo, à quib⁹ ipsius mens hortatur esse abstinendum. Quibus verbis, persuadere nititur se etiam absentis filij singularem curam gerere, subdés.

10. *Quod sine intermißione habeam tui memoriam in orationibus meis.*

Quia nunquam orabat Apostolus, quin pro Timotheo Deum deprecaretur, eumq́; haberet in memoria, quotiescumq; ad Deum orationes fundebat. Quod idem se pro Romanis fecisse dicit cap. 1. Epist. ad eos missæ. *Sine intermißione*, inquit, *memoriam vestri facio semper in orationibus meis:* Volens dicere, se ita *Deo in conscientia pura seruire*, vt etiam Romanorũ aut Timothei, à quibus corpore aberat, spiritu tamen & affectu, quib⁹ præsens erat, curam gereret paternam. Intelligẽda est autem illa Pauli *sine intermißione* de Timotheo *memoria*, dicta vel ꝑ hyperbolen, ita vt dicat aliquis, *sine intermißione* alicuius *memoriam facere* siue *habere*, qui statutis tẽporibus ꝓ eo orat. Quo pacto, Petrus & Ioannes sine intermissione orabant, cum ad statutas orationis horas ascendebant in templũ, vt de Nona Act. 3. legitur. Vel intelligenda est moraliter, quia videlicet id sæpius in die faciebat, hocq; vnũ illi curæ erat. Sic sine intermissione studet quis, versatq; libros diurna nocturnaq́; manu, orat semper, nunq̃ non operatur, quamuis naturæ satisfaciat, vacetq́; aliquãdo seu dormiens seu cibum capiens. Vel deniq; dicitur semper orare, cui orationis scopus (qui bonum est) ob oculos mentis semper obuersatur. Et sic tandiu homo orat, quandiu agit, vt in Deum tendat; hocq; modo semper orat is, qui totam vitam suam in Deum ordinat, nihil aduersus eum admittens. Ita semper orare, est benefacere, quo sensu accepit

Pauli, sine intermißione oratio, quomodo intelligenda?

1. (Petrus & Ioannes …)

2. (Vel intelligenda est moraliter …)

3. (Vel deniq; …)

Semper orat, qui bene viuit.

cepit Dominus Luc. 18. cum ait: *Oportet semper orare,*
& nunquam deficere. Et Apostolus: *Sine intermissione*
orate: Quod præceptum ad tempus reuocandum
non est, sed ad iugem vitæ in Deum ordinationem.

Est autem latum discrimen inter *recordari, facere*
mentionem, & *facere* siue *habere memoriam*. *Recordatur*
enim quis alicuius rei, quando ei res præterita in
mentem venit. *Facere* vero *mentionem* ad colloquium
pertinet, quo quis cū altero loquitur de vno, tertio,
aut de aliquo eorum, respectu rei præteritæ. *Facere*
autem siue *habere memoriam*, ad mentis internam cō-
memorationem pertinet, & idem est, quod comme-
morationem facere, iuxta illud Psal. 111. *In memoria*
æterna erunt iusti; seu in æterna apud Deum recorda-
tione siue commemoratione, & hoc ideo, quia apud
Deum erit perpetua eorum recordatio. Vnde pu-
blica oratione cantat Ecclesia, se *offerre hostias & pre-*
ces Domino pro defunctorum animabus, *quarum me-*
moriam tunc faciūt Christi fideles, vt *de morte*, hoc est,
pœnis, ad vitam quietam transire valeāt. Sic Dauid,
cum dicebat Psal. 136. *Adhæreat lingua mea faucibus*
meis, si non meminero tui, vel memoriam tui fecero,
proponendo videlicet te coram Deo, qui respicit o-
rationes humilium. Proponuntur enim illi, pro
quibus sancti orant, conspectui diuino, prout & cæ-
tera Sanctorum facta. Quare mulier ad Heliam 1.
Reg. 17. *Ingressus es ad me*, inquit, *vt rememorentur ini-*
quitates meæ: Quasi illud sit Deo in memoria, quod ei
per nos proponitur. Vnde & Moyses dicebat Exod.
32. *Recordare Abraham Isaac & Iacob*, licet Deus actua-
lem semper haberet eorum memoriam, etiam ante-
quam essent, vtpote qui *vocet ea, quæ non sunt, tanquam*

Discrimen inter recordari, facere mentionem, habere memoriam.

ea quæ sunt. Rom. 4. *Memoriam* itaq; Timothei *faciebat* Apostolus *in suis orationibus*, diuino conspectui eundem proponendo, vt Deus eius semper recordaretur.

11. *Nocte & die desiderans te videre, memor lacrymarum tuarum, vt gaudio implear.*

Pauli incredibilis in Timotheum amor.

Incredibilis affectus & amoris sui teneritudinem erga Timotheum exaggerat, cuius vnius videndi tanto desiderio se iugiter teneri cõfitetur, vt ex ipsius conspectus amœnitate, aliquid consolationis carceri mancipatus accipiat. Quasi diceret; Me, tametsi ab omni humanitate alienum, omnisq; amicitiæ expertem natura progenuisset, memoria tamen earum lacrymarum (quas à me tanquam ab vberibus matris diuellendus fundebas) eiusmodi in visceribus meis radices egit, vt tui facile obliuisci non possim. Siue enim vigilo, siue dormio, mihi semper ob oculos obuersatur flagrans amor ille, quem fusæ testabantur in meo à te discessu, lacrymæ. Hæc enim vere amantibus opinio inest, quasi plurimum mali & incómodi ex rei amatæ disiunctione sit expectandum, quemadmodum v.g. à parentum cõspectu & cohabitatione diuellendi primum liberi, lacrymarum vberi profusione idipsum sæpe testantur; quasi innato sibi subsidio essent destituti.

Lacrymari solent, separandi ab inuicem synceri amici.

Ad horum imitationem sinceri amici à se inuicem disiungendi, similem dolorem intestinum verecundo fletu sæpe dissimulare non possunt. Hoc enim potest communis virtutum vsus, & vitæ pariter

actæ

nctæ consuetudo. Quod si naturalis amor ad hoc impellit; quanto magis charitas, quæ vnius moris in domo habitare faciens Christianos, in vnitate scilicet fidei conspirantes tam arctè constringit, vt sine expresso doloris sensu ab inuicem separari frequenter non possint. Cuius rei testis locupletissimus esse potest noster Timotheus, Ephesinus Episcopus, & alij eiusdem Ecclesiæ maiores natu, quorum *omnium magnus fletus est factus, dolentium maximè in verbo quod dixerat Paulus; quoniam faciem eius non erant amplius visuri*, prout narrant Acta Apost. cap. 20. Sunt enim lacrymæ, indices & ilices pietatis humanitatisq;, & in Dei donis vnum censetur lacrymarum, quod sancti & Ecclesia solenni ritu sibi à Deo dari deposcunt. Quare Seneca Epist. 99. *Inhumanitatem esse*, ait, *non commoueri ad primam familiarium diuisionem.* Vnde Noëmi & duas nurus in digressu fleuisse narrat scriptura Ruth. cap. 1. Huius tamen animorum teneritudinis indicia nulla ab ijs edi solent, quorum amicitia virtute & pietate non nititur. Sic à patre mærente discedens filius prodigus, Luc. 15. non legitur fleuisse. Iudas quoque proditor Apostolico collegio deserto, præfractior factus *abijt in locum suum.* Act. cap. 1.

Lacrymæ pietatis & humanitatis indices.

12. *Recordátionem accipiens eius fidei, quæ est in te non ficta.*

Vt sensus sit planus, hæc referri debent ad participium, *desiderans*; quasi Thimotheo diceret Apostolus: Ex iugi memoria tuæ insignis & sinceræ fidei, nascitur & accenditur illud vehemens in me desiderium, te coram fruendi, teq; in vinculis dissuauiandi,

uiandi, priuſquam de me Nero vltimum ſupplicium ſumat. Ex cuius affectus declaratione fit euidens, quam conſtans orthodoxæ fidei aſſertor fuerit Timotheus, qui non modò aſſidua ſua prædicatione, ſed & heroica Euangelij propagatione, ſic ducis, vel patris potius ſui amoris ſenſum in ſe prouocauerat, vt oculorum inſtar eidem eſſet. Neq; tamen nudæ fidei illius fieri hic mentionem exiſtimandum eſt, quam cap. 11. ad Hebr. definit Apoſtolus; *Subſtantiam rerum ſperandarum argumentum non apparentium.* (cuius, tanquam inſignis depoſiti, etiam cuſtos erat, qui Epheſinæ Eccleſiæ paſtoré agebat, quæ & in peccatoribus reperiri ſolet) ſed quam D. Iacobus cap. 3. ſub ſapientiæ nomine deſcribens, *deſurſum* eſſe dicit, quæ *primum pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bonis, non iudicans, ſine ſimulatione.* Hanc eandem fidem non modo fuiſſe profeſſum, ſed acrius & animoſius prædicatam propugnaſſe Timotheum, ex ſingularum huius Epiſtolæ partium explanatione eniteſſet.

Timothei elogium.

Timothei fides non nuda, ſed perfecta laudatur.

Fidei nomine, quid intelligatur.

Fidei namq; nomine, non externam duntaxat *fidei* confeſſionem ſignificauit Apoſtolus, ſed Chriſtianæ religionis œconomiam complexus eſt, quæ in fide fundamentum habet, & in eius extrinſeca doctrina atq; profeſſione conſiſtit. Cum enim *fides* ſit *ex auditu, auditus vero per verbum Dei*, Rom. 10. cap. perſpicuum eſt, legitimi paſtoris opera ac miniſterio functum fuiſſe Timotheum, cum verbum auditus alijs prædicauit. Cuius veſtigijs omnes ij hodiè inhærent, qui legitima ſucceſſione docendi munus in Eccleſia obeunt, quibus & *ſe omnibus diebus vſq; ad cõſummationem ſæculi* affuturum eſſe, pollicitus eſt Dñs

Matth.

Matth. 28. Doctoris autem Ecclesiæ functio exigit, vt in rerum diuinarum (quæ in thesauris continẽtur *sapientiæ & scientiæ Dei*) inuestigatione versetur; ex quo omnia mortales intelligant, præmia spiritualia corporis diuitijs & voluptatibus esse pretiosiora, quæ sunt à Deo, supremo iudice, probitati & virtuti proposita. Qui namq; sapientiæ, quæ cum vera probitate siue pietate, veraq; religione coniuncta est, se compotem effectum intelliget, satis se beatum existimabit, & lætus in futurorum præmiorum spe exultans gloriabitur. Toto etenim cælo aberrant, qui diuinam scientiam diuinæq; bonitatis participationem in terra potissimum, non in cælo prouenire existimant. *Doctorum Ecclesiæ munia.*

Inde conuincitur, veram fidei cognitionem diuini alicuius muneris esse participationem, qua homo rectè & iustè agit, habetq; se sancte erga Deum & homines. Quo pertinet, quod Methodius ait; pietatem atq; religionem vocatam esse sapientiam, rem planè diuinam, atq; ab vno Deo precariò concessam esse hominibus. *Quocirca,* (inquit) *principio idem Deus partim visis, partim angelorum consuetudine atq; congressu, partim diuinorum Vatum opera ad pietatem homines erudiuit. Et hoc, vt qui sapientiam imitandi Deum habet, Deum peculiari ratione & familiari scientia cognoscat.* Hinc Exod. cap. 33. Deum deprecans Moyses: *Ostende,* inquit, *viam tuam, vt ingrediar* (vitæ actionibus & pietatis exercitio) *vt sciam te,* id est, vt discam mores tuos meis repræsentare & adumbrare. Quia, qui Domini vias scire cupit, & tamen Dei sui iudiciũ derelinquit, à Deo irridetur, Esai. 58. Sicut & cum populum Esaiæ cap. 11. increpat, qui illum non intellexit, *In quo sita sit vera fidei cognitio.*

tellexit, animiq; affectu & bona gratia eidem debitum obsequium non reddidit, perinde ac si illum nō nouisset. Recte proinde cap. 28. interrogans Iob, vbi hæc fidei cognitio siue sapientia inueniatur, & quis ipsius sit locus, respondet, non inter pretiosissimas gemmas & metalla, nec in vllis terræ angulis, aut maris penetralibus; sed de *sursum* esse, longeq; diuersam ab illa, quæ *terrena* est, *animalis*, *Diabolica*, Iacob. 3. *Terrena*, inquam, quòd terræ opes concupiscat, sicut & *animalis*, quòd voluptates: *diabolica*, quòd honores.

Varij simulatæ fidei gradus.

Ex quibus, varios fictæ simulatæq; fidei gradus facilè est deducere: quorum primus est eorum, qui fidem in baptismo *ore profitentur*, sed eam *corde ad salutem non credunt*, Rom. 10. cuiusmodi fuit Simon Magus, quem Cyrillus Hierosol. cath. 3. *hypocritam & ostentatorem* vocat, qui deuotionem simulet, non ex corde credat, &c. Cui consentiens Augustin. tract. 6. in Ioan. & in exposit. 150. Psal. dicit, quod Simon in Ecclesiam, vt coruus, est ingressus, *quærens quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi*; in Christianis potentiam magis amans, quàm iustitiam. Et, ait idem quæst. 84. in Leuit. quòd nihil profuit illi visibilis baptismus, cui sanctificatio inuisibilis defuit. Lib. 2. cōtra Epist. Petiliani cap. 7. & 102. quod mortuus erat Simon à Philippo in Samaria baptizatus, sed viuebat ad eius pœnam baptisma quod habebat. In hoc hypocriseos genere Simonem secuti sunt postea Elcesaitæ de quibus ex Origine Eusebius, lib. 6. hist. cap. 2. Priscillinistæ apud Augustin. de hæres. c. 70. Bogamili, teste Zonara in |Alexio| Imp. Eandem hypocrisim docuisse Mahometum in Alcorano certū est,

Hypocritica fides.

& de

& de Anabaptistis clancularijs proditum est à Frider. Staphilo part. 3. The. Luther & de Libertinis ab ipso Caluino, in eo libro, quem contra eos scripsit. Quare lib. de mendatio, ad Consentium, docet Augustinus, non esse licitum ad conuertendos Hæreticorum animos, simulare ipsorum hæresim.

Secundus gradus est eorum, quos Paulus in priore Epist. cap. 1. dehortãdos monet, ne præcepti fine (charitate scilicet) neglecto, *intendant fabulis & genealogijs interminatis, quæ quæstiones præstant magis quàm ædificationem Dei, quæ est in fide*; qui videlicet ambitionis, quæstus, voluptatisue duntaxat gratia, fidei profitendæ munus suscipiunt, ad hocq; docent & publicas cathedras ambiunt, vt cum Pharisæis monstrari possint digito, *& dicier, hi sunt*. *2. Gradus.*

Tertius gradus est eorum, qui fideles dici volũt, semperq; pietatem in ore habent, quædam pietatis opera externa faciunt, vt hominibus sancti appareãt; sed tamẽ omnia ficta religionis specie exercẽt, cũ corde & intẽtione, dataq; opera hypocritæ sint, quos, tãquam simulatores & callidos, *iram Dei prouocare*, dicit Iob, cap. 26. Indignatur enim Deus, quod hypocrita cum illo velit agere, tanquam cum mortuo, & sensus omnis experte idolo, quod colitur externis officijs & ceremonijs, neq; requirit illius religio internam animi pietatem & deuotionem: Sicut Saüli à Samuële dictum est ex Dei nomine 1. Reg. 15. *Numquid vult Deus holocausta & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini? Quoniam quasi scelus idololatriæ est, nolle acquiescere*; id est, Deo tantum externa offerre, non item cor & voluntatis affectum, cum tamen hęc sint potissima, & à quibus externæ ceremo- *3. Gradus.* *Hypocritis indignatur Deus.*

Patriarchæ, posteritati plurimum consulentes.

Docebant, inquam, huius mundi, Deum esse opificem & moderatorem, à quo mortales in sanctitate & iustitia procreati fuissent, priusquam in peccatum miserè fuissent prolapsi. Hinc grauiter errantibus & delinquentibus, constitutis supplicijs, æterna præmia ijs esse post hanc mortalem vitam proposita subijciebant, qui iustitiam coluissent, hoc est, Dei mandata seruassent, rectiq; ducem & magistram rationem fuissent consecuti. Sanè Moyses, *in viam vniuersæ carnis* abiturus, toto Deuteronomij libro, multa præcepta reliquit, quibus Deo debita seruitutis obsequia docerentur exhibere. Quem Dauid imitatus est, 3. Reg. cap. 2. & Tobias cap. 4. qui hæreditate legabat suo filio, vt omnibus diebus vitæ suæ in mente sic Deum habere vellet, caueretq́;, ne aliquãdo peccato consentiens, præcepta Dei sui prætermitteret. Eum namq; qui Deum mente, hoc est, iugi cogitatione & reuerentia gerit, à veritate in errorẽ aut perfidiam labi est difficile, quemadmodum Prouerb. cap 3. insinuat Salomon, cum ait: *In omnibus vijs tuis cogita Dominum, & ipse diriget gressus tuos.* Cui, alioqui Gentilis, consentiens Seneca, Epist. 10. *Sic*, ait, *viue cum hominibus, tanquã Deus videat; Quia* (vt idem Epist. seq. subijcit) *magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cuius authoritate etiam secretum suum sanctius faciat. O felicem illum, quem non aspectus tantum, sed etiam cogitatus emendat*, &c.

9. *In conscientia pura.*

Conscientiæ nominis, duplex acceptio.

Paulo familiare dicit esse Chrysostomus, vt pro vita, *conscientiæ* vocabulum vsurpet; licet alij huius

loci

loci *conscientiam*, propriè pro syndereſis ſobole, ſiue pro iudicio de particulari quodá agibili interpretantes accipiant. Quaſi diceret Apoſtolus: Nunquam, etiam cũ Eccleſiam perſequerer, aliter docui, quàm ſentirem, & quàm etiam mihi conſcientia dictaret.

Verum cum vna Scriptura (vbi ſe dat occaſio) per aliam conuenienter explicari poſſit; eundem ſenſum habere videtur hic ſeruitutis modus cum eo, quem cap. 1. Epiſt. ad Rom. idem Apoſtol⁹ expreſſit: *Cui ſeruio*, inquit, *in ſpiritu meo in Euangelio filij eius.* Quod enim hic *conſcientiam*, ibi *ſpiritum* vocat, hoc eſt, mentem & affectum, quo in ſuo Apoſtolatu & Euãgelica prædicatione Deo ſeruiebat. Quo ſenſu, Ioan. cap. 4. dicuntur ij eſſe *veri adoratores, qui patrem adorant in ſpiritu & veritate*, hoc eſt, in vera fide, in Spiritus ſancti gratia, in charitate & actibus ac operibus ex his procedentibus, ſecluſis ſcilicet erroribus & figuris corporeis. Multi quidem corpore & exterius Deo ſeruiunt, non tamen *conſcientia pura* aut mente, ſiue ſecundum interiorem hominem ſibi nihil mali conſcium: At viri iuſti cum Paulo, non corpore duntaxat, ſed etiam ſumma mentis puritate miniſtrant, ſicut dictum eſt: *Vera huius loci interpretatio.* *Mente potiſſimum Deo ſeruiendum.*

Si Deus eſt animus nobis vt carmina dicunt;
Hic tibi præcipuè ſit pura mente colendus.

Quaſi Dei ſeruitium magis à ſpiritu quàm à corpore depẽdere deberet: Spiritu namq;, non Deo tantum, ſed & proximo etiam abſenti & diſtãti ſeruiri poteſt, quod ſecundum corpus non licet.

Deo itaq; *gratias agit* Apoſtolus, *cui ſeruit in conſcientia pura*, hoc eſt, ea omnia faciendo, quæ ipſius conſcientia dictat eſſe ſecundum Deum faciendo, ab *Verus huius loci ſenſus.*

his verò abstinẽdo, à quib⁹ ipsius mens hortatur esse abstinendum. Quibus verbis, persuadere nititur se etiam absentis filij singularem curam gerere, subdés.

10. Quod sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis.

Quia nunquam orabat Apostolus, quin pro Timotheo Deum deprecaretur, eumq́; haberet in memoria, quotiescumq; ad Deum orationes fundebat. Quod idem se pro Romanis fecisse dicit cap. 1. Epist. ad eos missæ. *Sine intermissione*, inquit, *memoriam vestri facio semper in orationibus meis*: Volens dicere, se ita *Deo in conscientia pura seruire*, vt etiam Romanorũ aut Timothei, à quibus corpore aberat, spiritu tamen & affectu, quib⁹ præsens erat, curam gereret paternam. Intelligẽda est autem illa Pauli *sine intermissione* de Timotheo *memoria*, dicta vel ꝑ hyperbolen, ita vt dicat aliquis, *sine intermissione* alicuius *memoriam facere* siue *habere*, qui statutis tẽporibus ꝓ eo orat. Quo pacto,

Pauli, sine intermissione oratio, quomodo intelligenda?

1. Petrus & Ioannes sine intermissione orabant, cum ad statutas orationis horas ascendebant in templũ, vt de
2. Nona Act. 3. legitur. Vel intelligenda est moraliter, quia videlicet id sæpius in die faciebat, hocq; vnũ illi curæ erat. Sic sine intermissione studet quis, versatq; libros diurna nocturnaq́; manu, orat semper, nunq̃ non operatur, quamuis naturæ satisfaciat, vacetq́;
3. aliquãdo seu dormiens seu cibum capiens. Vel deniq; dicitur semper orare, cui orationis scopus (qui bonum est) ob oculos mentis semper obuersatur. Et sic tandiu homo orat, quandiu agit, vt in Deum tendat; hocq; modo semper orat is, qui totam vitam suam in Deum ordinat, nihil aduersus eum admittens. Ita semper orare, est benefacere, quo sensu accepit

Semper orat, qui bene viuit.

cepit Dominus Luc. 18. cum ait: *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere.* Et Apoſtolus: *Sine intermiſſione orate.* Quod præceptum ad tempus reuocandum non eſt, ſed ad iugem vitæ in Deum ordinationem.

Eſt autem latum diſcrimen inter *recordari, facere mentionem,* & *facere* ſiue *habere memoriam.* *Recordatur* enim quis alicuius rei, quando ei res præterita in mentem venit. *Facere* vero *mentionem* ad colloquium pertinet, quo quis cũ altero loquitur de vno, tertio, aut de aliquo eorum, reſpectu rei præteritæ. *Facere* autem ſiue *habere memoriam,* ad mentis internam cõmemorationem pertinet, & idem eſt, quod commemorationem facere, iuxta illud Pſal. 111. *In memoria æterna erunt iuſti;* ſeu in æterna apud Deum recordatione ſiue commemoratione, & hoc ideo, quia apud Deum erit perpetua eorum recordatio. Vnde publica oratione cantat Eccleſia, ſe *offerre hoſtias & preces Domino* pro defunctorum animabus, *quarum memoriam* tunc faciũt Chriſti fideles, vt *de morte,* hoc eſt, pœnis, ad vitam quietam tranſire valeãt. Sic Dauid, cum dicebat Pſal. 136. *Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui,* vel memoriam tui fecero, proponendo videlicet te coram Deo, qui reſpicit orationes humilium. Proponuntur enim illi, pro quibus ſancti orant, conſpectui diuino, prout & cætera Sanctorum facta. Quare mulier ad Heliam 1. Reg. 17. *Ingreſſus es ad me,* inquit, *vt rememorentur iniquitates meæ:* Quaſi illud ſit Deo in memoria, quod ei per nos proponitur. Vnde & Moyſes dicebat Exod. 23. *Recordare Abraham Iſaac & Iacob,* licet Deus actualem ſemper haberet eorum memoriam, etiam antequam eſſent, vtpote qui *vocet ea, quæ non ſunt, tanquam*

Diſcrimen inter recordari, facere mentionem, habere memoriam.

ea quæ sunt. Rom. 4. *Memoriam* itaq; Timothei *faciebat* Apostolus *in suis orationibus*, diuino conspectui eundem proponendo, vt Deus eius semper recordaretur.

11. *Nocte & die desiderans te videre, memor lacrymarum tuarum, vt gaudio implear.*

Pauli incredibilis in Timotheum amor.

Incredibilis affectus & amoris sui teneritudinem erga Timotheum exaggerat, cuius vnius videndi tanto desiderio se iugiter teneri cõfitetur, vt ex ipsius conspectus amœnitate, aliquid consolationis carceri mancipatus accipiat. Quasi diceret; Me, tametsi ab omni humanitate alienum, omnisq; amicitiæ expertem natura progenuisset, memoria tamen earum lacrymarum (quas à me tanquam ab vberibus matris diuellendus fundebas) eiusmodi in visceribus meis radices egit, vt tui facile obliuisci non possim. Siue enim vigilo, siue dormio, mihi semper ob oculos obuersatur flagrans amor ille, quem fusæ testabantur in meo à te discessu, lacrymæ. Hæc enim vere amantibus opinio inest, quasi plurimum mali & incõmodi ex rei amatæ disiunctione sit expectandum, quemadmodum v.g. à parentum cõspectu & cohabitatione diuellendi primum liberi, lacrymarum vberi profusione idipsum sæpe testantur; quasi innato sibi subsidio essent destituti.

Lacrymari solent, separandi ab inuicem synceri amici.

Ad horum imitationem sinceri amici à se inuicem disiungendi, similem dolorem intestinum verecundo fletu sæpe dissimulare non possunt. Hoc enim potest communis virtutum vsus, & vitæ pariter actæ

actæ consuetudo. Quod si naturalis amor ad hoc impellit; quanto magis charitas, quæ vnius moris in domo habitare faciens Christianos, in vnitate scilicet fidei conspirantes tam arctè constringit, vt sine expresso doloris sensu ab inuicem separari frequenter non possint. Cuius rei testis locupletissimus esse potest noster Timotheus, Ephesinus Episcopus, & alij eiusdem Ecclesiæ maiores natu, quorum *omnium magnus fletus est factus, dolentium maximè in verbo quod dixerat Paulus; quoniam faciem eius non erant amplius visuri*, prout narrant Acta Apost. cap. 20. Sunt enim lacrymæ, indices & ilices pietatis humanitatisq;, & in Dei donis vnum censetur lacrymarum, quod sancti & Ecclesia solenni ritu sibi à Deo dari deposcunt. Quare Seneca Epist. 99. *Inhumanitatem esse*, ait, *non commoueri ad primam familiarium diuisionem*. Vnde Noëmi & duas nurus in digressu fleuisse narrat scriptura Ruth. cap. 1. Huius tamen animorum teneritudinis indicia nulla ab ijs edi solent, quorum amicitia virtute & pietate non nititur. Sic à patre mærente discedens filius prodigus, Luc. 15. non legitur fleuisse. Iudas quoque proditor Apostolico collegio deserto, præfractior factus *abijt in locum suum*. Act. cap. 1.

Lacrymæ pietatis & humanitatis indices.

12. *Recordátionem accipiens eius fidei, quæ est in te non ficta.*

Vt sensus sit planus, hæc referri debent ad participium, *desiderans*; quasi Thimotheo diceret Apostolus: Ex iugi memoria tuæ insignis & sinceræ fidei, nascitur & accenditur illud vehemens in me desiderium, te coram fruendi, teq; in vinculis dissua-

 uiandi,

niandi, priusquam de me Nero vltimum supplicium sumat. Ex cuius affectus declaratione fit euidens, quam constans orthodoxæ fidei assertor fuerit Timotheus, qui non modò assidua sua prædicatione, sed & heroica Euangelij propagatione, sic ducis, vel patris potius sui amoris sensum in se prouocauerat, vt oculorum instar eidem esset. Neq; tamen nudæ fidei illius fieri hic mentionem existimandum est, quam cap. 11. ad Hebr. definit Apostolus; *Substantiam rerum sperandarum argumentum non apparentium.* (cuius, tanquam insignis depositi, etiam custos erat, qui Ephesinæ Ecclesiæ pastoré agebat, quæ & in peccatoribus reperiri solet) sed quam D. Iacobus cap. 3. sub sapientiæ nomine describens, *desursum* esse dicit, quæ *primum pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia & fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione.* Hanc eandem fidem non modo fuisse professum, sed acrius & animosius prædicatam propugnasse Timotheum, ex singularum huius Epistolæ partium explanatione enitesset. *Fidei* namq; nomine, non externam duntaxat *fidei* confessionem significauit Apostolus, sed Christianæ religionis œconomiam complexus est, quæ in fide fundamentum habet, & in eius extrinseca doctrina atq; professione consistit. Cum enim *fides* fit *ex auditu, auditus vero per verbum Dei*, Rom. 10. cap. perspicuum est, legitimi pastoris opera ac ministerio functum fuisse Timotheum, cum verbum auditus alijs prædicauit. Cuius vestigijs omnes ij hodiè inhærent, qui legitima successione docendi munus in Ecclesia obeunt, quibus & *se omnibus diebus vsq; ad cōsummationem sæculi* affuturum esse, pollicitus est Dñs

Timothei elogium.

Timothei fides non nuda, sed perfecta laudatur.

Fidei nomine, quid intelligatur.

Matth.

Matth. 28. Doctoris autem Eccleſiæ functio exigit, vt in rerum diuinarum (quæ in theſauris continẽtur *ſapientiæ & ſcientiæ Dei*) inueſtigatione verſetur; ex quo omnia mortales intelligant, præmia ſpiritualia corporis diuitijs & voluptatibus eſſe pretioſiora, quæ ſunt à Deo, ſupremo iudice, probitati & virtuti propoſita. Qui namq; ſapientiæ, quæ cum vera probitate ſiue pietate, veraq; religione coniuncta eſt, ſe compotem effectum intelliget, ſatis ſe beatum exiſtimabit, & lætus in futurorum præmiorum ſpe exultans gloriabitur. Toto etenim cælo aberrant, qui diuinam ſcientiam diuinæq; bonitatis participationem in terra potiſſimum, non in cælo prouenire exiſtimant. *Doctorum Eccleſiæ munus.*

Inde conuincitur, veram fidei cognitionem diuini alicuius muneris eſſe participationem, qua homo rectè & iuſtè agit, habetq; ſe ſanctè erga Deum & homines. Quo pertinet, quod Methodius ait; pietatem atq; religionem vocatam eſſe ſapientiam, rem planè diuinam, atq; ab vno Deo precariò conceſſam eſſe hominibus. *Quocirca,* (inquit) *principio idem Deus partim viſis, partim angelorum conſuetudine atq; congreſſu, partim diuinorum Vatum opera ad pietatem homines erudiuit. Et hoc, vt qui ſapientiam imitandi Deum habet, Deum peculiari ratione & familiari ſcientia cognoſcat.* Hinc Exod. cap. 33. Deum deprecans Moyſes: *Oſtende,* inquit, *viam tuam, vt ingrediar* (vitæ actionibus & pietatis exercitio) *vt ſciam te,* id eſt, vt diſcam mores tuos meis repræſentare & adumbrare. Quia, qui Domini vias ſcire cupit, & tamen Dei ſui iudiciũ derelinquit, à Deo irridetur, Eſai. 58. Sicut & eum populum Eſaiæ cap. 11. increpat, qui illum non intellexit, *In quo ſita ſit vera fidei cognitio.*

& de Anabaptistis clancularijs proditum est à Frider. Staphilo part. 3. The. Luther & de Libertinis ab ipso Caluino, in eo libro, quem contra eos scripsit. Quare lib. de mendatio, ad Consentium, docet Augustinus, non esse licitum ad conuertendos Hæreticorum animos, simulare ipsorum hæresim.

Secundus gradus est eorum, quos Paulus in priore Epist. cap. 1. dehortãdos monet, ne præcepti fine (charitate scilicet) neglecto, *intendant fabulis & genealogijs interminatis, quæ quæstiones præstant magis quàm ædificationem Dei, quæ est in fide*; qui videlicẽt ambitionis, quæstus, voluptatisue duntaxat gratia, fidei profitendæ munus suscipiunt, ad hocq; docent & publicas cathedras ambiunt, vt cum Pharisæis monstrari possint digito, *& dicier, hi sunt.* 2. *Gradus.*

Tertius gradus est eorum, qui fideles dici volũt, semperq; pietatem in ore habent, quædam pietatis opera externa faciunt, vt hominibus sancti appareãt; sed tamẽ omnia ficta religionis specie exercẽt, cũ corde & intẽtione, dataq; opera hypocritæ sint, quos, tãquam simulatores & callidos, *iram Dei prouocare*, dicit Iob, cap. 26. Indignatur enim Deus, quod hypocrita cum illo velit agere, tanquam cum mortuo, & sensus omnis experte idolo, quod colitur externis officijs & ceremonijs, neq; requirit illius religio internam animi pietatem & deuotionem: Sicut Saüli à Samuële dictum est ex Dei nomine 1. Reg. 15. *Numquid vult Deus holocausta & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini? Quoniam quasi scelus idololatriæ est, nolle acquiescere*; id est, Deo tantum externa offerre, non item cor & voluntatis affectum, cum tamen hęc sint potissima, & à quibus externæ ceremo- 3. *Gradus.* *Hypocritis indignatur Deus.*

niæ valorem sumunt. Ergo indignatur meritò adversus hypocritas Dominus, qui *offerunt ei debile & clandum, & quæ ignobiliora sunt.* Huiusmodi sunt Lutherani & Caluinistæ, qui Deum solius (nescio cuius) fidei, mortuæ scilicet, vana professione, præconioq; placari, coliq; iactitant; quorum videtur Paulus meminisse ad Tit. cap. 1. cum *factis Deum negare* affirmat, quem tamen (ore duntaxat) *se nosse confitentur*; cum tamen *Spiritus sanctus disciplinæ, fictum effugiat, & auferat se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu.* Sap. 1.

Sectarij, veri hypocritæ.

13. *Quæ & habitauit primum in auia tua Loide & matre tua Eunice, &c.*

Habitãdi verbum, quid denotet?

Quod altas in aliquo radices egit, verbo *habitandi* exprimunt Hebræi, quo Paulus hoc loco sinceræ in Timotheo fidei vim exaggeraturus, vtitur; vt ex Christiana domo (quę iamdudum Christo seruierat) ab *auia* nempe *Loide*, per *matrem Eunicen*, ad ipsum nepotem Timoheum, quasi iure quodam hæreditario deriuatam esse comprobet. Quibus antiquum veræ nobilitatis genus in Timotheo fuisse, videtur velle insinuare Apostolus; cum non ipsius Timothei duntaxat, sed & eius *matris*, imo & *auiæ* sinceram fidem ita deprædicat, vt in ijsdem fixo quasi domicilio semper *habitasse* declaret. Consistit enim vera nobilitas, non tam in generis & natalium splendore, quàm in fidei & pietatis studio, morumq; probitate, quemadmodum ex plurimis SS. Scripturę locis fit euidentissimum, in quibus & fidei & probitatis à maioribus ad posteros deriuata nobilitas sæpissimè prædicatur. Sic enim Paulus Rom. 16. *Salutate,* inquit, *Andronicum & Iuliam, qui sunt nobiles in Apostolis.*

Timotheus verè nobilis.

In quo consistat vera nobilitas.

1. Corinth.

I. Corinth. 4. *Vos nobiles in Christo, nos autem ignobiles.* Et Lucas Act. 17. de Berœensibus ait: *Hi erant nobiliores eorum qui sunt Thessalonicæ, qui susceperunt verbum cum omni auiditate.* Ad hanc virtutis siue *fidei* nobilitatem respiciens Regius vates, postquam plurimas nationes & populos numerasset, qui veræ fidei Ecclesiæ essent nomina daturi, vt *Rhaab*, id est Ægyptios, *Babylonios, alienigenas* (Philistæos) & *Tyrum & populum Æthiopum*, subiungit: *Nunquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea?* Vbi aduerte geminata hæc duo nomina *homo* & *homo* posita esse pro *vir* & *vir*: quæ in scriptura solent esse honoris & dignitatis nomina; quemadmodum patet ex ea *viri* & *hominis* oppositione, quæ est apud Sapientem Prouerb. 8. & Esaiam cap. 2. *Viri*, inquit Sapiens, *ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum*, id est, tam nobiles quam ignobiles alloquor. Et; *Incuruauit se homo*, inquit Esaias, *& humiliatus est vir*, id est, cum vulgo & plebe principes etiam & nobiliores genu flexerunt idolis. Quam viro etiam habet solitarie positum viri nomen. 1. Reg. 26. cum dixit Dauid ab Abner principem militiæ Saul, sub eodem pariter tentorio dormientem: *Numquid non vir tu es* (præclarus, insignis, nobilis, Regi amicissimus) *& quis alius similis tui in Israël.* Quam etiam *viri* vocem in eadem significatione vsurpasse videtur idem Dauid, conquerens de Saule rege & eius principibus se indefesse persequentibus, Psal. 4. *Filij hominum vsquequo graui corde*, &c. Quare quod omnes veræ Ecclesiæ ciues, non solum immenso numero, sed nobilitate etiam & ortu sint clarissimi, ita mirandum deprędicat citato Psal. 86. Regius vates, vt de hoc quemq; ad gratulandum eidem inuitet.

Virtus vere nobilem efficit.

Viri nomen in scriptura honoris & dignitatis.

Vera, quæ à virtute desumitur, nobilitatis præstantia.

Porro, tanta est illius quæ à virtutis desumitur nobilitatis præstantia, vt, quæ suum sibi honorem iure deferri postulat generis & natalium claritas, (quod argentum sit, splendoremq; habeat) omnem tamen æstimationem & splendorem amittat, nisi cum illa pietatis & virtutum vera nobilitate sit coniuncta. Necessario enim audienda esset illa Esaiæ exprobratio, cum ait cap. 1. *Argentum tuum versum est in scoriam.* Qui namq; eam virtutis nobilitatem abijciunt, licet filij candidorum pro sua nobilitate & generis candore habeantur, in non minus tamen obscuros, quam Æthiopes teterrimos & abiectissimos euadunt, iuxta illud Amos 9. *Nunquid non vt filij Æthiopum vos estis mihi filij Israel? ait Dominus,* &c. Vbi Propheta homines sceleratos non solùm *æthiopes* & vilissima mancipia nominat; sed quãtumuis Israële & Abrahamo progenitos, *Idumæos.* Esaias cap. 1. *Principes Sodomorum & Gomorrhæ populum.* Ezechiel, cap. 16. *Cananæos, Amorrhæos, Cethæos;* Paulus deniq; Rom. 2. *Non veros Iudæos, sed Iudæos cognomine tantum;* Qui postquam de hac re plura disseruit; subiungit: *Non enim qui in manifesto Iudæus est* (id est, qui suum genus manifestè probare potest ex Abrahamo patre circumcisionis) *sed qui in abscondito Iudæus est, & circumcisio cordis in spiritu non litera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.*

Absq; virtute, nulla nobilitas

De genere, nec gloriãdum, nec erubescendum apud Deum.

Ex quibus colligitur nemini apud Deum, vel de generis nobilitate gloriandum, vel de obscura sanguinis vilitate erubescendum; eò quòd filiorum Dei generatio non sit *ex sanguinibus, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo,* Ioan. 1. Vnde cum mysterium de Gentium conuersione, & concorporatione & comparticipatione

cipatione promissionum à Deo Israëlitis factarum scriberet Ephesijs, qui ex Gentibus crediderant, Apostolus, ne, quod non essent ex Iudæorum genere, putarent inuestigabiles illas Christi diuitias ad se non pertinere: *Huius rei,* inquit cap. 3. *gratia flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur.* Quasi diceret: Quamuis non sitis ex patre Abraham, neq; ex aliqua illarum illustrium duodecim tribuum, non ideo minus nobiles censebimini apud Deum, cum filij Dei sitis. Nam si quæ tribus, aut paternitas nominatur, id est, celebre ac illustre nomen habet, non tam ex sanguine habet progenitoris, quam ex Deo. Vnde nihil nocuit Iephte, quod filius esset meretricis, quãquam (vt dixit Satyricus, Sat. 6.) *oderunt natos de pellice;* quo minus adipisceretur repromissiones; sicut nec Rhaab meretrici, quod cauponariam exerceret & quod alienigena esset. Omnes enim cuiuscumq; gentis & conditionis homines, quantumuis viles & abiectos alloquens Esaias cap. 56. *Beatus vir,* inquit, *qui facit hoc, & filius hominis qui apprehendet istud, custodiens Sabbatum, ne polluat illud, custodiens manus suas, ne faciat omne malum.* Quibus verbis, tantum abest, vt eum quantumuis abiectissimum, Dei tamen præcepta custodientem miserum dicat Propheta, quin potius beatum, nobilem potentemq; virum eundem prædicet, vt qui morum innocentia, vitæq; sanctitate noua quasi creatura factus, & de integro quasi interpolitus, nobilitatis iure gaudeat. Quare plurimum desipiunt filij Belial, dum Saülem cõtemnunt, quod filius Iemeni sit de minima tribu Israel. 1. Reg. 9.

A Deo vera nobilitas.

Tametsi vero dictũ sit; *& genus & proauos & quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra putanda*, in religionis tamen, & veræ fidei propagatione locum non habere, sit euidentissimum, cum eam à maioribus in posteros deriuatam, matris & auiæ Timothei nominum expressione vehementer commendet Apostolus. In quo etiam genere maiorum monumenta dilaudãt Monicas, Simphorosas, ac Felicitates, quæ filios; Cecilias, quæ Valerianos; Natalias, quæ Hadrianos; Marthas, quæ Marios reddidere pios, vt ex earum actis patet.

Generis igitur sui antiquitatem laudent mundi cultores, qui in præclaris maiorum suorum gestis præsidij plurimum ponunt: At veri Christiani laudãt viros gloriosos & patres suos in generatione sua, quibus *multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua à sæculo.* Eccles. 44. Ad eos, tanquam *ad petram, vnde excisi sunt, attendũt, & ad cauernam laci, vnde sunt præcisi.* Esai. 51. *Attendunt ad Abraham patrem suum, & ad Saram, quæ ipsos peperit:* Ad Christum nempe, & ipsius sponsam Ecclesiam, à quibus primam ortus sui cælestis spiritualem sumpsere originem: Attendunt, inquam, ad successores Apostolorum, Pastores & Doctores, *quos* Deus *dedit ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurrant omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi: vt non sint paruuli fluctuantes, & circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum in astutia ad circumuentionem erroris.* Eph. 4. In ijs non summam sapientiam, non nobilitatem, non opes, non potentiam: (*Videte* enim, ait Paulus 1. Corinth. 1. *fratres vocatio-*

Iusti homines nobilitatem vnde desumãt

nem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, &c.) sed fidem, innocentiam, charitatem, sanctitatem, & omnium virtutum diuinarum diuitias suscipiũt, quarum ope & præsidio, ex errorum tenebris in admirabile lumen sunt adducti.

Cur Timothei pater hoc loco prætermissus.

In hac autem virtutis genealogia recensenda, paterni generis nullam mentionem facit Apostolus, quòd Timothei pater Gentilis, in gentilitate & impietate sua ad mortem vsq; permanserit, quemadmodum ex eo probabile iudicat Lorinus in cap. 16. Act. quod mater *vidua* fuisse videatur, quando ea quæ Act. dicto cap. à D. Luca narrantur, contingerũt, prout illi volunt, qui pro *Iudæa* in textu, *viduam* ponunt. Ad impios enim & ignobiles parentes referri iustus nõ potest, sicut nec impij patris filius censeri; eo quod iam videatur exuisse quod natum est, dum paternæ impietatis particeps non est. Sic Iob, quãuis genere Idumæus, rex Edom, & ex profani Esau posteris esset, quia Idumæorum moribus diuersus, fœdo sanguine peccatorum (quem nomen Edom sonat) cruentatus non fuit, nec Idumæus, nec ex posteris Esau dicitur, quorum manus sanguine plenæ sunt. Esai. 1. viri sanguinum & dolosi Psal. 5. & 24. apud quos neq; veritas neq; misericordia, sed maledictum, mendacium, furtum, homicidium, & sanguinis sanguinem tetigit. Ose. 4. Et hoc est, quod impiorum generationi futurum prædicit Regius vates Psal. 36. *Semen impiorum peribit. Semen* enim, inquit in eum Psal. Ambrosius, *non corporalis generationis est, sed mentis internæ & impietatis successio,* &c.

Ad impios parentes, iusti filij referri non possunt.

Eunices

Eunices nominis etymon. Eunices nomen, licet à fortuna (quæ Græcis τύχη dicitur) aliqui deducant; probabilius tamen à victoria originem sumpsisse, pleriq; Interpretes arbitrantur; quod optime Timothei matri multo melius conuenire notat Lorinus, quam meritriculæ, de qua Theocritus.

14. *Certus sum autem quod & in te.*

Verè nobilis officium. Quia verè nobilis est officium, eam, quam à maioribus accepit nobilitatem, præclaris editis facinoribus sartam tectam conseruare; cum non minor sit virtus, quam quærere, parta tueri: Timotheum suam hæreditario quasi iure acquisitã pietatis fideiq; nobilitatem seruasse, *certum* se hoc loco dicit Apostolus. Talibus enim argumentis Timothei virtutem probauerat, vt ex ijs probabilem aliquam certitudinem de eius in ea fide constantiâ potuerit elicere. *Prælatorum est virtutem suorũ probare.* Ad Prælati namq; munus & officium pertinet, subditorum suorum fidem virtutemq́; probare, verane sit an ficta, quemadmodum aperte docet Dominus, Hierem. cap. 6. cum populi sui præpositũ alloquens; *Probatorem dedi te*, inquit, *in populo meo robustum, & scies, & probabis vias eorum. Omnes isti principes declinantes, ambulantes fraudulenter, æs & ferrum, vniuersi corrupti sunt: Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflauit conflator, malitiæ eorum nõ sunt consumptæ. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos.* Hæc apud Prophetam Dñs; qui videtur in primis populi sui *probatorem* similem facere metalli alicuius probatori, cuius videlicet est periculum facere, vtrum verum metallum sit an adulterinum. Deinde videtur innuere voluisse, populi illius malitiam,

malitiam, quia nulla ratione purgari potuit, vt indicat illud; *Malitiæ eorum non sunt consumptæ.* In quem locum D. Thomas: *Argentum,* inquit, *admistum plumbo in fornace ponitur, & sufflante argentario fæces consumuntur, argentum purgatur, & plumbum minuitur. Isti autem positi in fornace tribulationis, consumptis malis, quasi plumbo non sunt correcti: Vnde subditur: Frustra conflauit conflator,* &c. Hæc D. Thomas, qui declarare videtur metallis alienæ materiæ permistione adulteratis, solere plumbum misceri, vt in conflatione fœces secernantur. Plumbum enim metallum purgat, fœces ab eo separans, ita vt iure potuerit dicere Dominus, quod plumbi admistione *malitiæ eorum non sint consumptæ, frustraq́; conflator conflauerit*, eo quod pauci ea conflatione conflati fuerint, quemadmodum etiam apud Esaiam conqueritur, cap. 49. *In vacuum laboraui, sine causa consumpsi fortitudinem meam.*

Plumbo verum argentum probatur.

Ex quo Hieremiæ loco apertè patet, ideo *probatorem & conflatorem* subditorum appellari Prælatum; quòd eos vt metalla in probationis fornace debeat tentare, num verum sit probatumq́; argentum, an potius adulterinum. Solet enim interdum accidere, vt qui argentum videbantur, in scoriam toti abeant, quemadmodum in illis pseudoapostolis cōtigit, qui *Apostoli videbantur, & non erant*, Apocal. 2. Quod ipse Dominus reperisse se in Iudaico populo testatur Ezech. cap. 22. cum ait: *Versa est domus Israël in scoriam; omnes isti æs, & stannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis, scoriæ argenti facti sunt.* De hac re 2. p. Curæ Pastor. cap. 10. eleganter disserens S. Gregorius: *Nonnulla* (inquit) *Prælato sunt subtiliter & occultè perscrutāda, vt quibusdam signis erumpentibus rector in subditorū mente omne quod clausum latet, inueniat. Vnde rectè ad Ezechielem*

Prælatus probator & conflator ab Hieremia dicitur; & cur.

D. Gregorius.

chielem dicitur cap. 8. Fili hominis fode tibi parietem, & ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciũt. Et ingressus vidi; & ecce omnis similitudo reptilium & animalium abominatio, & vniuersa idola domus Israël depicta erant in pariete. *Per Ezechielem* (subiungit Magnus Gregorius) *præpositorum ordo significatur; per parietem, durities subditorum. Quid ergo est in pariete foramen facere, nisi acutis inquisitionib⁹ duritiem cordis aperire: Quasi verò ingreditur, vt abominationes aspiciat, qui discussis quibusdam signis exterius apparentibus, ita corda subditorum penetrat, vt cuncta ei quæ illicitè cogitantur, innotescant.* Hæc Gregorius.

Quamuis verò laudis cupiditas à iusto penitus excutiẽda sit ad necessariam humilitatis custodiam, & propter euitandum superbiæ periculum: tamen ad suum Timotheum scribens hoc loco Apostolus, eundem à custodita diligenter fidei hæreditate plurimum cõmendat. Vt enim ipsa virtus laudem meretur, sic eam laudare conuenit; nec virtus tantũ ipsa, verum & virtute præditi iusti & boni, studiosè sunt interdum laudandi. Quæ causa est, quod Christus Matth. 11. Ioannem Baptistam accuratè laudauerit, & Ioan. 1. Nathanaëlem, eundem vocans *verum Israëlitam, in quo dolus non est.* Eodem modo Matth. 15. mulierem Cananæam, & 8. cap. Centurionem laudibus est prosecutus; sicut etiam Luc. 10. suorum discipulorum *oculos beatos* vocat, propter *ea, quæ viderant*, id est, propter fidem & obedientiam in doctrina eius: Nam corporaliter Christum omnes fere Iudæi viderant, quos tamen adeò beatos nõ vocat; vt Matth. 12. *gentem prauam atq; peruersam* nuncupet, futurum asserens cap. 16. vt *Niniuitæ, meretrices, peccatores surgant in iudicio, qui eos condemnent.* Sic etiam Iobi sancti-

Iustorum virtutes subinde laudandæ.

monia

monia *simplicitas & rectitudo*, Deique *timor* laudata sunt. Iob cap. 1.

Est autem hæc virtutis laus & commendatio, ex triplici capite vtilis. Primo ex parte iusti; tum quia iustis ea laus debetur, tum quia vera virtus laudata crescit. *Quomodo* enim *probatur in sufflatorio argentum & in fornace aurum; sic probatur homo ore laudantis*, Prouerb. 27. Qua de re ita lib. 22. moral. cap. 2. D. Gregorius: *Cũ humana lingua attestatione laudamur*, inquit, *occulta pulsatione requirimur, quid de nobis ipsis sentiamus; vt in hoc humiles permaneamus. Superba etenim mens, etiam cum de se falsa dicuntur, exultat; quia non apud Deum qualiter viuat, sed apud homines qualiter innotescat, excogitat: At contra, si cor veraciter humile est, bona quæ de se audit, aut minimè recognoscit, & quia falsa dicuntur, metuit; aut certè si adesse ea sibi veraciter scit, eo ipso formidat, ne ab æterna Dei retributione pereant, quo hæc considerat hominibus diuulgata*, &c. Hæc ille.

Virtutis laus ex triplici Vtilis.
1. Vtilitas.

Huius rei exemplum esse potest D. Augustinus, qui à S. Paulino miris laudibus per Epistolam elatus, Epist. 31. eidem respondet: *Pudet me quidem tantum boni de me credere, sed plus piget, tibi non credere. Est quod faciam: Non me credam talem qualem putas, quoniam non agnosco; & credam me abs te diligi, quoniam sentio & plane perspicio. Ita nec in me temerarius, nec in te ingratus extitero*, &c. Et Epist. 7. *Non mihi placet*, inquit, *cum à charissimis meis talis esse existimor, qualis non sum. Profectò enim non me, sed per me alium sub meo nomine diligunt*, &c. Ex quo patet, laudem in eum congestam, viro sanctissimo fuisse & humilitatis materiam, & purgationis argumentum, vt tanto sibi attentius prospiceret, quanto se ab alijs maiorem existimari cerneret, quẽ-

Iustorum laus in ipsis humilitatem parit.

admodum etiam Epist. 126. testatur, qui ab amico item laudatus: *Gratias vero*, inquit, *tibi vberes agimus, quod nos cum laudas tanquam tales, simus mirabiliter hortaris, vt tales esse cupiamus.* Sic nimirum virtus laudata crescit, quando & per humilitatem seipsam deprimit, & per proficiendi studium seipsam erigit.

2. Vtilitas. Secundo vtilis est laudata virtus, quod alios ad virtutem sibi comparandam extimulet, vt notat D. Gregorius, lib. 22. cap. 7. cum ait: *Plerumq; ad exercenda bona opera, aliena nos vtiliter exempla persuadent. Et cum mente humili opinionis aliena bona suscipimus, nostra vel ad melius bona producimus, vel ad bonũ mala permutamus*, &c. Exemplo sit Themistocles, quem Milciadis trophæa Athenis erecta dormire non sunt passa vt refert Plutarchus. Hanc ob causam discipulorum suorum *oculos beatos* pronuntiat Dominus Luc. 10. quod ea acceperint, quæ veteribus Patriarchis fuere negata, vt eo scilicet beneficio intellecto, discipulorum animi ad se diligendum & audiendum magis inflammarentur.

3. Vtilitas. Prodest deniq; laudata virtus ad Dei gloriam & nostram erga eum gratitudinem promouendam: Quæ duo in omnibus nostris actionibus & operibus spectanda præcipit Colossensibus scribens cap. 3. Apostolus, dicens: *Omne quodcumq; facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite; gratias agentes Deo & patri per ipsum.* Ad hanc animi gratitudinem excitauit Dominus veterem populũ, iubens ei Exod. 25. in arca fœderis virgam Aaron, quæ floruerat, & duas tabulas legis in monte Sina acceptas, recondi & reseruari, vt videlicet iugi illorũ præsentia acceptorum à Deo beneficiorum iugiter recor-

recordaretur. Quod verò, ad eam gratitudinis memoriam plurimum conducat, alterius virtutis commendatio, teſtis eſſe poterit Auguſtinus, qui Epiſt. 126. ſuo laudatori ideo gratulatur, quod ſe laudādo, Dei dona laudaret & diligeret: *Tibi*, inquit, *ad mercedem beatitudinis, quod ad hanc rem attinet, ſatis eſt, quod nos tales credens, quales oportet eſſe ſeruos Dei, toto ſinu cordis amplecteris*. Hæc Auguſtinus.

Quod porro *fides* minimè *ficta* in Timothei viſceribus non modo firmata ſit, ſed & magno prouentu ſeſe in altum diuerſis bonorum operum exercitationibus expanderit, ſe certò iam perſuaſum habere affirmat. Huius enim loci certitudo ad quamuis perſuaſionem ex certis aliquibus indicijs natam, & non ad eam ſolum, quæ eſt fidei, pertinere; ſimiles ſcripturæ loci faciunt teſtatum. Soli Lutherani ſunt, qui docent Paulum fide Chriſtiana crediſſe, Timotheum fuiſſe fidelem, & alienum ab omni affectu gentilitatis & Iudaiſmi. Quaſi Paulus, cum hoc loco & ad Rom. 15. dicit: *Certus ſum autem de vobis, quod pleni eſtis dilectione*. Et cap. 6. eius quæ eſt ad Hebręos: *Confidimus de vobis meliora & viciniora ſaluti*; de fide Chriſtiana loqueretur. Sed non intelligunt bardi & meri ſtipites, aliam ſpei, aliam fidei eſſe certitudinem. De ſpei bonæ, non fidei certitudine his locis Paulo eſt ſermo.

Certitudo huius loci quæ?

Lutherani taxati.

15. *Propter quam cauſam admoneo te vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te.*

Hac ſententia, quæ ex ſuperiore conſequitur, Timotheum hoc ſenſu compellat Apoſtolus: Cum fidei tuæ (quam velut hæreditarium bonum à maioribus

Huius loci paraphraſis.

ribus accepisti) firmitudo & constantia sat superq; mihi iam sit spectata; admoneo te, vt potestatis gratiam & spiritus sancti donum, quod in ordinatione tua immobiliter duraturum accepisti, resuscites, id est, diligenter exeras, exerceas, & in vsum aliorum proferas. In vacuum namq; Dei gratiam recipit, qui ad Dei gloriam propagãdam & spiritualem proximi vtilitatem eâ non vtitur.

Resuscitandi verbum quid denotet.

Resuscitandi verbum, Metaphoram habet, sumptam ab igne iam cinere condito & consopito, qui follibus & flabellis debet tum excitari, tum ardentius accendi. Quibus verbis communem Ecclesiasticos ministros adhortandi formam proposuisse Apostolum tradit Gregorius de Valentia, Tom. 4. Disp. 9. quæst. 1. de Sacram. Ordinis. punct. 2. idq; inquit, nõ tam propter Timotheum, qui non tantoperè monitione indigebat, quam propter alios ministros, qui aliquando muneri suo defuturi essent. Vnde manifestè apparet, (nempe ex his verbis: *Quæ est in te*) gratiam potestatis, quæ in ordinatione accipitur, nec à malis ministris posse amitti; sed ita durabiliter in illis permanere, vt qui semel in eiusmodi aliquem ordinem Ecclesiasticum cooptatus fuerit, Ordinis accepti potestate nequeat omnino priuari, aut laicus fieri, sed perpetuò talis permaneat: Etsi possit quidem vsu potestatis acceptæ illi iustis de causis aliquãdo intercidi; sicut fieri solet per censuram Ecclesiasticam, vel alia iuris Canonici impedimenta. Quod ipsum à Concilio Tridentino confirmatum est Sess. 23. cap. 4. & can. 4.

Ordinis character immobilis & sempiternus.

Muneris ergo sui Pastorem Ecclesiasticum admoniturus Apostolus, igni accõmodato *resuscitandi* verbo

verbo ſapienter vtitur. Sicut enim duo ſunt, quæ iugiter ignem comitantur, lumen & calor; ita pariter duo quæ indiuidua ſocietate in Epiſcopis & Presbyteris renidere debent; doctrinæ ſpendor, & charitatis ardor. Neq; enim illi ſine cauſa vocati ſunt in Apoſtolis *lux mundi*, qui in his quæ ad Deum & hominum ſalutem ſpectant, alijs in Eccleſia præſunt. Eos enim *illuminare* debent, *qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent*, *ad dirigendos pedes* eorum *in viam pacis*. Luc. 2. Nam ſicut cum eſſent *tenebræ ſuper faciem abyſſi; dixit Deus; fiat lux, & facta eſt lux*, Gen. 1. ita cum tenebræ eſſent ſuper faciem mundi, facta eſt lux mundi Apoſtolica, quæ mundum genteſq; omnes in tenebris ſedentes illuminaret. Vnde D. Hilarius, in Matth. *Mundus*, inquit, *extra Dei cognitionem poſitus, obſcurus tenebatur ignorantiæ tenebris, cui per Apoſtolos ſcientiæ Dei lumen inuehitur, cognitio Dei claret*, &c. Et Remigius: *Sicut ſol*, ait, *dirigit radios ſuos; ita & Dominus, qui eſt ſol iuſtitiæ, direxit Apoſtolos ſuos ad effugandas humani generis tenebras*, &c. Vt enim à ſole emittuntur; ſic à Chriſto Apoſtoli, ab Apoſtolis cæteri ſucceſſores. Sol in cælo eſt, radij in terra; Chriſtus in cælo erat; Apoſtoli in orbe terrarum. Radiorum lux, ſolis eſt; ita Apoſtolorum doctrina, eorumque ſucceſſorum, Chriſti eſt. Sicut vero à calore lumen non ſeparatur; ita in Apoſtolis doctrinæ lumen charitatis ardori erat coniunctum: Eo ſiquidem igne ardebant, quem Dominus in *terram mittere venerat*. Luc. 12. qui nihil aliud erat, quàm charitas per pectora & corda ſanctorum volitans, & exurens, quicquid materiale, vitioſum & terrenum erat. Et licet aquâ ignis extinguatur, charitatis tamen ignis, aquâ, id eſt

Quid reſuſcitandi Verbo ab Epiſcopo requiratur,

Varia ſimilitudines.

id est cruciatu & labore, inflammatur. Cant. 8. *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, neq; flumina obruent eam*, &c. Si nō obruent, sane accendent magis atq; magis: quo enim plura pro amato Deo tormenta sustinent, eo maior fit & ardentior. Huius amoris flamma æstuantes Apostoli, *ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati.*

Boni Pastoris officium.

Hinc, ad Christi imitationem se bonos esse Pastores probaturi, vitam omnibus periculis in ouium defensionem, tutelam & salutem exponebant, hoc est, vitam corporalem prodigebāt, tormenta & suppliciorum crudelitatem patiebantur Ioan. 10. quia *animas* suas *pro nomine Domini nostri Iesu Christi* tradiderant, Act. 15. Didicerant enim quod Dñs omnium suorum fidelium & totius Ecclesiæ curam ac regimē Petro Apostolorum principi commissurus, prius de amore & dilectione inquisierat, vt manifestaret, quales esse debeant, qui curam aliorum in Ecclesia suscipiunt, & quo amore subditos tractare debeant.

16. *Quæ est in te per impositionem manuum mearum.*

Manuum impositionis varius vsus.

Manuum impositionem variè in scriptura adhiberi solitam, nemini dubium esse potest. Lucæ enim cap. 4. legitur ad morborum curam adhibitam; cum
1. Dominus singulis *manus imposuisse, eosq; curasse* dicitur. Et Marc. vlt. *Super ægros manus imponēt, & bene habebūt.* Similiter Act. 9. vidit *Paulus Ananiam imponentem sibi*
2. *manus, vt visum reciperet.* Ad Confirmationis etiam Sacramentū manus impositionem fuisse vsurpatam, testatum facit, quod Act. 8. scriptum est, Apostolos super

super credentes imposuisse manus, eosq; hac impositione Spiritum sanctum accepisse: Quod Act. eodem cap. non ignorauit Simon Magus, cũ Petrum & Ioannem allocutus, dixit: *Date mihi hanc potestatem, vt cuicumq; imposuero manus, accipiat spiritum sanctum.*

Manuum impositio hoc loco, quis?

Hoc vero loco Paulus eiusmodi ritum, super eos quos sacris officijs mancipabant Apostoli, vsurpatum fuisse repetit; quemadmodum etiam 1. ad Timoth. cap. 4. dixerat: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam & manus impositionem presbyterij.* Et eiusdem cap. 5. *Manus cito nemini imposueris.* Ex quib⁹ constat, Timotheum à Paulo fuisse per manuum impositionem consecratum Episcopum, eiusq; regimini commissam fuisse Ephesiorum Ecclesiam, quemadmodum testatur Eusebius lib. 3. Eccl. histor. cap 4. qui eum primum eius vrbis Episcopum fuisse tradit; licet nonnulli Ioannis Euangelistæ in eo Episcopatu successorem minus probabiliter affirment.

Timotheus à Paulo consecratus Episcopus.

Quare *manuum impositionis* ceremoniam, legitimam esse verorum Episcoporum & ministrorum Ecclesiæ vocationem, facit cum alijs hic locus testatum. Cum enim omnes legitime vocati Ecclesiæ ministri, *per ostium* (qui Christus est) debeant *introire*; is profecto intrat per illud, qui *vocatus à Deo, tanquam Aaron*, eo modo & ordine mittitur & ordinatur, quẽ Christus in Ecclesia constituit. Christi verò ordo hic fuit, vt Apostolos, Prophetas, Pastores, Doctores daret, qui postea alios & ipsi dederunt, qui sibi legitimè succederent. Vnde Paulus authoritate diuina, ab Ecclesia per manuum impositionem ordinatus, Act. 13. pari ceremonia ab eo ordinatur Timotheus, vt ex hoc loco patet, qui & alios ipse similiter ordinans,

Manuum impositio, legitima virorum Ecclesiæ ministrorum vocatio.

Legitima ministrorum Ecclesiæ successio.

Tametsi vero dictũ sit; *& genus & proauos & quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra putanda*, in religionis tamen, & veræ fidei propagatione locum non habere, fit euidentissimum, cum eam à maioribus in posteros deriuatam, matris & auiæ Timothei nominum expressione vehementer commendet Apostolus. In quo etiam genere maiorum monumenta dilaudãt Monicas, Simphorosas, ac Felicitates, quæ filios; Cecilias, quæ Valerianos; Natalias, quæ Hadrianos; Marthas, quæ Marios reddidere pios, vt ex earum actis patet.

Generis igitur sui antiquitatem laudent mundi cultores, qui in præclaris maiorum suorum gestis præsidij plurimum ponunt: At veri Christiani laudãt viros gloriosos & patres suos in generatione sua, quibus *multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua à sæculo.* Ecclesi. 44. Ad eos, tanquam *ad petram, vnde excisi sunt, attendũt, & ad cauernam laci, vnde sunt præcisi.* Esai. 51. *Attendunt ad Abraham patrem suum, & ad Saram, quæ ipsos peperit:* Ad Christum nempe, & ipsius sponsam Ecclesiam, à quibus primam ortus sui cælestis spiritualem sumpsere originem: Attendunt, inquam, ad successores Apostolorum, Pastores & Doctores, *quos* Deus *dedit ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurrant omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi: vt non sint paruuli fluctuantes, & circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum in astutia ad circumuentionem erroris.* Eph. 4. In ijs non summam sapientiam, non nobilitatem, non opes, non potentiam: (*Videte* enim, ait Paulus 1. Corinth. 1. *fratres vocationem*

Iusti homines nobilitatem vnde desumãt.

nem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, &c.) sed fidem, innocentiam, charitatem, sanctitatem, & omnium virtutum diuinarum diuitias suscipiũt, quarum ope & præsidio, ex errorum tenebris in admirabile lumen sunt adducti.

In hac autem virtutis genealogia recensenda, paterni generis nullam mentionem facit Apostolus, quòd Timothei pater Gentilis, in gentilitate & impietate sua ad mortem vsq; permanserit, quemadmodum ex eo probabile iudicat Lorinus in cap. 16. Act. quod mater *vidua* fuisse videatur, quando ea, quæ Act. dicto cap. à D. Luca narrantur, contingerũt, prout illi volunt, qui pro *Iudaa* in textu, *viduam* ponunt. Ad impios enim & ignobiles parentes referri iustus nõ potest, sicut nec impij patris filius censeri; eo quod iam videatur exuisse quod natum est, dum paternæ impietatis particeps non est. Sic Iob, quãuis genere Idumæus, rex Edom, & ex profani Esau posteris esset, quia Idumæorum moribus diuersus, fœdo sanguine peccatorum (quem nomen Edom sonat) cruentatus non fuit, nec Idumæus, nec ex posteris Esau dicitur, quorum manus sanguine plenæ sunt. Esai. 1. viri sanguinum & dolosi Psal. 5. & 24. apud quos neq; veritas neq; misericordia, sed maledictum, mendacium, furtum, homicidium, & sanguinis sanguinem tetigit. Ose. 4. Et hoc est, quod impiorum generationi futurum prædicit Regius vates Psal. 36. *Semen impiorum peribit. Semen* enim, inquit in eum Psal. Ambrosius, *non corporalis generationis est, sed mentis interna & impietatis successio*, &c.

Cur Timothei pater hoc loco prætermissus.

Ad impios parentes, iusti filij referri non possunt.

Eunices

Eunices nominis etymon. Eunices nomen, licet à fortuna (quæ Græcis τύχη dicitur) aliqui deducant; probabilius tamen à victoria originem sumpsisse, pleriq; Interpretes arbitrantur; quod optime Timothei matri multo melius conuenire notat Lorinus, quam meritriculæ, de qua Theocritus.

14. *Certus sum autem quod & in te.*

Verè nobilis officium. Quia verè nobilis est officium, eam, quam à maioribus accepit nobilitatem, præclaris editis facinoribus sartam tectam conseruare; cum non minor sit virtus, quam quærere, parta tueri: Timotheum suam hæreditario quasi iure acquisitã pietatis fideiq; nobilitatem seruasse, *certum* se hoc loco dicit Apostolus. Talibus enim argumentis Timothei virtutem probauerat, vt ex ijs probabilem aliquam certitudinem de eius in ea fide constantiâ potuerit elicere. *Prælatorum est virtutem suorũ probare.* Ad Prælati namq; munus & officium pertinet, subditorum suorum fidem virtutemq́; probare, verane sit an ficta, quemadmodum aperte docet Dominus, Hierem. cap. 6. cum populi sui præpositũ alloquens; *Probatorem dedi te*, inquit, *in populo meo robustum, & scies, & probabis vias eorum. Omnes isti principes declinantes, ambulantes fraudulenter, æs & ferrum, vniuersi corrupti sunt: Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflauit conflator, malitiæ eorum nõ sunt consumptæ. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos.* Hæc apud Prophetam Dñs; qui videtur in primis populi sui *probatorem* similem facere metalli alicuius probatori, cuius videlicet est periculum facere, vtrum verum metallum sit an adulterinum. Deinde videtur innuere voluisse, populi illius

malitiam,

nalitiam, quia nulla ratione purgari potuit, vt indi-
at illud; *Malitiæ eorum non sunt consumptæ.* In quem
ocum D. Thomas: *Argentum*, inquit, *admistum plumbo*
n fornace ponitur, & sufflante argentario fæces consumun-
ur, argentum purgatur, & plumbum minuitur. Isti autem
ositi in fornace tribulationis, consumptis malis, quasi plum-
o non sunt correcti: Vnde subditur: Frustra conflauit con-
lator, &c. Hæc D. Thomas, qui declarare videtur
netallis alienæ materiæ permistione adulteratis, so-
ere plumbum misceri, vt in conflatione fœces secer-
antur. Plumbum enim metallum purgat, fœces ab
o separans, ita vt iure potuerit dicere Dominus,
uod plumbi admistione *malitiæ eorum non sint con-*
umptæ, frustraq; conflator conflauerit, eo quod pauci ea
onflatione conflati fuerint, quemadmodum etiam
pud Esaiam conqueritur, cap. 49. *In vacuum laboraui,*
ne causa consumpsi fortitudinem meam.

Plumbo verum argentum probatur.

Ex quo Hieremiæ loco apertè patet, ideo *proba-*
rem & *conflatorem* subditorum appellari Prælatum;
uòd eos vt metalla in probationis fornace debeat
ntare, num verum sit probatumq; argentum, an
otius adulterinum. Solet enim interdum accidere,
qui argentum videbantur, in scoriam toti abeant,
uemadmodum in illis pseudoapostolis cōtigit, qui
postoli videbantur, & non erant, Apocal. 2. Quod ipse
ominus reperisse se in Iudaico populo testatur E-
ch. cap. 22. cum ait: *Versa est domus Israël in scoriam;*
nnes isti æs, & stannum, & ferrum, & plumbum in medio
rnacis, scoria argenti facti sunt. De hac re 2. p. Curæ
stor. cap. 10. eleganter disserens S. Gregorius: *Non-*
lla (inquit) *Prælato sunt subtiliter & occultè perscrutāda,*
quibusdam signis erumpentibus rector in subditorū men-
mne quod clausum latet, inueniat. Vnde rectè ad Eze-

Prælatus probator & conflator ab Hierem. dicitur; & cur.

D. Gregorius.

zechielem dicitur cap. 8. Fili hominis fode tibi parietem, & ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciũt. Et ingressus vidi; & ecce omnis similitudo reptilium & animalium abominatio, & vniuersa idola domus Israël depicta erant in pariete. Per *Ezechielem* (subiungit Magnus Gregorius) *præpositorum ordo significatur; per parietem, durities subditorum. Quid ergo est in pariete foramen facere, nisi acutis inquisitionib⁹ duritiem cordis aperire: Quasi verò ingreditur, vt abominationes aspiciat, qui discussis quibusdam signis exterius apparentibus, ita corda subditorum penetrat, vt cuncta ei quæ illicitè cogitantur, innotescant.* Hæc Gregorius.

Quamuis verò laudis cupiditas à iusto penitus excutiẽda sit ad necessariam humilitatis custodiam, & propter euitandum superbiæ periculum: tamen ad suum Timotheum scribens hoc loco Apostolus, eundem à custodita diligenter fidei hæreditate plurimum cõmendat. Vt enim ipsa virtus laudem meretur, sic eam laudare conuenit; nec virtus tantũ ipsa, verum & virtute præditi iusti & boni, studiosè sunt interdum laudandi. Quæ causa est, quod Christus Matth. 11. Ioannem Baptistam accuratè laudauerit, & Ioan. 1. Nathanaëlem, eundem vocans *verum Israëlitam, in quo dolus non est.* Eodem modo Matth. 15. mulierem Cananæam, & 8. cap. Centurionem laudibus est prosecutus; sicut etiam Luc. 10. suorum discipulorum *oculos beatos* vocat, propter *ea, quæ viderant,* id est, propter fidem & obedientiam in doctrina eius: Nam corporaliter Christum omnes fere Iudæi viderant, quos tamen adeò beatos nõ vocat; vt Matth. 12. *gentem prauam atq; peruersam* nuncupet, futurum asserens cap. 16. vt *Niniuitæ, meretrices, peccatores surgant in iudicio, qui eos condemnent.* Sic etiam Iobi sancti-

Iustorum virtutes subinde laudandæ.

monia

monia *simplicitas & rectitudo*, Deique *timor* laudata sunt. Iob cap. 1.

Est autem hæc virtutis laus & commendatio, ex triplici capite vtilis. Primo ex parte iusti; tum quia iustis ea laus debetur, tum quia vera virtus laudata crescit. *Quomodo* enim *probatur in sufflatorio argentum & in fornace aurum; sic probatur homo ore laudantis*, Prouerb. 27. Qua de re ita lib. 22. moral. cap. 2. D. Gregorius: *Cũ humanæ linguæ attestatione laudamur*, inquit, *occulta pulsatione requirimur, quid de nobis ipsis sentiamus; vt in hoc humiles permaneamus. Superba etenim mens, etiam cum de se falsa dicuntur, exultat; quia non apud Deum qualiter viuat, sed apud homines qualiter innotescat, excogitat: At contra, si cor veraciter humile est, bona quæ de se audit, aut minimè recognoscit, & quia falsa dicuntur, metuit; aut certè si adesse ea sibi veraciter scit, eo ipso formidat; ne ab æterna Dei retributione pereant, quo hæc considerat hominibus diuulgata*, &c. Hæc ille.

Virtutis laus ex triplici vtilis. 1. Vtilitas.

Huius rei exemplum esse potest D. Augustinus, qui à S. Paulino miris laudibus per Epistolam elatus, Epist. 31. eidem respondet: *Pudet me quidem tantum boni de me credere, sed plus piget, tibi non credere. Est quod faciam: Non me credam talem qualem putas, quoniam non agnosco; & credam me abs te diligi, quoniam sentio & plane perspicio. Ita nec in me temerarius, nec in te ingratus extitero*, &c. Et Epist. 7. *Non mihi placet*, inquit, *cum à charissimis meis talis esse existimor, qualis non sum. Profecto enim non me, sed per me alium sub meo nomine diligunt*, &c. Ex quo patet, laudem in eum congestam, viro sanctissimo fuisse & humilitatis materiam, & purgationis argumentum, vt tanto sibi attentius prospiceret, quanto se ab alijs maiorem existimari cerneret, quem-

Iustorum laus in ipsis humilitatem parit.

 admodum

admodum etiam Epist. 126. testatur, qui ab amico item laudatus: *Gratias vero*, inquit, *tibi vberes agimus, quod nos cum laudas tanquam tales, simus mirabiliter hortaris, vt tales esse cupiamus*. Sic nimirum virtus laudata crescit, quando & per humilitatem seipsam deprimit, & per proficiendi studium seipsam erigit.

2. *Vtilitas*, Secundo vtilis est laudata virtus, quod alios ad virtutem sibi comparandam extimulet, vt notat D. Gregorius, lib. 22. cap. 7. cum ait: *Plerumq; ad exercenda bona opera, aliena nos vtiliter exempla persuadent. Et cum mente humili opinionis aliena bona suscipimus, nostra vel ad melius bona producimus, vel ad bonũ mala permutamus*, &c. Exemplo sit Themistocles, quem Milciadis trophæa Athenis erecta dormire non sunt passa vt refert Plutarchus. Hanc ob causam discipulorum suorum *oculos beatos* pronunciat Dominus Luc. 10. quod ea acceperint, quæ veteribus Patriarchis fuere negata, vt eo scilicet beneficio intellecto, discipulorum animi ad se diligendum & audiendum magis inflammarentur.

3. *Vtilitas*. Prodest deniq; laudata virtus ad Dei gloriam & nostram erga eum gratitudinem promouendam: Quæ duo in omnibus nostris actionibus & operibus spectanda præcipit Colossensibus scribens cap. 3. Apostolus, dicens: *Omne quodcumq; facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite; gratias agentes Deo & patri per ipsum*. Ad hanc animi gratitudinem excitauit Dominus veterem populũ, iubens ei Exod. 25. in arca fœderis virgam Aaron, quæ floruerat, & duas tabulas legis in monte Sina acceptas, recondi & reseruari, vt videlicet iugi illorũ præsentia acceptorum à Deo beneficiorum iugiter recor-

ecordaretur. Quod verò, ad eam gratitudinis me-
noriam plurimum conducat, alterius virtutis com-
nendatio, testis esse poterit Augustinus, qui Epist.
26. suo laudatori ideo gratulatur, quod se laudãdo,
Dei dona laudaret & diligeret: *Tibi,* inquit, *ad merce-
lem beatitudinis, quod ad hanc rem attinet, satis est, quod
os tales credens, quales oportet esse seruos Dei, toto sinu
ordis amplecteris.* Hæc Augustinus.

Quod porro *fides* minimè *ficta* in Timothei visce-
ibus non modo firmata sit, sed & magno prouentu
ese in altum diuersis bonorum operum exercitatio-
ibus expanderit, se certò iam persuasum habere af-
rmat. Huius enim loci certitudo ad quamuis per-
uasionem ex certis aliquibus indicijs natam, & non
d eam solum, quæ est fidei, pertinere; similes scri-
turæ loci faciunt testatum. Soli Lutherani sunt,
ui docent Paulum fide Christiana credidisse, Ti-
otheum fuisse fidelem, & alienum ab omni affectu
entilitatis & Iudaismi. Quasi Paulus, cum hoc loco
ad Rom. 15. dicit: *Certus sum autem de vobis, quod
eni estis dilectione.* Et cap. 6. eius quæ est ad Hebręos:
onfidimus de vobis meliora & viciniora saluti; de fide
hristiana loqueretur. Sed non intelligunt bardi
meri stipites, aliam spei, aliam fidei esse certitu-
nem. De spei bonæ, non fidei certitudine his lo-
s Paulo est sermo.

Certitudo huius loci quæ?

Lutherani taxati.

. *Propter quam causam admoneo te vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te.*

Hac sententia, quæ ex superiore consequitur,
motheum hoc sensu compellat Apostolus: Cum
dei tuæ (quam velut hæreditarium bonum à maio-

Huius loci paraphrasis.

ribus accepisti) firmitudo & constantia sat superq; mihi iam sit spectata; admoneo te, vt potestatis gratiam & spiritus sancti donum, quod in ordinatione tua immobiliter duraturum accepisti, resuscites, id est, diligenter exeras, exerceas, & in vsum aliorum proferas. In vacuum namq; Dei gratiam recipit, qui ad Dei gloriam propagãdam & spiritualem proximi vtilitatem eâ non vtitur.

Resuscitandi verbum quid denotet.

Resuscitandi verbum, Metaphoram habet, sumptam ab igne iam cinere condito & consopito, qui follibus & flabellis debet tum excitari, tum ardentius accendi. Quibus verbis communem Ecclesiasticos ministros adhortandi formam proposuisse Apostolum tradit Gregorius de Valentia, Tom. 4. Disp. 9. quæst. 1. de Sacram. Ordinis. punct. 2. idq; inquit, nõ tam propter Timotheum, qui non tantoperè monitione indigebat, quam propter alios ministros, qui aliquando muneri suo defuturi essent. Vnde manifestè apparet, (nempe ex his verbis: *Quæ est in te*) gratiam potestatis, quæ in ordinatione accipitur, nec à malis ministris posse amitti; sed ita durabiliter in illis permanere, vt qui semel in eiusmodi aliquem ordinem Ecclesiasticum cooptatus fuerit, Ordinis accepti potestate nequeat omnino priuari, aut laicus fieri, sed perpetuò talis permaneat: Etsi possit quidem vsu potestatis acceptæ illi iustis de causis aliquãdo intercidi; sicut fieri solet per censuram Ecclesiasticam, vel alia iuris Canonici impedimenta. Quod ipsum à Concilio Tridentino confirmatum est Sess. 23. cap. 4. & can. 4.

Ordinis character immobilis & sempiternus.

Muneris ergo sui Pastorem Ecclesiasticum admoniturus Apostolus, igni accõmodato *resuscitandi* verbo

verbo sapienter vtitur. Sicut enim duo sunt, quæ iugiter ignem comitantur, lumen & calor; ita pariter duo quæ indiuidua societate in Episcopis & Presbyteris renidere debent; doctrinæ spendor, & charitatis ardor. Neq; enim illi sine causa vocati sunt in Apostolis *lux mundi*, qui in his quæ ad Deum & hominum salutem spectant, alijs in Ecclesia præsunt. Eos enim *illuminare* debent, *qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes* eorum *in viam pacis*. Luc. 2. Nam sicut cum essent *tenebræ super faciem abyssi; dixit Deus; fiat lux, & facta est lux*, Gen. 1. ita cum tenebræ essent super faciem mundi, facta est lux mundi Apostolica, quæ mundum gentesq; omnes in tenebris sedentes illuminaret. Vnde D. Hilarius, in Matth. *Mundus*, inquit, *extra Dei cognitionem positus, obscurus tenebatur ignorantiæ tenebris, cui per Apostolos scientiæ Dei lumen inuehitur, cognitio Dei claret*, &c. Et Remigius: *Sicut sol*, ait, *dirigit radios suos; ita & Dominus, qui est sol iustitiæ, direxit Apostolos suos ad effugandas humani generis tenebras*, &c. Vt enim à sole emittuntur; sic à Christo Apostoli, àb Apostolis cæteri successores. Sol in cælo est, radij in terra; Christus in cælo erat; Apostoli in orbe terrarum. Radiorum lux, solis est; ita Apostolorum doctrina, eorumque successorum, Christi est. Sicut vero à calore lumen non separatur; ita in Apostolis doctrinæ lumen charitatis ardori erat coniunctum: Eo siquidem igne ardebant, quem Dominus in *terram mittere venerat*. Luc. 12. qui nihil aliud erat, quàm charitas per pectora & corda sanctorum volitans, & exurens, quicquid materiale, vitiosum & terrenum erat. Et licet aquâ ignis extinguatur, charitatis tamen ignis, aquâ, id est

Quid resuscitando Verbo ad Episcopo requiratur,

Varia similitudines.

super credentes imposuisse manus, eosq; hac impositione Spiritum sanctum accepisse: Quod Act. eodem cap. non ignorauit Simon Magus, cũ Petrum & Ioannem allocutus, dixit: *Date mihi hanc potestatem, vt cuicumq; imposuero manus, accipiat spiritum sanctum.* Hoc vero loco Paulus eiusmodi ritum, super eos quos sacris officijs mancipabant Apostoli, vsurpatum fuisse repetit; quemadmodum etiam 1. ad Timoth. cap. 4. dixerat: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam & manus impositionem presbyterij.* Et eiusdem cap. 5. *Manus cito nemini imposueris.* Ex quib⁹ constat, Timotheum à Paulo fuisse per manuum impositionem consecratum Episcopum, eiusq; regimini commissam fuisse Ephesiorum Ecclesiam, quemadmodum testatur Eusebius lib. 3. Eccl. histor. cap 4. qui eum primum eius vrbis Episcopum fuisse tradit; licet nonnulli Ioannis Euangelistæ in eo Episcopatu successorem minus probabiliter affirment.

Manuum impositio hoc loco, quæ sit?

Timotheum à Paulo consecratum Episcopum.

Quare *manuum impositionis* ceremoniam, legitimam esse verorum Episcoporum & ministrorum Ecclesiæ vocationem, facit cum alijs hic locus testatum. Cum enim omnes legitime vocati Ecclesię ministri, *per ostium* (qui Christus est) debeant *introire*; is profecto intrat per illud, qui *vocatus à Deo, tanquam Aaron*, eo modo & ordine mittitur & ordinatur, quẽ Christus in Ecclesia constituit. Christi verò ordo hic fuit, vt Apostolos, Prophetas, Pastores, Doctores daret, qui postea alios & ipsi dederunt, qui sibi legitimè succederent. Vnde Paulus authoritate diuina, ab Ecclesia per manuum impositionem ordinatus, Act. 13. pari ceremonia ab eo ordinatur Timotheus, vt ex hoc loco patet, qui & alios ipse similiter ordinans,

Manuum impositio, legitima verorum Ecclesiæ ministrorũ vocatio.

Legitima ministrorum Ecclesiæ successio.

nans, illis quoq; manus imponit; quod vt prudenter faceret, citato iam ante 1. Epist. cap. 5. ipsum admonuit, cùm ait: *Nemini cito manus imposueris*. Et hæc *manuum impositio*, qua ordinantur in Ecclesia Christi legitimi ministri, non ab alijs, quàm ab ijs, qui iam antea per *manuum impositionem* ordinati, siue missi fuerant, aut facta vnquã fuit, aut fieri potest. Quam ob causam in Apostolicis Canonibus, can. 1. & in Concilijs antiquissimis Nicæno 1. can. 4. Carthag. 4. can. 2. cautum diligenter fuit, ne ab alijs, quam ab Episcopis illa fieret. Eiusmodi namq; fuerant illi, qui Act. 13. Paulo *manus imposuerunt*; eiusmodi item Paulus, qui Timotheum; sicut & Timotheus, qui alios, per eandem *manuum impositionem* ordinarunt.

Manus imponere solis Episcopis licitum.

Ex his facilè quiuis collegerit, *manuum impositionis* ceremoniam ideo in Ecclesia adhibitam fuisse, vt clarum, euidens, totiq; populo compertum esset verorum in Ecclesia pastorum indicium. Qua cum careant omnes huius temporis Sectarij, à nullis videlicet Episcopis ordinati; cuiq; patet, totam illorum missionem siue ordinationem nugamentum esse. Tametsi enim iam illorum pleriq; hanc manuum impositionem (simiarum more) vsurpent, eaq; suos ministros mittere incipiant; quia tamen primi eorum magistri à nemine ordinati missiq; sunt, nihil iam valet eorum missio. Quod enim in radice vitiatum est, & à principio nihil fuit, progressu temporis rectificari non potest. Vnde isti verè dici possunt, (vt de schismaticis sui temporis scribit in lib. de vnit. Eccles. D. Cyprianus) qui *sine diuina dispositione sese vltro apud temerarios conuenas seu sodales præfecerunt: se præpositos sine vlla ordinationis lege constituerunt, & nemine*

Manuum impositio, cur instituta.

Sectariorum nostri temporis missio imaginaria.

mine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumpserunt. &c. Quo in loco notandum, nostri temporis Hæreticos veteribus multo esse impudentiores, eoq; nequiores, quod illæ olim sectæ nullos Episcopos habẽtes, Sacramenta administrare, aut alios ad ministeriũ Ecclesiasticum ordinare non præsumebant. Sic enim de Monophysitarum secta Acephalorum scribit Nicephorus lib. 13. Eccles. histor. cap. 45. *Acephali dicti sunt, quia sub Episcopis non fuerunt. Proinde Episcopis & Sacerdotibus apud eos defunctis, neq; baptismus, neq; sacrificium, neq; ministerium Ecclesiasticum amplius celebratum est,* &c. Idem apud Luciferianos contigisse testatur S. Hieronymus in dial. aduersus eosdem: *Hilarius,* inquit, *cum diaconus de Ecclesia recesserit, & iam mortuus sit, cum homine pariter interijt & secta; quia post se nullum Clericum potuit ordinare: Ecclesia autem non est, quæ non habet sacerdotem.* Sic & D. Cyprian. lib. 1. Epist. 5. *Ecclesia,* inquit, *in Episcopo est, & qui cũ Episcopo non sunt, in Ecclesia nõ sunt, frustraq; tibi blandiuntur, quod latenter apud quosdam communicare se credunt. Episcopum* autem eum esse definit S. Pater lib. 4. Epist. 9. *qui Apostolis vicaria ordinatione succedit.* Quæ considerans D. Augustinus, hanc (*per manuum* scilicet *impositionem*) ordinatam in Ecclesia Episcoporum successionem, *radicem Christianæ societatis* vocat, in ea quam ad quosdam Paganos scripsit Epistola, docens eos, qui inter Christianos vere tales sunt, esse Catholicos; non tales verò hæreticos: *Videtis,* inquit Epist. 42. *multos præcisos à radice Christianæ societatis, quæ per sedes Apostolorum & successiones Episcoporum certa per orbem propagatione diffunditur, de sola figura originis sub Christiano nomine quasi arescentia Sacramenta gloriari, quas hæreses & schismata nominamus.*

Hæretici nostri temporis veteribus impudẽtiores.

Quis Episcopus secundum Cyprianum.

Episcoporum successio, Christianæ societatis radix.

Ieiunium ab ordinandis cur requiratur.

Quia vero, (vt hoc loco dicitur) *per* hanc *manuum impositionem*, Spiritus sanctus, siue diuina gratia communicatur ei, cui imponuntur; ideo antiquissimâ Ecclesiæ ceremoniâ ab Apostolis deriuata semper obseruatum est, vt tam ordinans, quàm ordinatus sacris ordinibus, ieiuni ad Ordines accederent. De Apostolis enim Act. 13. refert D. Lucas, quod *ieiunantes & orantes imposuerint manus Paulo & Barnabæ*, quos ex Spiritus sancti præcepto mittebant ad prædicandum Euangelium. Credebant enim in ordinis Sacramenti inauguratione eam gratiam infundi, ad cuius receptionem maxima opus esse preparatione iudicabant.

Impositionis manuum ceremonia ex veteri Testamento sumpta.

Hunc *manuum impositionis* ritum ex veteri Testamento mutuatos esse Apostolos, author est Hieronymus Epist. 85. ad Euagrium: *Vt sciamus*, inquit, *traditiones Apostolicas sumptas de veteri Testamento: Quod Aaron & filij eius atq; Leuitæ in templo fecerunt, hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vendicãt in Ecclesia*; *ita etiam eos huiusmodi manus imponendi sacram functionẽ inde eduxisse constat. Nam imponẽdas esse manus ab Aaron & filijs eius super eos qui sacerdotio Leuitæ initiarentur in diuinis legibus* (Exodi nempe 29.) *satis habetur expressum*. Verum, quantum vmbræ atq; tenebris veritas præstat; tanto vberiore gratiarum affluentia in nouo sacerdotij ordine hęc sunt ab Apostolis administrata, & ab Ecclesia Catholica ex Apostolica traditione retẽta. Sanè quidem ex Apostolorũ traditione, Episcoporum ordinationes in Ecclesia fieri Cyprianus Epist. 68. confirmat, vt etiam ante dicebamus.

Sacerdotium non populare sed diuina res.

Ex quibus omnibus conficitur, sacerdotij nostri rationem nõ esse popularem, quam de cælo ductam & delapsam esse, scripturæ paulo ante in medium adducta

ducta testimonia apertè confirmant. Quemadmodũ enim qui Apostolos audiebant, ij Christũ audiebant: ita quos Apostoli vocabant, vocabat Christus, & quos sacerdotio repellebant, eos Christus ipse repellebat. Cum enim Apostoli sacerdotibus Ecclesię gubernationem sentirent à Christo commissam, eos esse in sacerdotum ordinem cooptatos existimabãt, qui verè presbyteri essent, hoc est, seniores, non tam ætatis, quam consilii maturitate. Vnde factum est, vt presbyteri nomẽ in eum, qui sacra facit, remaneret, ita vt iam idem sit vsu Ecclesię, presbyter & sacerdos.

17. *Non enim dedit nobis Deus Spiritum timoris, sed virtutis & dilectionis, & sobrietatis.*

Quod *gratiam* paulò antè vocauerat, hic *spiritum* appellat; quasi Spiritus sancti donum, quod in rebus corporeis impulsionem, motionem & inclinationẽ ad sanctitatem videtur significare. Proprium enim amoris est, (per quẽ Spiritus sanctus procedit) quod moueat & impellat virtutum sedem, voluntatem amantis in rem amatam: nam illis rebus propriè solet sanctitas attribui, quæ in Deum ordinãtur, cũ amoris sit omnia in Deum referre, vt pote rerum omnium vltimum scopum. Cum igitur *Spiritum rectum, nouum, principalem* à Deo petit Regius vates, Psal. 50. donum aliquod creatum sibi petit impertiri, cuius adminiculo ducatuq; omnes ipsius actiones & consilia ad Dei gloriam, iuxta ipsius legem possint reuocari & dirigi, quemadmodum Psal. 118. clarius idipsum exposcens; *Legem*, inquit, *pone mihi Domine viam iustificationum tuarum, & exquiram eam semper: Inclina cor meum in testimonia tua, & non in*

Spiritus, loco hoc quid?

auaritiam, &c. Eodem modo venire in mentem cupit hoc loco Apostolus Timotheo, quod non *timoris*, hoc est, ignauiæ, & timiditatis spiritum (per quem animo ita abiecto pusillo & pauido sit, vt nihil graue, arduum aut difficile vel possit vel debeat audire) in sua ipsius ordinatione acceperit; sed inprimis *virtutis*, hoc est, potentiæ, roboris ac fortitudinis donum ipsi obtigerit, quibus audeat se tuto cõmunibus pro Repub. Christiana periculis exponere. *Virtutis* nãq; nomen hoc loco, imperterriti robur animi significat. Solent autẽ *spiritus* & *virtutis* nomina sæpè copulari in sacris literis, quemadmodum patet Act. 1. vbi dicitur: *Accipietis virtutem Spiritus sancti superuenientis in vos*. Et: *Quoad vsq; induamini virtutem ex alto*, Luc. 2. *Virtus altissimi obumbrabit tibi.* Eodem modo Paulus eadẽ nomina sæpe cõiungit, ad Rom. 1. 15. 1. Cor. 1. Ephes. 3. 2. Thessal. 1. & 5. Quibus omnibus locis *virtus* significat vires ac summam potestatem ad aliquid tum faciendum tum patiendum, & ad opera præstãda, non moralium duntaxat virtutum verum etiam miraculorum. Vnde fit, vt in eadem scriptura *virtutes* dicantur non raro, tum miracula, tum exercitus. Huius virtutis vim expressit Dominus apud Matth. cap. 10. 19. 20.

Virtutis nomine quid hoc loco indicetur.

Timiditati tria hoc loco opponũtur.

Timiditati itaq;, quæ iam ignauiam significat (vt author est Cicero 3. Tuscul.) iam verecundiam imitatur (vt idem testatur in part. Orat.) tria opponit hoc loco Apostolus;
1. *Virtutem* inprimis siue constantiam, & immobile ac inuictum animi robur;
2. Deinde *dilectionem*, vt videlicet in spirituali necessitate, & in his, quæ ad salutem & doctrinæ fidei vindicationem spectant, proximum & subditum non de-

serat,

ferat, qui Ecclesiæ est præpositus; sed pro Dei domo contra hostes se murum fortissimũ opponat. Veri etenim pastoris est, & lupis occurrere, & propriæ vitæ resistendo defendendoq; oues, subire periculum. Quod egregius ille pastor Dauid faciebat, qui 1. Reg. 17. ad Saül: *Pascebat*, inquit, *seruus tuus patris sui gregem, & veniebat Leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis & persequebar eos, & percutiebam eruebamq; de ore eorum, & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamq; eos.*

Tertio timiditati siue *timori*, opponit *sobrietatem*, quæ tum affectuum moderationem, tum cupiditatũ compressionem (quæ in mentis sanitate consistunt) potius significat, quàm à crapula & intemperantia abstinentiam. Qui namq; modum & modestiam in rebus gerendis seruat, non abs re *sobrius* dici potest; quemadmodum faciebat noster Apostolus, qui Act. 26. causam agens coram præside: *Non* inquit, *insanio Optime Feste, sed veritatis & sobrietatis verba eloquor.* 3. *Sobrietas hoc loco quo sit.*

Quærit non immerito circa hunc locum doctiss. Sasbout, ad quosnam referẽdum sit illud pronomen *nobis*, ad Christianosne omnes, an ad Episcopos & Sacerdotes duntaxat, quales scilicet fuerunt Paulus & Timotheus. Et si quidem rem ipsam considerare velimus, nihil obstare videtur, quo minus de Christianis omnibus illud intelligatur, cum & ipsis conferatur hoc spiritus sancti donum fortitudinis, scilicet & in Baptismi & in Confirmationis Sacramentis. Si tamen rerum circumstantias, quæ tum in hoc, tum in præcedentibus textibus occurrunt, spectare velimus, exigere hoc illæ videntur, vt de Episcopis intelligamus, cum inter Episcopos sermo sit, mentioq; *Dubium.* *Responsio.*

præces-

præcesserit sacræ ordinationis, quæ p manuũ impositioné perfecta, peculiaris causa est gratiæ, fortitudinis & roboris. Vnde vult breuiter hoc loco dicere Apostolus, datum Episcopis & presbyteris Spiritum, per quem tristia & aduersa quæq;, quæ ipsis occurrerint, ita moderentur, vt non disijciantur animo, nec ea grauiter ferant, sed & plane moderatè patiantur ac dissimulent. Quod enim Rom. cap. 8. inculcauerat, hoc videtur repetere, quod scilicet *non acceperit* Timotheus *spiritum seruitutis iterum in timore,* *sed acceperit spiritum adoptionis filiorum, in quo clamet Abba Pater,* vt qui *adiuuet infirmitatem ipsius.* Spiritus enim, qui fiduciam dat Ecclesiæ præpositis *clamandi* & appellandi *Deum patrem* suum, is præterea eos in sua infirmitate, & in suis gemitibus, & in patientia, quam exhibent in tormentis, quæ propter Christum patiuntur à tyrannis & Euangelij persecutoribus, quorum primitiua Ecclesia maximam tyrannidem experiebatur, dat illis testimonium, quòd sint filij Dei.

Huius loci paraphrasis.

18. Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neq; me vinctum eius.

Quia partim timore, partim verecundia ab Euangelij prædicatione retardari poterat Timotheus, ipsum cohortatur Apostolus, ne vel Ethnicorum calumnijs & ludibriosis criminationibus, vel Iudæorũ inanibus minis, vel intentata à Sectarijs & tyrannis suppliciorum crudelitate ab incœpto se dimoueri patiatur; quandoquidem tantis ex ordinationis suæ tempore spiritualium donorum opibus affluat, quibus erectus, facile cuiuis hostili potestati possit, si velit, resistere. Quatuor siquidem erant, quæ pio Timo-

Quatuor Timothei impedimenta.

Timothei cõnatui humanum impedimentum afferre posse videbantur, quæ *erubescendi* verbo & vinculorum suorum cõmemoratione insinuauit Apostolus. Primum namq; humilitas Christi ea ratione ipsi impedimẽtum afferre poterat, quod de mortuo & occiso à Iudæis, testimoniũ reddere, humile quid & contemptibile videri posset. Secundùm erat difficultas persuadendi; Nam persuadere hominem crucifixum esse Deum, arduum videbatur, & erat. Tertium, periculum; Nam cùm Christus se propter suam prædicationem à Iudæis occidendum iam Apostolis reuelasset, quid non erat timendum à discipulis, eidem testimonium perhibentibus apud eosdem, qui occiderunt, maximè quia Dominus pronuntiauerat in Apostolis; omnibus, si non mortem, tormenta tamen, opprobria, & contumelias pro hoc testimonio subeunda esse. Quartum, quòd minus se idoneum & humilis conditionis hominem agnosceret, vt qui tantũ mysterium passim prædicare non auderet. At Paulus ipsum animat, eò quòd licet primo aspectu doctrina Euangelica vilis & contemptioni plena, vanitatis & mundi cultoribus videatur (vt pote, quæ *gentibus stultitia* sit, *Iudæis verò scandalum* 1. Corinth. 1.) nihilominus tamen à laboribus minimè desistendum esse, cum certum sit, hoc stultum Dei fortius esse omnibus hominibus, & hoc infirmũ Dei, fortius esse cunctis hominibus. Placuit enim Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Quæ considerans Paulus, Rom. cap. 1. *Non*, inquit, *erubesco Euangelium*; *Causamq;* huius non erubescentiæ adiungens; *quia virtus*, ait, *Dei est in salutem omni credenti.* Habet enim Euangelica doctrina

(margin: 1. 2. 3. 4.)

Euangelica doctrina efficacia.

efficaciam & potentiam conferendi *salutem omni credenti* & recipienti ipsam, non qualemcumq; salutem, sed æternam animæ & corporis, quæ in hoc sæculo incipit per liberationem animæ à peccatis, & reconciliationem cum Deo. Quamuis igitur appareat in cortice & primo aspectu Euangelium vile & contemptibile, habet tamen latentem energiam & virtutem diuinam saluandi & sanitatẽ spiritualem cõferendi. Simile est, ait Card. Tolet. in cap. 1. Rom. si quis medicus paruulam pillulam infirmis ministraret, quæ exterius præ paruitate nihili facienda videretur: tamen efficacissima ad omnem expellendũ morbum esset, diceret, se non erubescere propinare pillulam hanc infirmis, eo quod latens in ea sit virtus sanandi quoscumq; infirmos recipientes eam.

Simile.

Paulina sententia paraphrastice reddita.

Est igitur quasi breuiter Timotheo dicere voluisset Apostolus, cum S. Leone Epist. 83. ad Palest. Monach. *Quoniam nosti, quale opprobriũ ab inimicis obijciatur Christianis, qui diuitiarum abundantia, potestate, magnitudine, bonorum splendore, rerumq; terrenarum prosperitate felicitatem metiuntur, mundi amatores; tu vero Iesum filium fabri habitum, pauperem & humilem, tãquam maleficum à sua gente damnatum & crucifixum prædices;* ne pudore suffundaris, quia qui erubuerit eum coram hominibus, &c. Licet enim prima facie stulta & offendicula prædicare videare, illa tamen salutis æternæ adeo sunt efficacia, vt illis remotis nec gratiam & peccatorum condonationem in præsenti, nec gloriam in futuro quisquam assequi valeat. Dei namque virtutem ea in se continent, quæ annuntias, & crux, cuius mysterium prædicas, latentem spiritualis roboris efficaciam complectitur.

Cornua enim in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius; quæ à Propheta de cruce sunt dicta Abac. 3.

Quia porro & ipsius Timothei magister Paulus in vinculis coniectus erat, addit: *Nec me vinctum eius*. Licet enim infame & discrimini mortis obnoxium, rem illam nude consideranti videatur esse illud obsequium, quod Domino & magistro carceri, ob communem maleficij opinionem mancipato, à seruo & discipulo impenditur: Apostolus tamen Timotheum hortatur, eam ob causam, ne officij eum subpudeat, aut Euangelij subuereatur agere præconem; quia licet iam Euangelij causa, vinculis constrictus mortem præstoletur, id tamen non *patitur vt homicida aut fur aut maledictus, aut alienorum appetitor, sed vt Christianus; pro quo non erubescendum, sed glorificandum Deum, in isto nomine*, &c. vult Apostolorum princeps 1. Petr. 4. Quod præstiterunt illi Act. 5. qui *ibant gaudentes à conspectu consilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.*

Pauli, ne se vinctum Timotheus erubescat admonitio.

Magnam vero pretiosissimarum tribulationum præstantiam agnoscit hoc loco Paulus, cum se *vinctum Domini nostri* prædicat; quam etiam pręstantiam agnouit & in Epist. ad Ephes. cap. 4. cum se eodem *vincti* titulo exornat: *Ego*, inquiens, *Paulus vinctus in Christo*. Quasi nihil haberet præclarius, quo se Ephesijs cõmendaret, quam vincula, & carceres, pro Christi nomine perpessa. Hinc cum cætera communia sibi & regi Agrippæ precaretur, Act. 26. vincula sibi soli reseruat: *Opto*, inquit, *apud Deum & in modico & in magno, non solum te, sed omnes etiam qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego sum, exceptis vinculis his*,

Tribulationis præstantia.

Paulus alijs omnia concedēs, vincula sibi soli reseruat.

Vinculorum namq; gloriam alijs quodammodo inuidens, sibi soli inesse gaudebat. Quamuis etiam vincula ideo excepisse dici possit, quod illi, ad quos dicebat, tribulationum & vinculorum præstãtiam ignorarent, & si vincula etiam illis offerret, videretur proijcere margaritas ante porcos. Quod ipsum aduertit eo loci Chrysostomus; *Hoc*, inquit, *erat ei quasi aliud quiddam gloria dignum, ad aliorum suspicionem respiciens, addit; Exceptis vinculis his.* Et paulò luculentius Oecumenius: *Non*, inquit, *vincula exectans, aut ob ea pudore suffusus, hoc dicebat, nam hoc si quid aliud gloria & exultatione dignum apud eum habebatur, sed ad aliorum existimationem respiciens, ad illorum imbecillitatem sese dimittens.* Hanc vinculorum gloriam, cæteris licet amissis, prætermittendam non existimauit Ignatius, Epist. ad Tharsenses scribens: *Hæc*, inquit, *præcipio vobis, non quasi sim aliquid, tametsi vinctus sum.*

Paulus, sibi integer, cum pro Christo patitur.

Quid, quod videatur Paulus sibi ipsi integer perfectusq; homo, si in vinculis sit, si mortem pro Christo obeat, nihilq; præterea pretiosum esse: *Vincula & tribulationes Ierosolymis me manent*, ait Act. 20. *sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorē me.* Q. d. Nõ tam mihi vita pretiosior est, quam egomet mihi: Sed quem teipsum Paule dicis? Non liber ego vinculis, & iucunde viuens, sed *vinctus*, quotidie moriés, is Paulus est, is Apostolus. Sic meis vinculis & ærumnis pretiosius nihil. Hanc ob causam, qui se in Epistolis suis *Apostolum* nominare solebat, vbi propter Euangelij prædicationem in carcerem & vincula cõiectus est, prætermisso *Apostoli* nomine, quasi vinculorum nomen esset illustrius, *vinctum* se *Iesu Christi* inscribit, vt videre est in ea quæ ad Philemonem est data,

Vincti titulum Apostolatu suo præfert Paulus.

data, quam sic incipit: *Paulus vinctus Iesu Christi,* &c. Dicitur autem *vinctus* non solum is, qui vinculis est colligatus, sed & qui captiuus in carcere detinetur; quemadmodum patet ex eo, quòd in ijs Epistolis, quæ Romæ eo biennio scriptæ creduntur, quo manebat sibimet in suo conductu cum custodiente milite, Act. vlt. vinculorum mentionem faciat, seq; *vinctum* dicat, vt pote non vinculis, sed custodia. Licet enim in carcere (qui vinculorum nomine describi solet) vincula alicui non sint imposita, rectè tamen quis in vinculis esse dicitur, quandiu carcere detinetur. Sed non valet hæc *vincti* acceptio hoc loco, cum eo biennio & prima sua captiuitate non sit scripta hęc 2. ad Timotheum Epistola, sed post (circiter) decennium, cum secundo comprehenderetur, vt infra dicetur. *Vinctus, quis dicendus.*

Rectè porro *testimonij* voce Euangelij prædicationem magistrum secutus expressit hoc loco Apostolus. Christus enim Dñs Ioan. 16. discipulos suos alloquens: *Vos,* inquit, *testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Erant enim Apostoli testes eorum, quæ Christus ab initio suæ prædicationis & manifestationis factæ mundo, gesserat. Cum eo enim iam à Baptismo Ioannis conuersati fuerant, vt ex visu, tanquam oculati testes, omnia, quæ ab ipso fuerant facta testari possent, quasi ipsa experientia edocti. Quod fecerunt postea ipsi Apostoli, quemadmodũ 1. suæ Epist. cap. 1. testatur D. Ioannes: *Quod audiuimus,* inquit, *quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annũtiamus vobis.* Rursum 2. Petri cap. 1. *Hanc vocem nos audiuimus, cum*

Testimonij nomine Euangelica prædicatio significatur.

Apostoli veri Christi testes.

essemus cum illo in monte. Act. 2. *Hunc suscitauit Deus à mortuis, & huius nos testes sumus.* Hac motus ratione Act. 1. dixit Petrus: *Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt cōgregati, in omni tempore quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus, incipiens à baptismo Ioānis, vsq; in diem quo assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscū fieri vnum ex his.* Præcipuum enim Apostolicorum munerū, idq; maximè arduum erat, de Christi vita, doctrina ac diuinis operib⁹ cæteros facere certiores. Quod vt credibilius facerent, prius acceperunt *virtutem Spiritus sancti superuenientis in se*, vt idonei testes essent in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria & vsq; ad vltimum terræ. Neq; enim idoneus testis esse potest, quem non vitæ probitas commendat ac potissimum veracitas. Propterea aliquoties promittens ad eam rem eis Spiritum sanctū Dominus, appellat *Spiritum veritatis*, & qui quæ testificatur, probare possit efficacibus argumentis. Voluit namque Deus testimonijs, tam diuinis, quàm humanis, vti. Quamuis enim sufficere potuisset diuinum Spiritus sancti testimonium per opera diuinæ potentiæ; tamen humanum etiam Apostolorum adiunctum voluit, quod visui & experientiæ niteba-tur: Qua ratione auferre impedimenta volebat Apostolis Dominus, quæ eorum animos auertere ab hoc officio poterant.

Christiana religio idoneos testes semper habet.

Quam autem Christiana fides idoneos testes habeat, ita vt eorum sint testimonia nimis credibilia, demonstrat præ cæteris Eusebius, in lib. de demonst. Euang. maximè propter numerum & veracitatem (simplices enim erant pleriq; omnes ac rudes & de Christo probrosa quæque fideliter narrabant) propter

pter vitæ sanctitatem, maximumque mundi contemptum ac tolerantiam; propter doctrinam consentientem legi Moysi & naturali; & damnantem vitia omnia atque superstitionem: propter tot tantaq; miracula, & docendi adeo facilem benignamq; rationem, qua toti persuaserunt mundo.

Hoc porro testificandi ac persuadendi munus non tantum Apostolis commendatum fuit, sed, vt Augustinus, Epist. 80. notat, etiam successoribus eorum. Quod exercuit etiam ante illos Præcursor Ioannes Ioan. 1. 7. & 8. Et tamen Christus, Ioan. 5. negat se *ab homine*, siue Ioanne, siue ab alio quocumq; *testimonium accipere*, quasi eo egeat, & non maius habeat: Habet enim patris Ioan. 8. habet scripturarum Ioan. 5. habet operum. Ioan. item 5. *Sed hæc dico*, inquit producens Ioannis testimonium, *vt vos salui sitis*, id est, non egens Ioanne, cuius allego testimonium cui creditis vos. Possumus nos Christiani & verò debemus, quæcumq; se offert occasio, dictis factisq; testimonium perhibere Christo atq; veritati, vt à nobis diffametur sermo Domini, & qui nos ex bonis operibus considerabunt, glorificent Deum, & vitæ bono odore completi, currant & ipsi in odorem vnguentorum nostrorũ; imò Dei 1. Thessal. 5. 1. Petr. 2. 2. Corinth. 2. cap. 1. & vlt.

Testificandi munus non Apostolis duntaxat, sed eorũ etiam successoribus concessum.

19. *Sed collabora Euangelio secundum virtutem Dei.*

Tantum abest, ait, vt te pudere debeat Euangelicæ testificationis, ô Timothee, quin potius volo vt simul

Sententia sensus.

simul affligare cum Euangelio, hoc est, particeps earum afflictionum efficere, quæ prædicationem Euangelicam comitantur. Et quia opis humanæ non est, dura & acerba quæque tormenta pro Euangelio pati, addit: *secundum virtutem Dei.* Quibus verbis auxiliarem Dei manum minimè defuturam promittit, si, quod in se est, fideliter firmiterq; præstiterit. *Ipse enim dixit* Iosu. 1. Hebr. 13. *Non te deseram, neq; derelinquā*; ita vt cōfidenter dicere quis possit: *Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo. Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos*, Psal. 117. Timotheum igitur præmonet hoc loco Apostolus, contra impiorum hominum incredulitatem, odia & persecutiones, ne scandalizetur & cadat, sed cautior reddatur, non quidem in fugiendis offendiculis & periculis, sed in parui faciendis, & contemnendis, & superandis. Negari certè non potest, arduum esse, & supra omnem rationem Angelicam & humanam, prædicare Deum esse hominem factum; nec solum hoc, sed vsq; ad crucis mortem descendisse, & se humiliasse, morteq; hac redemisse mundum, quem sola voluntate poterat liberare. Quæ difficultas Esaiam Prophetam non latuit, cum cap. 23. dixerit; *Domine, quis credet auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est?* Ac si diceret; Domine arduum est credere, quę annuntiamus, brachiū tuum, nempe filium omnipotentem esse absconditū in velo carnis. Cuius difficultatis statim addit causam: *Non erat ei species neq; decor*; id est, quia vidimus eum mortuum & contemptum, quis credet esse hunc filium Dei?

Deum suis non deest.

Euāgelica prædicationis difficultas.

Cum ergo res ardua in se & difficilis, nec viribus humanis assequenda & intelligenda sit, idcirco appositissimè

positissimè addidit Paulus: *Secundum virtutem Dei.* Quibus verbis ostendit Timotheo, nulla quidem ratione eum posse testimonium tale efficaciter perhibere, nec eius testimonium perhibitum quicquam esse profecturum, nisi ope Spiritus sancti nixum; Qui cum à patre procedat, ipsiq; sit consubstantialis, & omnia norit & quæcumq; voluerit, doceat, persuadeatq; eius ope nihil non ex sententia assecuturus est: Nam quod ipse verè per se non posset, S. Spiritus virtute facilè conficiet. Est enim *spiritus veritatis*, est & *virtutis*: Vt spiritus omnia penetrat; sic Spiritus sanctus corda hominum penetrabit, & quia spiritus est veritatis, quocumq; pertransierit, veritatem ipsam stabiliet & figet. Et propterea licet Timotheo periculum certum imminebat, illud tamem minimè timeri insinuat, quia Spiritus virtûtis nō solum spernere & contemnere pericula omnia temporalia ipsum efficiet, sed potius desiderare, & in eis gaudere. Certum est enim Spiritum sanctum per Apostolos de Christo testimonium reddidisse mundo (quemadmodum author est Augustinus, tract. 93. in Joan.) dum in eis ea omnia effecit, per quod testimonium perhibebant, iuxta illud Matth. 10. *Non estis vos qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et Act. 1. *Accipietis virtutem Spiritus sancti superuenientis in vos, & eritis mihi testes in Ierusalem & in omni Iudæa & Samaria, vsq; ad vltimum terræ.* Non quod per Apostolos & Prædicatores duntaxat, testimoniū perhibuerit, sed etiam per seipsum miris alijs operibus, cur fuerit à Christo missus, tanquam à patre procedens, vt vtriusq;, & suam ipsius sapientiam, bonitatem, & potentiam diuinam declararet; Hæc enim

Testimonium absq; Spiritus S. ope redditū inefficax.

Spiritus S. de Christo testimonium reddidit.

tria in testimonio necessaria sunt; sapientia quidem, vt sciat veritatem, bonitas, vt eam aperiat, nec decipiat aut fallat, & authoritas, qua talis ab alijs iudicetur; qualis est, vt sit omni superior exceptione. Nihil autem potuit reperiri vnquam æquale ei, qui scientiam, bonitatem & potentiam haberet cũ Deo eandem.

20. *Qui nos liberauit, & vocauit vocatione sua sancta, &c.*

Liberationis & Vocationis voces Deo propria, cur hoc loco adiuncta.

Liberationis siue *Saluationis* (vt Græci legunt) & *vocationis* voces, Deo propriè & præcipuè conueniunt, quas propterea huic loco adiunxit Apostolus; primum, vt Apostolorum & Episcoporum vocatio-
1. nem non esse humanis præsidijs, sed gratæ Dei beneficentiæ tribuendam, apertè doceret; ne quis Euangelicam legationem obeundo, insolesceret, aut
2. fastu quodam efferretur. Deinde, vt Timotheo, quantum à Deo in tribulationibus & persecutionibus sit adiumentum expectandum, insinuaret. Quasi eum moneret, vt memoria repetat, qualis ante vocationem ad fidem fuerit, & qualis postea euaserit. Ex quo futurum ominatur, vt magis adhuc Dei virtutem experiatur, si quando in vitæ discrimen propter Euangelij prædicationem inciderit:

Sententia paraphrasis.

Ac si dicat: Posteaquam accesisti ad fidem, non minorem dextræ excelsi in animo tuo sensisti mutationem, quam admirabilem Spiritus sancti virtutem; maiorem adhuc grassante persecutione inposterum experturus es, si tibi ipsi non defueris. Futurum est enim, vt & in ipsis tribulationibus glorieris, hoc

est,

est, non solum læteris spe cælestium bonorum, æternæq; hæreditatis, quam promissam sibi à Deo expectant omnes Christiani, omnia quæ ipsis accidunt aduersa infracto corde perferentes, sed ipsis etiam tribulationibus, multis licet, multumq; acerbis læteris atque glorieris, quod per eas non tè fugiat mirum in modum vegetari atque roborari eam, quam æternæ hæreditatis spem habes. Voluntaria siquidem tribulationum & malorum tolorantia, reddit eum, qui talia perfert, probatum & exploratum atq; cognitum, tam sibi quàm alijs, quanti Deum faciat, quantiq; cælestia bona æstimet.

Liberationis seu *saluationis* nomen tum peccatorum remissionem, tum reconciliationem cum Deo importat, secundum quod Psal. 67. dicitur: *Deus noster, Deus saluos faciendi*: quod ei non minus proprium sit homines facere saluos, quam v.g. Causidico causam agere & defendere, sacerdoti sacrificare. Hunc titulum Christo Matth. 2. tribuit angelus, imponẽdi nominis ipsius rationem reddens, quod scilicet saluum facturus esset populum suum à peccatis eorum; quod vni Deo conuenit. *Ego sum Deus*, ait Esaiæ cap. 43. *qui deleo iniquitates tuas*. Et Luc. 15. dicunt Pharisæi; *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Scriptum est enim Oseæ, cap. 1. *Saluabo, ait Deus, eos in Domino Deo suo, & non saluabo eos in arcu, & gladio, & bello*, &c. Hinc Anselmus & Chrysostom. in prædicta verba Matth. *Saluabit, non ab hostibus corporalibus, sicut Iosue & Dauid* (*qui etiam saluatores* appellantur) *sed à peccatis, quod non est hominum, sed Dei solius*, &c.

Liberationis nomen quid importet?

Saluatoris titulus Christo ab Angelo tributus.

Vocationis in Scriptura vocabulum, multis modis est passim obuium. Quantum autem ad præsens propositum attinet, duplex est: Vna generalis, qua Deus omnes homines ad sui cognitionem & fidem trahit, de qua Matth. 21. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Altera est particularis, qua ad aliquem gradũ, officium & dignitatem in sua vocat Ecclesia, de qua dicitur Hebr. cap. 5. *Nec quisquam sibi honorem sumit, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Timotheus igitur has duas distinctas vocationes habuit. Prius enim ad Christi fidem vocatus, in eaq; instructus est, quẽadmodum ex prioris & huius ad eum missæ Epistolę cap. 1. sicut & ex his quæ hactenus dicta, elucescit: & ad Episcopatum vocatus est *per prophetiam*, hoc est, per factam ipsi Paulo reuelationem, priusquam in Episcopum consecraretur. 1. Timoth. 1. Quæ tum ad fidem, tum ad Apostolatum distinctæ vocationes, cæteris quoq; Apostolis propriæ fuerunt, cum & ipsi has habuerint. Prius enim ad Christi fidem sunt vocati; Petrus quidem per Andream Christum nouit, Ion. 1. vbi & Christus Philippum vocat, &c. At posterius ad Apostolatum vocauit, quando Luc. 6. *pernoctans in monte in oratione Dei, cum dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit ex eis duodecim, quos & Apostolos nominauit.* Quæ duæ vocationes nec Paulo defuerunt, cum vocatus sit primo ad Christi cognitionem & fidem, factusq; de Apostolorum numero (extraordinario tamen) Act. 9. aliquanto autem pòst tempore cõfirmatus fuerit Apostolus ab Ecclesia Act. 13. quando scilicet Spiritus sanctus dixit: *Segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus, ad quod assumpsi eos.*

[Margin notes: *Duplex vocatio* — 1. — 2. — *Dupliciter vocatus Timotheus.* — *Vocatio Pauli duplex.*]

Et licet

Et licet vtriusq; *vocationis* hic fieri mentionem dixerimus, tamen si adiectum *vocationi* nomen *sancta* respicere velimus, prior illa ad fidem *vocatio* videtur intelligenda. Et hac prouocatur à Paulo Timotheus, ad Dei recolendum ingens beneficium, quo, cum ex massa perditionis filius iræ & tenebrarum natus esset, non ad fidei lumen solum, sed etiam ad primariam in Ecclesia functionem non suis meritis, sed vna Dei voluntate esset vocatus. Ideo enim dicimur *vocatione sancta* vocati, quia cùm peccatores essemus, vocando nos, sanctos, & diligendo dilectos effectos, à peccati, dæmonis & carnis seruitute liberauerit. *Elegit* enim *nos Deus ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati.* Quasi diceret: Non quia eramus sancti, sed vt eius gratia suffulti, ita laboremus, ita certaremus, vt sanctitatem & felicitatem æternam posthac assequeremur. *De qua vocatione hic locus accipiendus.*

21. *Non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam.*

Sensus est: Ea liberatio & vocatio diuina, non est putanda propter nostra merita & opera contigisse, sed ea tota beneplacito diuino eiusq; gratiæ est assignanda; Quæ, secundum Chrysostomũ, si ita est, tantaq; nobis præstitit Dñs, vt nullis nostris meritis precedentibus, imo cum inimici essemus, vocauerit; multo magis, cum operantes filios viderit, cooperator accedet. *Sensus sententia.*

Ex quibus colligitur, omnia humana merita remoueri in causa primæ iustificationis, quemadmodum etiam S. Augustinus, lib. 1. ad Simpl. q. 2. ostendit, & lib. 2. Hypogn. confirmat, vbi: *Taceat*, inquit, *humana* *Prima iustificatio omnia humana merita remouet.*

humana lingua, & prorsus in prædestinatione de meritis non extollatur: Diuinæ voluntatis est hoc donum, non humanæ fragilitatis meritum. Neq; enim præcedentia quædam bona opera, neq; quæ facturi erant homines, causa fuêre vocationis eorum ad salutem, sed contra potius prædestinatio est eorum causa, tanquam effectuum, quemadmodum satis elucet, ex ijs quæ scribit Apostolus in 1. & 2. cap. ad Ephes. cum ait. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in veritate.* Vbi attendum est, non dixisse Apostolum, nos à Deo esse electos, & prædestinatos, quia futuri eramus sancti, sed contrà potius, nos fuisse prædestinatos, *vt essemus sancti.* Non enim sanctitas futura hominis, est causa prædestinationis eius; sed contra prædestinatio eius causa est, vt futurus sit ipse bonus & sanctus. Propterea ibidem subiungit Apostolus: *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei per Christum secundum propositum voluntatis suæ.* Et paulò pòst subdit: *In quo etiam nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, vt simus in laudem Dei & gloriam eius.*

Prædestinatio est absq; præmissis operibus.

Ex quibus conficitur, Deum bona opera præparasse, vt in illis ambulent, qui sunt prædestinati; cum prædestinatio, authore Augustino, sit præparatio beneficiorum & donorum Dei, quibus homo promouendus & perducendus est ad vitam æternam. Quare præuisio bonorum operum non est causa prædestinationis, sed ipsa potius bona opera sunt prædestinationis effecta, quemadmodum huius loci

Quid sit prædestinatio.

Bona opera prædestinationis effecta.

loci ſententia apertè etiam teſtatur. Quam confirmat illa quæ eſt ad Tit. cap. 3. *Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè.* Quæ verba fusè tractans valde vrget D. Auguſtinus in Epiſt. 150. ad Sixtum, & in lib. de Prædeſtinat. Sanct. à cap. 12. Quod ipſum, rationem ipſam euincere docuit Pererius in cap. 8. Epiſt. ad Rom. diſp. 23. Quicumq; enim ordinatè vult finem & media ad finem, prius ordine rationis vult finem, deinde media propter finem. Finis etenim, ſicut in eſſe cognito, ita in eſſe volito prior eſt quàm media: neque enim media appetuntur ab homine, niſi propter finem, & menſura & modus mediorum petitur à fine; quo fit vt volitio mediorum neceſſario præſupponat volitionem finis.

Prædeſtinatio ad vitam ratione prior quam ad media.

Hinc neceſſario efficitur atque concluditur, prius eſſe rationis ordine, velle Deum dare alicui vitam æternam, deinde autem velle illum habere media, quæ perducunt eum ad vitam æternam: inter quæ media, & bona opera, & bonus liberi arbitrij vſus numerari debent. Non igitur Deus prædeſtinat homines ad vltimum finem ob præſcientiam bonorum operum, quæ illi facturi ſunt, &c. Et ſanè adiuncta verba huius loci: *Non ſecundum opera noſtra; ſed ſecundum propoſitum ſuum & gratiam*, idipſum apertè confirmant, quæ ſolet Apoſtolus, cum de hominum electione ad gratiam & vitam æternam loquitur, vſurpare; quemadmodum & vocabula *propoſitum, beneplacitum, conſilium Dei*,

vel

vel *voluntatis diuinæ*, quę sunt eiusdem significationis. Rom. 4. *Ei qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, fides imputatur ad iustitiam secundum propositum gloriæ Dei.* Et cap. 9. *Vt secundum electionem propositum Dei maneret.* Ephes. cap. 1. *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei secundum propositum gratiæ suæ.*

Prædestinationem nihil meretur sed est gratuita.

Propositum auté & hoc loco, & in cit. loco Ephes. operum merito, sicut & vocabulum *gratiæ* adiunctū, debito opponit Apostolus, vt ostendat prædestinationis donum nihil in prædestinato pręcedere, quod ipsam prædestinationem promereatur. Hinc prædestinationis causam facit passim diuina scriptura gratuitam Dei voluntatem. Rom. 9. *Non volentis neq; currentis, sed miserentis est Dei.* Et paulò pòst ex cap. 33. Exod. *Miserebor cui misereor, & misericordiam præstabo, cui miserebor.* Quod ipsum etiam demōstrat Iacob & Esau exemplis Malach. 1. qui priusquam aliquid egissent boni & mali, vt propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: *Quia maior seruiet minori, sicut scriptum est; Iacob dilexi, Esau odio habui.* Cui etiam conuenit illud Domini Luc. 12. *Gaudete pusillus grex, gaudete, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.*

Prædestinationis effectus ab ipsa prædestinatione dependēt.

Recte ergo hoc loco dixit; *non secundum opera nostra*, nos fuisse vocatos ad sanctitatem, vt ostenderet omnes effectus prædestinationis ab ipso prædestinationis actu dependere, adeo vt & ipsam etiam fidem (quam aliqui prædestinationis meritoriam esse, falso dixerunt) inter prima prædestinationis effecta haberi debere insinuet, quemadmodum etiam & ipsa diuina scriptura testatur, Ioan. 16. *Hoc est opus Dei,*

dicit

dicit Dominus Iudæis, *vt credatis in eum quem misit ille.* Et Paulus Ephes. 2. *Gratia estis saluati per fidem; & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Quo pertinet illa D. Lucæ sententia Act. 13. *Crediderunt*, inquit, *omnes, quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Q. d. diuinam præordinationem ad vitam æternam, tanquam causam & rationem assignari cur crediderint. Si enim *non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis tanquã ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*, 1. Corinth. 3. quanto minus à nobis est ipsum credere, quod cum sit supernaturale quippiam, aut diuinum, non solum ratione obiecti, sed etiam propter difficultatem ex parte intellectus nostri, & propter summam certitudinem, qua opus est in credendo, singulare exiget quoddam & supernaturale Dei auxilium.

22. *Quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia.*

Gratuitæ electionis & vocationis beneficium, dicit Apostolus nobis contigisse in Christo, id est, per Christum. Neq; enim Paulo insolens est præpositionem *(in)* sumere pro *(per)* vt patet ex cap. 1. Epist. ad Ephes. *Et benedixit nos in ipso & elegit nos in ipso*, id est, per ipsum; *& gratificauit nos in dilecto filio suo.* Hebr. cap. 1. *Loquens Patribus in Prophetis, nouissimè locutus est nobis in filio*, id est per Prophetas, per filium. Si namq; prædestinatio, ad omnes quidem eos effectus referatur, qui peraguntur in ipsis prædestinatis certum est, causam meritoriam esse Christum, id est, passionem eius & mortem; quod sæpe admodum Paulus indicat, præsertim cap. 1. ad Ephes. vbi omnia in vniuersum dona gratiæ, nobis ꝑpter Christum

In pro, per.

Christus, prædestinationis causa meritoria quomodo dici possit.

ſtum contingere, aliquoties inculcat, & nominatim etiam ipſam prædeſtinationem, vt cum ait: *Sicut elegit nos in ipſo* (Chriſto) *ante mundi conſtitutionem.* Et rurſus: *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum*, qui paſſionis ſuæ virtute ſecundum iuſtitiæ rigorem, æternum patrem obligauit, vt, ſpóſione facta, vellet omnibus reconciliari conferreq; ſalutem, atq; adeò etiam id faceret, quatenus ipſi homines vterentur medijs, quæ propter ipſorum maiorem vtilitatem, quaſi ex conuentione inter Chriſtum & æternum ipſum patrem inita, ad eum effectũ valerent. Quam quidem obligationem ſiue cuiuſdam adminiculo cooperationis noſtræ, aut vſus mediorum, Chriſtus per ſemetipſum ſolus æterno patri iniecit, quando *torcular calcauit ſolus*. Eſai. 63. Adeo vt pater æternus teneatur propter bonitatem quoq; operum noſtrorum, vt à gratia per Chriſtum parta procedunt, nobis conferre effectum meriti & ſatisfactionis noſtræ; ſed tamen, non niſi quatenus ea opera ſubſtant diuinæ promiſſioni: quam quidem promiſſionem minimè nos meritis noſtris aut ſatisfactionibus primum obtinemus, ſed ſolus Chriſtus illam meritorum ſuorum vi à Deo patre impetrauit. Nam vniuerſæ Chriſti operationes æterno patri gratiſſimæ fuerunt Ioan. 8. vt proinde fuerit illis, omnibus hominibus placatus & reconciliatus. In his namq; quæ Chriſtus gerebat, perpetuo ſe ſui patris gloriam, negotiumq; ipſius agere, ſubinde conteſtabatur, intelligens nimirum, non aliud, niſi redemptionis opus, ſibi demandatũ à patre. Ioan. 5. 8. & 17. Quo pertinet etiam illud Eſai. 40. *Ecce Dominus veniet & merces eius cum illo, & opus eius coram illo.* Q. d. quod Dominus

Dominus nihil habiturus esset in vita prius, quàm vt opus redemptionis aggrederetur. Hinc ipse Dñs Ioan. 17. in oratione ad patrem: *Opus*, inquit, *consummaui, quod dedisti mihi vt facerem.* Vbi *consummasse* se, id est, iam iam, (cum morti vicinus esset) consummaturum se fuisse redemptionis opus dicit, quoniam illud certè prius inchoârat.

Redemptionis humanæ opus in cruce consummatum.

Porro non nisi morte ipsius in cruce, quæ iam tunc instabat, opus istud redemptionis nostræ consummatum fuisse, patet ex multis scripturæ locis, quibus illud quasi pactum indicatur, ex quo debuit in cruce perfici nostra redemptio. Esai. 5. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.* Ioan. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Luc. 24. *Nonne oportuit Christũ pati?* Hinc Apostolus Colosſ. 2. per mortem demum, ait, *Christum deleuisse chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & affixisse cruci;* quia ibi videlicet absolutè dissolutum fuit debitum humani generis. Hinc scriptura passim redemptionem ascribit morti & sanguini Christi effuso, quatenus & mors eius & effusus sanguis, obiectum fuerunt charitatis illius & obedientiæ, qua voluit Christus mori & sanguinem fundere pro nobis.

Tempora secularia quæ?

Dicit autem hanc vocationis & electionis gratiam fuisse datam à prouidentia diuina *ante tempora secularia*, siue, vt est in Græco, *sæculorum*, id est, antequam cœpissent cum seculo tempora ista, quæ spatijs suis voluuntur & transeunt. Sicut enim pater ab æterno prædestinauit nos saluare; ita etiam ab æterno certum modum & definitum tempus salutis nostræ præuidit; Deus enim ab æterno sic eam dare

decreuit, vt eius voluntas immutabilis non minus esset certa, quam eiusdem promissio & donatio. Hæc sunt ergo *tempora*, quæ Paulus appellat *sæcularia*, quæ ante aduentum Christi fuerunt, de quib⁹ Rom. 16. videtur etiam fieri mentio, vbi dicitur: *Ei autem, qui potens est vos confirmare, iuxta Euangelium meum, & prædicationem Iesu Christi, secundum reuelationem mysterij temporibus æternis taciti*, id est, paucis & obscurè reuelatis sæculis illis, quæ Christi aduentum præcessere. Et vt hoc aperiat, infert; *Quod nunc patefactum est per scripturas Prophetarum*, &c. id est, quod nunc testimonijs Prophetarum confirmamus, vt omnes gentes credant. Nam hoc mysterium Christi, quod temporibus æternis fuit tacitum, *nunc*, id est, in tempore *patefactum est per Prophetarum scripturas*, vt ab hominibus crederetur per fidem, & obedirent Dei verbo credentes. Nam illud (*nunc*) tempus creatum indicat, vt ab æterno distinguatur, quod ad tempus Pauli non refertur, sed ad totum illud, quod fuit legis tempore. Quod enim ante sæcula Deus præordinauit, per Prophetarum oracula patefieri ordinauit, vt crederent homines mysterium hoc priusquã reipsa executioni mandaretur. Abacuc. 2. *Iustus meus ex fide viuet.*

23. *Manifestata est autem nunc per illuminationem Saluatoris nostri Iesu Christi.*

Ostendit tempus & modum, quibus prædestinationis gratia ante tempora sæcularia à Deo hominibus promissa, fuerit orbi patefacta, nobisq; omnibus

bus declarata; nempe quando apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt *abnegantes omnem impietatem & sæcularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viueremus in hoc sæculo.* Tit. 2. Tum enim manifestata est hęc diuina ab æterno hominib⁹ data gratia, cũ *plenitudine tẽporis adueniente, misit Deus suũ filium factũ ex muliere, factũ sub lege, vt eos qui sub lege erãt redimeret,* Galat. 4. nempe apparente mundo aduentus ipsius Saluatoris diu expectata dispensatione. Tum enim vt est apud Iob cap. 18. *abscondita produxit in lucem*, quia viderũt Christi gloriam illius discipuli, *quasi vnigeniti à patre, pleni gratia & veritate*, Ioan. 1. Videbant enim in eo diuinæ virtutis opera v. g. in baptismo, in nuptijs, in transfiguratione, in vita, in morte, &c. & simul eiusdem admirabilem sapientiã, & inusitatam doctrinam, in quibus diuinitatis expressus splendor, certaq́; & euidentia argumenta renidebãt. Accedit, quod *Verbum caro factum* non tantum per se, sed & per suos prædicatores toti mundo veritatem suam & Euangelium salutis annuntians; *illuminasse*, dicitur *omnem hominem venientem in hunc mundum*, Ioan. 1. simulq́; gratiam & veritatem in terram adduxisse, iuxta id quod Psal. 84. scriptum est: *Veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit.* Licet enim omnes homines lucis Christi lumen, id est, fidem, in qua est salus, non recipiant, id ex lucis supernaturalis defectu minimè prouenit, sicut & in sole contingit, qui sufficiens lumen expandit, vt omnes illuminet, & omnibus propositus est vt videãt. Quod si qui eum non vident, defectus solis non est, sed eorum, qui lumen illud nolũt recipere. Iis enim, qui *habitant in regione vmbræ mortis*, luce vitæ orta,

Aduentus Christi prædestinationis tempus & modus patefacta.

Christi diuinitas certis argumentis & signis demonstrata.

Deus omnem hominem illuminat.

qui cordis oculos non clauserunt, admoniti sunt, vt semper recordarentur, quia, repulsa antiquæ cæcitatis nocte, dies æternæ salutis iam illuxisset, vt abijcientes opera tenebrarum, instar filiorum lucis ambularent *in sanctitate & iustitia coram Deo omnibus diebus vitæ suæ.* Efficax sanè semper lucis huius spiritualis vsura ijs fuit, qui bonæ fuissent voluntatis & perfecti cordis. Eiusmodi erat Simeon, cuius oculi cum *salutare Dei* & lumen ad *illuminationem Gentium, & gloriam plebis Israël* præparatum vidissent, protinus dissolui cupijt vt perennem lucis huius æternæ vsuram reciperet. Dicit ergo Paulus: *Christum Iesum & Saluatorem* nostrum gratiæ adipiscendæ mysterium illud, quod *absconditum erat à seculis & generationibus, reuelasse* Colos. 3. & ijs manifestasse sanctis, quibus voluit *fidei munere notas facere diuitias gloriæ* sacramenti huius absconditi in gentibus, vt hac ratione recta ad veram sapientiam homini via pateret. Sicut autem sol non hunc tantummodo vel illum, sed omnes illuminat populos: Sic & Christus non Iudæorum duntaxat nationem, sed cæteras etiam Gentes suæ doctrinæ fideiq; luce illustrabat, iuxta illud Esai. 49. *Ecce dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsq; ad extremum terræ.*

Saluatoris vox Euangelica.

Saluatoris nomen Euangelica vox est, & lætissima, quæ sæpe à Prophetis de Christo futura vaticinantibus celebrata, ab angelis illo nato annutiata, & à S. Petro Iudæis est proposita, cum Act. 5. diceret: *Hunc principem & saluatorem Deus exaltauit dextera sua.*

Cur Christus Saluator dicatur.

Dicitur autem Christus σωτὴς Græcè, Latinè *Saluator,* quod salutem humano generi attulerit, quam nullus hominum afferre potuit; perfectam videlicet, æternam, ac diuinam. Perfecta n. Christi salus fuit, quia

non

non corporis tantum, ſed animi quoq; morbos omnes depulit, præſentiſſimiſq; remedijs perfectiſſimè curauit. Hinc de eo canit Regius vates, Pſal. 102. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui ſanat omnes infirmitates tuas:* In quem Pſal. D. Auguſtinus; *Omnipotenti medico*, inquit, *nullus languor inſanabilis occurrit.* Æterna eſt, vt teſtatur Eſaias, cap. 45. *Iſraël ſaluatus eſt in Domino ſalute æterna.* Diuina eſt, quia tam ſunt horrendi & periculoſi animorum morbi, vt nemo niſi ſolus Deus illos pellere ſalutemq́; afferre poſſit, quemadmodum Deum alloquens Iob, cap. 14. *Quis poteſt facere mundum, de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es?*

Quare hoc *Saluatoris* nomen, noui Teſtamenti authoritate, Chriſto videtur eſſe appropriatum; licet interim eodem nomine, in veteri Teſtamento dicti reperiantur ij, quos excitabat Deus vel prouidum annonæ creatorem, vt Ioſeph. Gen. 41. vel hoſtium debellatorem, vt Othonël, Iud. 3. Aiod, Iud. 15. & illum ſiue angelum, ſiue principem tempore Ioachas regis Iſraël 4. Reg. 13. vel deniq; iudicem & populi ducem, Eſdr. 9. Eſai. 19. Abd. Superſtitioſa etiam gentilium conſuetudine receptum fuit, vt ipſi etiam eorum dij *Soteræ*, id eſt, *Saluatores*, ſeruatores ſoſpites dicerentur; necnon apud eoſdem, principibus viris, vel vt epitheton, vel etiã vt cognomen idem aſſignaretur.

Saluatoris nomen, licet pluribus tributũ; tam Chriſto appropriatum.

Saluatores apud Ethnicos.

Verum, ab hoc *Saluatoris* nomine, tanquam minus Latino abhorrere videntur, non modo Hæretici ab Eccleſiæ Catholicæ conſuetudine prorſus alieni; ſed & Catholicorum quidam ſcioli; eius loco, *ſeruatoris* vocem, vt Ciceronianam ſubſtituere malentes. *Sed indignum vehementer exiſtimo*, ait D. Gregor. præf. in lib.

Contra ſciolos Saluatoris vocem vt minus Latinam rejicientes.

in lib. moral. c. 5. *ut verba cælestis oraculi restringam sub regulis Donati.* Præstat enim in rebus fidei sanctissimis simul & eloquentissimis Patribus potius, quàm Ciceroni, morem gerere, qui eo nomine non solum sunt vsi, sed id tanquam Latinum probarunt. Sic inter alios de eo nomine scribit Augustinus, lib. 3. de Trinit. cap. 20. *Qui est Hebraicè Iesus, Græcè* σωτὴρ *nostra autem locutione Saluator. Quod verbum Latina lingua antea non habebat, sed habere potuit, quando voluit.* Quod ad ipsum, quem sibi in Seruatoris voce substituenda imitandum proponunt. Ciceroniani illi, vel ipse Latinæ linguæ parens Cicero disertis verbis negat Græcam vocem σωτὴρ, vno latino vocabulo exprimi posse, cum lib. 1. in C. Verrem: *Itaq;* (inquit) *eum nō solum patronum istius insulæ, sed etiam Sotera inscriptum vidi Syracusis. Hoc quantum est? Ita magnum vt Latino vno verbo exprimi non possit; Is enim nimirum Soter, qui salutē dedit.* Hæc ille, qui apertè confirmat, vnicam illam *Seruatoris* vocem, non esse sibi visam satis efficacem, quæ Græcam vocem Latinè æque redderet. Quare noua vox excogitanda fuit, quæ illam exprimeret; quod non tantum in his, quæ religionis sunt, sed etiam in his, quæ spectant ad scientias artesque, optimo iure fieri posse & debere, idem Tullius lib. 3. de finib. subindicat, cum ait: *Huiusmodi res* (ad Philosophiam pertinentes) *dicere ornatè velle, puerile est, planè autem & perspicuè expedire posse, docti & intelligentis* est viri.

22. Qui

23. *Qui destruxit quidem mortem, illuminauit autem vitam & incorruptionem per Euangelium.*

Sicut in horizonte sol existens, tenebras suis radijs discutit & mundum illuminat; ita verum iustitiæ solem Christum Dominum, aduentus sui dispẽsatione tenebricosam mortis noctem fugasse, iucundumq; vitæ æternæ lumen emisisse dicit hoc loco Apostolus, vt qui *natura erant filij iræ & tenebrarum*, nunc *in Domino lux effecti, tanquam lucis filij ambulent.* Cæterum, variè reperitur in scriptura acceptum *mortis* vocabulum. Nam primo, idque frequentissimè accipitur *mors*, pro dissolutione animæ & corporis. Hanc *mortem* Christus destruxit, non quidem in nobis, quandoquidem & iam suum in nos imperium, animam à corpore dissoluendo exerceat, vt per se patet; sed in se duntaxat, propria scilicet virtute nunquam moriturus resurgendo. Licet enim *mors* crudeliter in Christum fuerit dominata, cum in arâ crucis positus, suum Deo patri reddidit Spiritum; eum tamen mortuum detinere mors non valuit, sed proprâ virtute, vitam, quam non ex necessitate, sed voluntate deposuerat, ipsâ etiam inuitâ, resumpsit. Quo facto *mortem* illam, quæ in dissolutione corporis & animæ consistit, ita in se destruxit Christus Dominus, vt mori amplius nullo modo possit. *Christus* enim, ait D. Paulus, Rom. 6. *resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors vltra ei non dominabitur.*

Varia mortis acceptiones.

Mortem corporalem in se destruxit Christus.

Cæterùm, quia ad perfectam nostræ redemptionis rationem pertinebat, vt redemptor suos redem-

Mors corporalis per Christũ destructa, etiã in nobis, dici potest.

ptos à morte quoq; corporis liberaret, eam corporis libertatem non neglexisse Christum Dominum, dicendum est. Eam igitur libertatem abundè perfecit, cum in seipso *mortem* deuicit, deuictamq́;, in nobis
1. etiam resurgendo destruxit. Sua enim resurrectione effecit Christus Dominus, vt quem mori necesse erat hominem, eundem, redemptoris sui resurgentis ope ac virtute, sit quoq; necesse à morte resurgere; quemadmodum 1. Corinth. 15. apertè declarat, cum hac consecutione, aduersus futuram mortuorũ resurrectionem negantes, vti videtur: Si Christus resurrexit, & nos resurgemus. Si enim Christus viuit, & post mortem resurrexit rediuiuus homo, profecto erit humanæ vitæ reliquis hominib⁹ exemplar & causa; adeoq; vitæ conferendæ certissimam iniiciet spem mortalibus omnibus, proposito suæ vitæ exemplari, qui mortem illorũ sua morte repræsentauit & interemit. Sic eleganter orat. 1. Nazianzenus: *Mors aduersus mortem & tenebræ propter lumen: & sepultura aduersus illam in terram reuersionem: & resurrectio propter resurrectionem.* Ipsa igitur Christi resurrectio, certissimum pignus, certissima quoq; spes est nostræ resurrectionis, vt propterea corporalem *mortem* etiã in nobis destruxisse dici possit; cùm iam resurrexisse videri possimus, vt 1. suæ Epist. cap. 1. princeps Apostolorum subindicat, cum spem futuræ resurrectionis, quam nobis iniecit Christi resurrectio, vitæ cõiunxit: *Regenerauit nos* ait *in spem viuam per resurrectio-*
2. *nem* IESV *Christi ex mortuis.* Eadem etiam *mors* per Christum in nobis destructa dici potest, hoc ipso, quod eius *mortis* timorem ex suorum animis penitus abstulerit. Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidũt corpus,* &c.

pus, &c. Nam si illa potestas regia verè per eum destrui dicitur, qui eam contemnendam potius, quàm timendam, & subditis & exteris persuadere nititur; meliori sanè iure *mortis* potestas per Christum destructa dicitur, quod is & contemnendam & non timendam, non tantùm persuadere nixus est, sed ita persuasit, vt cum Paulo *dissolui* multi *cupiant, & esse cum Christo*. Quæ cum ita sint, rectè cum Paulo *mortem* aliquis interrogauerit: *Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus?* Q.d. Vbi est mors causa illa tua, qua contra homines in iudicio Dei certabas, & superior illis eras? Aut; vbi est sententia illa, quam, quasi Dña, in homines pronuntiabas, vt scilicet omnes morerentur? Vbi est ius illud, quod habebas in genus humanum, vt totum perderes? Vbi est pœna illa durissima, qua omnes mulctabas & perdebas? *Absorpta est mors in victoria. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum Dominum nostrum*, qui *præcipitauit mortem in sempiternum*, Esai. 25.

Secunda *mortis* significatio est; cum pro peccato sumitur, quemadmodũ lib. de profugis docet Philo, expendens illam & similes Scripturæ phrases; Quod lex iubet, vt *homicida voluntarius morte moriatur. Cur*, inquit ille, *non modo mori pronuntiat, sed morte mori? quia videlicet mali etiamsi ad extremum pertingãt senium, mortui sunt, quod virtute non viuant: Probi verò etiamsi seiungantur à corpore, in æternum viuunt. Quod enim peccatum mors sit, probari potest ex illo Ecclesiast. cap. 15. Posui coram te vitam & mortem, bonum & malum. Eodem sensu dicitur Psal. 113. Non mortui laudabunt te Domine. Caini impudentis fratricidæ mors* (subiungit idem) *nunquam in lege inuenitur; immò extat de illo hoc oraculum*, Genes.

2. mors sumitur pro peccato.

Peccatum, vera est mors.

cap. 4. *Apposuit Dominus Deus in Cain signum, ne quis eum inuentum interimeret. cur ita? quia impietas malum est infinitũ, quod semel accensum, nunquam extingui potest. In quam quadrat illud Poëticum: Immortale malum nulla delebile morte.* Hæc Philo.

Idem testatur D. Gregorius, super illa Iob cap. 3. lib. moral. *Obscurent eum tenebræ, & vmbra mortis.* Ibi enim docet S. Pater, eiusmodi *mortem* peccatum esse, vt præ illa *mors* corporalis non *mors*, sed *vmbra mortis* appelletur. *Vmbra,* inquit, *mortis mors carnis accipitur, quia sicut vera mors est, qua anima separatur à Deo; ita vmbra mortis est, qua caro separatur ab anima. Vnde rectè voce martyrum per Prophetam dicitur Psal. 43. Humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis. Quos enim constat non spiritu, sed sola carne mori, nequaq̃ se vera morte, sed vmbra mortis dicunt operiri.* Hæc Greg.

Peccati mortem destruxit Christus.

Hanc *peccati mortem destruxit* etiam *Christus* Dñs, quia vetus illa vita, quam secundum desideria carnis, & illecebras peccatorum viximus; itemq; vetustas omnis per Adæ peccatum, in humanam naturam inducta, cruci affixa sunt cum Christo in Baptismo, & alijs etiam Sacramẽtis. Et hoc in eum vtiq; finem, vt *abolito corpore peccati, vltra non seruiamus peccato;* quemadmodum cap. 6. ad Roman. probans Apostolus: *Hoc scientes,* inquit, *quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati.* Hoc autem *peccati corpus,* nihil aliud est, quàm peccatorum vniuersitas, quæ tanquam corpus ex varijs membris; ita ex multiformibus vitijs constat. Sicut enim per diuersa membra corporis, homo diuersas actiones exequitur; sic animus per diuersa vitia, etiam diuersa peccata & mala facit. Hoc autem *peccati corpus de-*

Peccati corpus, quod, & quomodo destructum.

structum

structum esse dicit Apostolus; non sic quidem, vt prorsus non sit; sed vt non vigeat & præualeat. Et hac *peccati vetustate*, vel culpæ reatus; vel macula ex actu peccati derelicta, animoq; inhærens; vel peccandi assiduitas & consuetudo; vel etiam peccati fomes, ex peccato primi parentis proueniens, potest intelligi, quæ *decreti chirographo cruci affixo*, deleta sũt. Hanc enim peccati vetustatem, dicit Apostolus fuisse crucifixam cum Christo per Baptismum, quia in eo, mortis Christi virtute, peccati macula prorsus aboletur. Et licet peccandi consuetudo, quæ quandam necessitatem affert, non omnino tollatur; multum tamen minuitur ac debilitatur.

Tertio accipitur *mortis* vocabulum, pro ipso Diabolo, vt author est Gregorius, lib. 4. Moral. cap. 17. *Vmbra mortis*, (inquit, explicans citatam paulò ante Iobi cap. 3. sententiam) *etiam imitatio antiqui hostis accipitur. Ipse enim quia mortem intulit, mors vocatur, Ioanne attestante, qui ait* Apocal. 6. *Nomen illi* (Diabolo) *mors. Per vmbram igitur mortis, eius imitatio designatur.* Sic nonnulli, illud Esai. 28. accipiendum putant: *Percussimus fœdus cum morte*, id est, cum Diabolo. Hanc etiam *mortem*, siue Diabolum Christus dicitur *destruxisse*, quia *principem huius mundi eiecit foras*, qui *habebat mortis imperium*, Ioan. 12. Hebr. 2. Per Christi enim aduentum, Diabolus fuit toto suo principatu, quantum ad potestatem exutus, quam in homines ratione peccati, obtinebat. Et hoc, non solùm respectu fidelium & iustorum, qui Christo adhærẽt, sed respectu omnium, etiam peccatorum & infidelium. Nam per Christum, facta est libertas & potestas cuilibet peccatori & infideli, à peccati statu emergendi,

3. mors pro Diabolo.

Diabolus per Christum destructus.

mergendi, & Diaboli tentationibus resistédi, ipsumque etiam vincendi. Vnde, per Christum, peccati iugum seruitusq́; & Dæmonis potestas fracta & ablata sunt, ita vt, quantum est ex parte Christi, omnes liberati sint & erepti à Dæmonis principatu. Quemadmodum enim, si quis supremus princeps absolueret subditos & vasallos alterius inferioris principis à iuramento & obligatione subiectionis, verè diceretur potestatem principis inferioris destruxisse, & priuasse eum principatu, forasq́; eiecisse, quantum videlicet ad dominium & potestatem; licet interim multi illorum manere vellent sub eo; quia iam non ex necessitate, nec ex subiectionis obligatione, sed spontaneè illi manerent: Sic Christus Diabolum eiusq́; principatum destruxisse dicitur, quantum videlicet ad potestatis rationem. Non ergo iam homines sub Diaboli potestate & tyrannide sunt, nisi qui volunt; cum à Christo virtus & gratia liberationis, volentibus, sit oblata. Et quamuis, ante Christi aduentum fuerint aliqui iusti, tamen propter Christi redemptionem futuram tales facti erant; & ita Dæmonis potestas, etiam à mundi principio fuit destructa propter Christum venturum. Dicitur tamen *destructus* præcipuè *diabolus*, eiusq́; potestas euersa in aduentu & morte Christi, vt significetur ipsum Christum esse causam veram, propter quam illius potestas destrui incepit: Rursum; quia, quantum ad possessionem multo latius & efficacius erat eijciendus Diabolus, per prædicationem Euangelij propagandam per totum mundum, & per vberiorem gratiam omnibus offerendam & impartiédam post Christi aduentum.

Homines de potestate Diaboli erepti.

Simile.

In Christi aduentu, Diabolus præcipuè destructus.

Quarto

Quarto & postremo sumitur *mors*, pro morte sempiterna. Psal. 28. *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Et hæc est illa *mors*, quæ *mors altera* appellatur, comparatione scilicet mortis corporis, quæ prima dicitur Apocal. 7. *Qui vicerit, non lædetur à morte secunda.* Et Apocal. 20. *Beatus qui habet partem in resurrectione prima: In his enim mors secunda non habet potestatem.* Et hanc *mortem* sempiternam etiam *destruxit* Christus Dominus, cum immortalitatis ianuam nobis omnib[9] per peccatum clausam, aperuit, &, vt ait D. Gregorius, *æternitatis aditum deuictâ morte reserauit.* Illa enim immortalitatis ianua per peccatum primi hominis, omnibus mortalibus interclusa, singulari Christi Domini beneficio iterum est patefacta, cum scilicet sua passione & morte promeruit, vt homines, qui antea quantumcumq; probi & iusti, ab huius sempiternæ vitæ aditu arcebantur, in eam non tantum ingredi, sed etiam illius participes fieri possint, quemadmodum disertè docet Apostolus, Ephes. cap. 2. cum ait: *Per ipsum* (Christum) *habemus accessum ad patrem. Ergo non iam estis hospites & aduenæ, sed ciues Sanctorũ & domestici Dei.* Hinc est quod Hebr. cap. 6. Christum Dñm appellet *nostrum præcursorem*, quod scilicet in vitam æternam ingrediẽdo, eam nobis aperuerit. *Qui confugimus*, inquit, *ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam & incedentem vsq; ad interiora velaminis, vbi præcursor pro nobis introijt Iesus.* Quibus verbis, alludens Paulus ad tabernaculum Mosaicum & sancta sanctorum, (in quæ nullus ingredi poterat nisi Pontifex max. semel in anno) significat, Christum in cælestia ac æterna sancta sanctorum tanquam Pontificem

4. mortis significatio pro morte sempiterna.

Christus etiam mortem sempiternam destruxit.

Christus ianuam vitæ æternæ hominibus aperuit.

cem

cem maximum, ingressum fuisse, eaque nobis omnibus patefecisse; atq; adeo fuisse *præcursorem nostrum*, ante nos præcurrentem, qui vitam sua passione destructa morte, nobis aperuit. Vnde ipse Dominus Ioan. 14. *Vado*, inquit, *parare vobis locum*. Quod ipsum indicare voluit hoc loco Apostolus, cùm, post *destructam* à Christo *mortem*, *vitam* ab eodem sempiternam, *& incorruptionem*, id est, vitam incorruptibilem, *illuminatam* seu patefactam esse subiungit. Sicut enim solis cursus, illud hemisphærium non tantum tenebris discursis, liberat; sed etiam illud idem illuminat, cui supereminet: sic Christus Dominus, aduentu suo, *mortis mors* (vt cum Hosea loquar) non tantum fuit, sed etiam *vitam illuminauit*. Per Euangelij namq; splendorem, Christus *vitam*, non qualemcumq;, sed æternam, incorruptã & immortalem hominib⁹ ostendit. Docuit enim animam immortalem esse, & vitam æternam summa cum gloria in cælo, (si legi paruerit) simul cum corpore consecuturam, quemadmodum 1. Corinth. 15. dicit Apostolus, *oportere corruptibile hoc induere incorruptionem*. Sol quem cernimus, vnum tantum hemisphærium illuminare valet, duo nõ simul potest; At verus sol, *pater luminum* Christus, duo simul illuminat hemisphæria; terrenum inferius, & cæleste superius. Terrenum illuminat lumine vitæ, id est, gratiæ; cæleste illuminat lumine eodem, & lumine alio; vitæ scilicet & gloriæ. Vnde Christus Ioan. 10. *Ego*, inquit, *veni vt vitam habeãt*, iam scilicet per gratiam, *& abundãtius habeant*, in futura per gloriam. Fons enim vitæ est sol iustitiæ Christus; Vnde psalmographus Psal. 35. *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*. &c.

Per Euangeliũ vita æterna sana quomodo patefacta.

Pater

Pater est *luminum*, à quo *omne lumen, omneq́ datum optimum descendit*. Iacob. I.

24. *In quo positus sum ego prædicator, & Apostolus & magister Gentium.*

Euangelicæ lucis efficacia exaggerata, hic diuinam & gratuitam ad Euangelicæ prædicationis munus, vocationem suam ex triplici functione commendat. Ac inprimis, ad prædicationis munus siue dignitatem, Christi benignitate & gratia, non proprijs meritis se euectum esse confitetur, vt vniuersum mundum perambulans, *fructum*, non qualemcumq́;, sed permanentem, *afferat*, Ioan. 15. Marc. vlt. Hanc suam ad prædicationis ministerium, vocationem, cap. I. prioris Epist. extollens: *Fidelem*, inquit Apostolus, *me existimauit ponens in ministerio*: Quo scilicet, constitutus est non solum præco diuinæ virtutis, quam Euangelium continet; sed etiam vt salutis humanæ adipiscendæ viam, rationem & conuenientiam mortalibus ostẽdat. Salus enim humana, Dei opus est, cùm nulla humana aut creata vis hominem saluare potuerit, nisi Deus remedium de cælo misisset. *Pauli ad Apostolatum gratuita vocatio.*

Sciendum porro *Euangelij* nomine, *in quo se positum* dicit *prædicatorem*, &c. subinde ipsam prędicationem; aliquando rem prædicatam; hoc est, eorum, quæ in Euangelio continentur publicationem, appellari. Hic autem se publicum gratiæ & redemptionis per Christum partæ, annuntiatorem *prædicatoremq́*, profitetur, siue quæ prædicat, sint promissa, siue præcepta, siue consilia, siue exhortationes, siue comminationes. Ea enim ad Euangelicæ prædica- *Euangelij nomine, quid intelligendum.*

tionis munus pertinent, quemadmodum infra cap. 4 ipse Timotheum commonefaciens, explicat, cum ait: *Prædica verbum, insta oportunè, importunè*, &c. Et hoc, quia *fides est ex auditu, & auditus* ex prædicatione Apostolorum, & eorum qui missi sunt. Nam licet *omnis qui audiuit à patre & didicit, ille* demum sit, *qui* ad Christum *venit*; externa tamen hominum prædicatio necessaria est, quæ Ecclesiæ, vt Columnæ & firmento veritatis, authoritate nitatur. Verum quidem est, exterius magisterium ad credendum non sufficere, nisi cor interius illuminet Deus, & moueat ad credendum, iuxta illud 1. Corinth. 3. *Neq; qui plantat, neq; qui rigat est aliquid, sed qui incrementũ dat Deus.* Ephes. 1. *Deus, qui est pater Domini nostri Iesu Christi gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis in agnitionem eius, illuminatos oculos cordis vestri.* Et quamuis exterior prædicatio necessaria sit, verbum tamen & doctrina non sunt hominum, sed ipsius Dei, qui per ministros suos loquitur 1. Thessal. 2. *Gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepissetis verbum auditus Dei, accepistis illud, non vt verbum hominum, sed sicuti est verè, verbum Dei qui operatur in vobis, qui credidistis.* Vbi duo attendenda sunt; *Verbum* esse *Dei*, quod per prædicatores annuntiatur, & in ipsis audientibus, Deum operari fidem. Qua de causa, fideles dicuntur Ioan. 6. *didicisse & audiuisse à Deo.*

Externæ prædicationis necessitas.

Tametsi vero nomen *Apostoli*, secundum etymologiam, missum ab alio significet, non ideo existimandum est, officij aut legationis duntaxat functionem significare Apostolatum. Continet enim hæc vox scripturæ & Ecclesiæ vsu, præter legationis ministerium, etiam singularem quandam & eximiam dignita-

Apostolatus nomen, præter ministerium, potestatem etiam inuoluit.

dignitatem, potestatem, ac primatum, quemadmodum clarè docuit Apostolus, 1. Corinth. cap. 12. scribens, Deum *posuisse in Ecclesia primo Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes,* &c. Id quod repetit Ephes. cap. 4. In hac significatione nomen *Apostolatus* hoc loco sic debet accipi, vt scilicet, authoritatem & potestatem soluendi, ligandi, & excommunicandi complectatur, de qua potestate, cap. 10. 2. ad Corinth. sic scribit: *Si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem & non in destructionem; non erubescam.* Et eiusdem Epist. cap. 13. *Ideo hæc,* inquit, *absens scribo, vt non præsens durius agam secundum potestatem quam Dominus dedit mihi.* De hac potestate Galatis scribens, cap. 2. *Qui operatus est,* inquit, *Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes.*

Deniq; se legitimè in *Gentium magistrum* (vt Dei scilicet cognitionem & fidei sanctitatem Gentes doceat) institutum dicit, qui se *Doctorem in fide & veritate* (1. Timoth. 2.) nominat, quod non fidei cuiuscunq;, sed Euangelicæ Doctor esset, quæ vmbras illustrat, promissiones implet, & diuinorum cognitionem ad salutem necessariam, abundè suppeditat. Hanc autem cognitionem Gentibus præcipuè communicandam, à Christo acceperat Paulus, qui Ioan. 19. *ad hoc in mundum se venisse* dicebat, vt *testimonium perhiberet veritati,* quam Ioan. 17. expressit, dicens: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quē misisti Iesum Christum.*

Paulus Euangelicæ fidei Doctor.

Vox autem *magister,* respondens Hebræo vocabulo *RABBI,* multa scientia & virtute præditum hominem significat; quo nomine, Christus sæpe legi-

Quid vox magistri denotet.

tur in scriptura appellatus, eo quod non vt redimeret hominem tantum, sed vt eundẽ erudiens, salutis viam eidem manifestaret carnem humanam assumpsisset. Ratione enim salutis allatæ dicitur Zachar. 9. *Ecce rex tuus venit iustus & Saluator.* Ratione doctrinæ, *Doctor* & *magister* per Prophetas est prænunciatus. Ioëlis 2. *Lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem iustitiæ.* Vtrumq; enim ad redemptionem necessarium erat, & saluare, & docere homines viam salutis; alioqui illam ignorantes, non possemus redemptione frui. Vnde de seipso Matth. 23. dicebat: *Non vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus.* Esai. 55. *Ecce testem populis dedi eum, ducem, ac præceptorem Gentibus.* Ibidem cap. 30. *Et nõ faciet auolare à te vltra doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum,* id est; semper tecum manebit Doctor tuus Christus, nec auolabit à te, quia te per scripturam suam, & per prædicatores suos (qualis est Paulus) docebit. Per *filios Sion,* quib⁹ Ioël promisit Doctorem iustitiæ, omnes ex Gentibus & Iudæis credentes, seu Ecclesiæ filij ciuesq; debent intelligi, vt scilicet *exultent in Domino Deo suo,* illiq; læti gratias agant, quandoquidem Christum illis dedit, à quo discerent veram iustitiam, sinceráq; pietatem, ne, aut supercilio errantium Iudæorum, aut inani eloquentia Philosophorum deciperentur.

Cur Christus magister dictus.

Ad hoc autem *Gentium magisterium* dicit Vener. Beda in 1. Epist. ad Timot. l. 1. digress. cap. 16. Paulum anno 14. post Christi ascensionem fuisse assumptum, & iuxta condictum Iacobi, Cephæ & Ioannis, profectum esse ad Gentes. Cui consentire, ait idem, historiam Ecclesiasticam, referentem, Apostolis esse

Ad Gentium magisterium quãdo Paulus sit vocatus.

præce-

præceptum, vt duodecim annis in Iudęa prædicarét. De condicto illo aliorum trium Apoſtolorum, mentio eſt in Epiſt. ad Galat. cap. 1. Vnde colligitur, ſegregationem illam, de qua Act. cap. 13. indefinitam fuiſſe ad Iudæos ac Gentes; Siquidem ibidé legitur, Saulum prædicaſſe Iudæis; & cum ab eis non admitteretur, conuertiſſe ſe ad Gentes; ita vt peculiariter illarum Apoſtolus dici meruerit. Quod ipſum aſcédéte eo Hieroſolymã anno à ſua cõuerſione dicto 14. illi tres Apoſtoli & Eccleſiæ columnæ Iacobus, Cephas, & Ioannes, ratum habuerunt, vt ipſe cum Barnaba Gentium prædicationi intenderet, quemadmodum ipſe narrat citata Epiſtola ad Galat. cap. 2. Sic fortaſſe intelligentes, peculiariter accipiendam ipſorum ſegregationem, Antiochiæ iuſſu Spiritus ſancti factam: de qua re fuſe Baronius, Tom. 1. Annal. an. 44.

25. *Ob quam cauſam, etiam hæc patior, ſed non confundor.*

Quia ſuperius monuerat Timotheum Apoſtolus, vt *non* ideo *erubeſceret teſtimonium Domini*, ſiue prædicationem Euangelicam, quod ea multis ſit expoſita periculis, & vitæ diſcriminibus: ne verbis potius quàm opere docere videatur, præmiſſa admonitione non contentus, ſeipſum in exemplum Timotheo proponit, vt ea, propter Euangelicam prædicationem pati non erubeſcat diſcipulus, quibus diſcipuli magiſter tantoperè gloriatur. Cum enim *virtus in infirmitate perficiatur*. 2. Corinth. 12. tum in infirmitatibus ſibi vehementer complacet, & in eis ſupra modum gloriatur Apoſtolus, vt *in ſe Chriſti vir-* *Paulus ſe exemplar Timotheo proponit.*

 tus

mergendi, & Diaboli tentationibus resistédi, ipsumque etiam vincendi. Vnde, per Christum, peccati iugum seruitusq; & Dæmonis potestas fracta & ablata sunt, ita vt, quantum est ex parte Christi, omnes liberati sint & erepti à Dæmonis principatu. Quemadmodum enim, si quis supremus princeps absolueret subditos & vasallos alterius inferioris principis à iuramento & obligatione subiectionis, verè diceretur potestatem principis inferioris destruxisse, & priuasse eum principatu, forasq; eiecisse, quantum videlicet ad dominium & potestatem; licet interim multi illorum manere vellent sub eo; quia iam non ex necessitate, nec ex subiectionis obligatione, sed spontaneè illi manerent: Sic Christus Diabolum eiusq; principatum destruxisse dicitur, quantum videlicet ad potestatis rationem. Non ergo iam homines sub Diaboli potestate & tyrannide sunt, nisi qui volunt; cum à Christo virtus & gratia liberationis, volentibus, sit oblata. Et quamuis, ante Christi aduentum fuerint aliqui iusti, tamen propter Christi redemptionem futuram tales facti erant; & ita Dæmonis potestas, etiam à mundi principio fuit destructa propter Christum venturum. Dicitur tamen *destructus* præcipuè *diabolus*, eiusq; potestas euersa in aduentu & morte Christi, vt significetur ipsum Christum esse causam veram, propter quam illius potestas destrui incepit: Rursum; quia, quantum ad possessionem multo latius & efficacius erat eijciendus Diabolus, per prædicationem Euangelij propagandam per totum mundum, & per vberiorem gratiam omnibus offerendam & impartiédam post Christi aduentum.

Homines de potestate Diaboli erepti.

Simile.

In Christi aduentu, Diabolus præcipuè destructus.

Quarto

Quarto & postremo sumitur *mors*, pro morte sempiterna. Psal. 28. *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Et hæc est illa *mors*, quæ *mors altera* appellatur, comparatione scilicet mortis corporis, quæ prima dicitur Apocal. 7. *Qui vicerit, non lædetur à morte secunda.* Et Apocal. 20. *Beatus qui habet partem in resurrectione prima: In his enim mors secunda non habet potestatem.* Et hanc *mortem* sempiternam etiam *destruxit* Christus Dominus, cum immortalitatis ianuam nobis omnib⁹ per peccatum clausam, aperuit, &, vt ait D. Gregorius, *æternitatis aditum deuictâ morte reserauit.* Illa enim immortalitatis ianua per peccatum primi hominis, omnibus mortalibus interclusa, singulari Christi Domini beneficio iterum est patefacta, cum scilicet sua passione & morte promeruit, vt homines, qui antea quantumcumq; probi & iusti, ab huius sempiternæ vitæ aditu arcebantur, in eam non tantum ingredi, sed etiam illius participes fieri possint, quemadmodum disertè docet Apostolus, Ephes. cap. 2. cum ait: *Per ipsum* (Christum) *habemus accessum ad patrem. Ergo non iam estis hospites & aduenæ, sed ciues Sanctorũ & domestici Dei.* Hinc est quod Hebr. cap. 6. Christum Dñm appellet *nostrum præcursorem*, quod scilicet in vitam æternam ingrediẽdo, eam nobis aperuerit. *Qui confugimus*, inquit, *ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam & incedentem vsq; ad interiora velaminis, vbi præcursor pro nobis introijt Iesus.* Quibus verbis, alludens Paulus ad tabernaculum Mosaicum & sancta sanctorum, (in quæ nullus ingredi poterat nisi Pontifex max. semel in anno) significat, Christum in cælestia ac æterna sancta sanctorum tanquam Pontificem

4. mortis significatio pro morte sempiterna.

Christus etiam mortem sempiternam destruxit.

Christus ianuam vitæ æternæ hominibus aperuit.

cem

cem maximum, ingressum fuisse, eaque nobis omnibus patefecisse; atq; adeo fuisse *præcursorem nostrum*, ante nos præcurrentem, qui vitam sua passione destructa morte, nobis aperuit. Vnde ipse Dominus Ioan. 14. *Vado*, inquit, *parare vobis locum*. Quod ipsum indicare voluit hoc loco Apostolus, cùm, post *destructam* à Christo *mortem*, *vitam* ab eodem sempiternam, *& incorruptionem*, id est, vitam incorruptibilem, *illuminatam* seu patefactam esse subiungit. Sicut enim solis cursus, illud hemisphærium non tantum tenebris discursis, liberat; sed etiam illud idem illuminat, cui supereminet: sic Christus Dominus, aduentu suo, *mortis mors* (vt cum Hosea loquar) non tantum fuit, sed etiam *vitam illuminauit*. Per Euangelij namq; splendorem, Christus *vitam*, non qualemcumq;, sed æternam, incorruptã & immortalem hominib9 ostendit. Docuit enim animam immortalem esse, & vitam æternam summa cum gloria in cælo, (si legi paruerit) simul cum corpore consecuturam, quemadmodum 1. Corinth. 15. dicit Apostolus, *oportere corruptibile hoc induere incorruptionem*. Sol quem cernimus, vnum tantum hemisphærium illuminare valet, duo nõ simul potest; At verus sol, *pater luminum* Christus, duo simul illuminat hemisphæria; terrenum inferius, & cæleste superius. Terrenum illuminat lumine vitæ, id est, gratiæ; cæleste illuminat lumine eodem, & lumine alio; vitæ scilicet & gloriæ. Vnde Christus Ioan. 10. *Ego*, inquit, *veni vt vitam habeãt*, iam scilicet per gratiam, *& abundãtius habeant*, in futura per gloriam. Fons enim vitæ est sol iustitiæ Christus; Vnde psalmographus Psal. 35. *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*. &c.

Per Euangeliũ vita æterna tamen quomodo patefacta.

Pater

Pater est *luminum*, à quo *omne lumen, omneq́, datum optimum descendit*. Iacob. 1.

24. *In quo positus sum ego prædicator, & Apostolus & magister Gentium.*

Euangelicæ lucis efficacia exaggerata, hic diuinam & gratuitam ad Euangelicæ prædicationis munus, vocationem suam ex triplici functione commendat. Ac inprimis, ad prædicationis munus siue dignitatem, Christi benignitate & gratia, non proprijs meritis se euectum esse confitetur, vt vniuersum mundum perambulans, *fructum*, non qualemcumq́;, sed permanentem, *afferat*, Ioan. 15. Marc. vlt. Hanc suam ad prædicationis ministerium, vocationem, cap. 1. prioris Epist. extollens: *Fidelem*, inquit Apostolus, *me existimauit ponens in ministerio*: Quo scilicet, constitutus est non solum præco diuinæ virtutis, quam Euangelium continet; sed etiam vt salutis humanæ adipiscendæ viam, rationem & conuenientiam mortalibus ostẽdat. Salus enim humana, Dei opus est, cùm nulla humana aut creata vis hominem saluare potuerit, nisi Deus remedium de cælo misisset.

Pauli ad Apostolatum gratuita vocatio.

Sciendum porro *Euangelij* nomine, *in quo se positum* dicit *prædicatorem*, &c. subinde ipsam prędicationem; aliquando rem prædicatam; hoc est, eorum, quæ in Euangelio continentur publicationem, appellari. Hic autem se publicum gratiæ & redemptionis per Christum partæ, annuntiatorem *prædicatoremq́*, profitetur, siue quæ prædicat, sint promissa, siue præcepta, siue consilia, siue exhortationes, siue comminationes. Ea enim ad Euangelicæ prædica-

Euangelij nomine, quid intelligendum.

tionis munus pertinent, quemadmodum infra cap. 4 ipse Timotheum commonefaciens, explicat, cum ait: *Prædica verbum, insta oportunè, importunè*, &c. Et hoc, quia *fides est ex auditu, & auditus* ex prædicatione Apostolorum, & eorum qui missi sunt. Nam licet *omnis qui audiuit à patre & didicit, ille* demum sit, *qui* ad Christum *venit*; externa tamen hominum prædicatio necessaria est, quæ Ecclesiæ, vt Columnæ & firmento veritatis, authoritate nitatur. Verum quidem est, exterius magisterium ad credendum non sufficere, nisi cor interius illuminet Deus, & moueat ad credendum, iuxta illud 1. Corinth. 3. *Neq; qui plantat, neq; qui rigat est aliquid, sed qui incrementũ dat Deus.* Ephes. 1. *Deus, qui est pater Domini nostri Iesu Christi gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis in agnitionem eius, illuminatos oculos cordis vestri.* Et quamuis exterior prædicatio necessaria sit, verbum tamen & doctrina non sunt hominum, sed ipsius Dei, qui per ministros suos loquitur 1. Thessal. 2. *Gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepissetis verbum auditus Dei, accepistis illud, non vt verbum hominum, sed sicuti est verè, verbum Dei qui operatur in vobis, qui credidistis.* Vbi duo attendenda sunt; *Verbum* esse *Dei*, quod per prædicatores annuntiatur, & in ipsis audientibus, Deum operari fidem. Qua de causa, fideles dicuntur Ioan. 6. *didicisse & audiuisse à Deo.*

Externa prædicationis necessitas.

Tametsi vero nomen *Apostoli*, secundum etymologiam, missum ab alio significet, non ideo existimandum est, officij aut legationis duntaxat functionem significare Apostolatum. Continet enim hæc vox scripturæ & Ecclesiæ vsu, præter legationis ministerium, etiam singularem quandam & eximiam dignita-

Apostolatus nomen, præter ministerium, potestatem etiam inuoluit.

dignitatem, potestatem, ac primatum, quemadmodum clarè docuit Apostolus, 1.Corinth.cap.12.scribens, Deum *posuisse in Ecclesia primo Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes,* &c. Id quod repetit Ephes. cap. 4. In hac significatione nomen *Apostolatus* hoc loco sic debet accipi, vt scilicet, authoritatem & potestatem soluendi, ligandi, & excommunicandi complectatur, de qua potestate, cap.10. 2.ad Corinth. sic scribit: *Si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem & non in destructionem; non erubescam.* Et eiusdem Epist.cap 13. *Ideo hæc,* inquit, *absens scribo, vt non præsens durius agam secundum potestatem quam Dominus dedit mihi.* De hac potestate Galatis scribens, cap.2. *Qui operatus est,* inquit, *Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes.*

Deniq; se legitimè in *Gentium magistrum* (vt Dei scilicet cognitionem & fidei sanctitatem Gentes doceat) institutum dicit, qui se *Doctorem in fide & veritate* (1.Timoth.2.) nominat, quod non fidei cuiuscunq;, sed Euangelicæ Doctor esset, quæ vmbras illustrat, promissiones implet, & diuinorum cognitionem ad salutem necessariam, abundè suppeditat. Hanc autem cognitionem Gentibus præcipuè communicandam, à Christo acceperat Paulus, qui Ioan. 19. *ad hoc in mundum se venisse* dicebat, vt *testimonium perhiberet veritati,* quam Ioan. 17. expressit, dicens: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quē misisti Iesum Christum.*

Paulus Euangelicæ fidei Doctor.

Vox autem *magister,* respondens Hebræo vocabulo *RABBI,* multa scientia & virtute præditum hominem significat; quo nomine, Christus sæpe legitur in

Quid Vox magistri denotet.

tur in scriptura appellatus, eo quod non vt redimeret hominem tantum, sed vt eundē erudiens, salutis viam eidem manifestaret carnem humanam assumpsisset. Ratione enim salutis allatæ dicitur Zachar. 9. *Ecce rex tuus venit iustus & Saluator.* Ratione doctrinæ, *Doctor* & *magister* per Prophetas est prænuntiatus. Ioëlis 2. *Lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem iustitiæ.* Vtrumq; enim ad redemptionem necessarium erat, & saluare, & docere homines viam salutis; alioqui illam ignorantes, non possemus redemptione frui. Vnde de seipso Matth. 23. dicebat: *Non vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus.* Esai. 55. *Ecce testem populis dedi eum, ducem, ac præceptorem Gentibus.* Ibidem cap. 30. *Et nō faciet auolare à te vltra doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum,* id est; semper tecum manebit Doctor tuus Christus, nec auolabit à te, quia te per scripturam suam, & per prædicatores suos (qualis est Paulus) docebit. Per *filios Sion,* quib9 Ioël promisit Doctorem iustitiæ, omnes ex Gentibus & Iudæis credentes, seu Ecclesiæ filij ciuesq; debent intelligi, vt scilicet *exultent in Domino Deo suo,* illiq́; læti gratias agant, quandoquidem Christum illis dedit, à quo discerent veram iustitiam, sinceráq́; pietatem, ne, aut supercilio errantium Iudæorum, aut inani eloquentia Philosophorum deciperentur.

Cur Christus magister dictus.

Ad hoc autem *Gentium magisterium* dicit Vener. Beda in 1. Epist. ad Timot. l. 1. digress. cap. 16. Paulum anno 14. post Christi ascensionem fuisse assumptum, & iuxta condictum Iacobi, Cephæ & Ioannis, profectum esse ad Gentes. Cui consentire, ait idem, historiam Ecclesiasticam, referentem, Apostolis esse

Ad Gentium magisterium quādo Paulus sit vocatus.

præceptum, vt duodecim annis in Iudęa prædicarét. De condicto illo aliorum trium Apostolorum, mentio est in Epist. ad Galat. cap. 1. Vnde colligitur, segregationem illam, de qua Act. cap. 13. indefinitam fuisse ad Iudæos ac Gentes; Siquidem ibidé legitur, Saulum prædicasse Iudæis; & cum ab eis non admitteretur, conuertisse se ad Gentes; ita vt peculiariter illarum Apostolus dici meruerit. Quod ipsum ascédéte eo Hierosolymá anno à sua cóuersione dicto 14. illi tres Apostoli & Ecclesiæ columnæ Iacobus, Cephas, & Ioannes, ratum habuerunt, vt ipse cum Barnaba Gentium prædicationi intenderet, quemadmodum ipse narrat citata Epistola ad Galat. cap. 2. Sic fortasse intelligentes, peculiariter accipiendam ipsorum segregationem, Antiochiæ iussu Spiritus sancti factam: de qua re fuse Baronius, Tom. 1. Annal. an. 44.

25. *Ob quam causam, etiam hæc patior; sed non confundor.*

Quia superius monuerat Timotheum Apostolus, vt *non* ideo *erubesceret testimonium Domini*, siue prædicationem Euangelicam, quod ea multis sit exposita periculis, & vitæ discriminibus: ne verbis potius quàm opere docere videatur, præmissa admonitione non contentus, seipsum in exemplum Timotheo proponit, vt ea, propter Euangelicam prædicationem pati non erubescat discipulus, quibus discipuli magister tantoperè gloriatur. Cum enim *virtus in infirmitate perficiatur*, 2. Corinth. 11. tum in infirmitatibus sibi vehementer complacet, & in eis supra modum gloriatur Apostolus, vt *in se Christi virtus*

Paulus se exemplar Timotheo proponit.

tuis iugiter habitare pergat. Quare, nactus hoc loco occasionem, quæ Christi, iustitiæq; causa perpetitur, magno animo (generatim tamen) commemorat; & quas fortibus conatibus ob Euangelicæ veritatis disseminationem tolerat passiones, tanquam clara victoriæ trophea, alijs spectanda, imitandaq; proponit. Quocirca, carceris sui squalorem (in carcere enim fuit, cum *hæc patiebatur*) catenarum nexus, sicut & conuitia, tormenta, contumelias, &c. conspicienda sic hoc loco proponit, vt in eis laudem & gloriæ famam immortalem aucupari videatur; tantum abest, vt rubore aut verecundia propter ea ipsa, suffundatur. Licet enim culpæ malum, pœna non sine turpitudine subsequi plerumq; soleat, honestæ tamen causæ, cur aliquis patiatur, consideratio, pœnæ tolerantiam laudabilem, honorificam & gloriosam frequenter facit. Hinc Domini sententia, *beati* pronuntiantur illi, *qui persecutionem*, non qualemcumq;, aut quomodocumq;, sed *propter iustitiam patiuntur, quoniam merces eorum copiosa est in cælis*. Quod infra cap. 2. perpendens Apostolus, dicit, se, *tanquam malè operantem*, eius iustitiæ causa, *laborare vsq; ad vincula*.

In tormentis & carceribus gloriam quærit Apostolus.

Profitetur itaq; constanter, sibi nec carceres, nec vincula, nec mortem ipsam propter iustitiam & ipsum Christum perpessa, vel ruborem, vel verecundiam, vel pudorem afferre; quin potius se in eis plurimum gloriari, & laudem apud Deum quærere, cũ pro Christo ea à se reuerenter suscipiantur.

Vincula pro Christo perpessa non ruboris sed honoris sunt causa.

Recte porro dicit se non *confundi*, id est, pudore affici, eo quod *tribulatio patientiam operetur, patientia autem probationem, probatio vero spem*, viuam videlicet, quæ per tribulationes diu multumq; vegetata est, & multis tribulationibus probata. Ea autem spes tantùm

tùm abest, *vt confundat*, vt potius incomparabili sua virtute, eam animi magnitudinem in vero Christiano sæpè erigens operetur, vt non solum spe cælestium bonorum lætetur, omnia quæ ipsi accidunt aduersa fortiter ferendo; sed in ipsis etiam ærumnis & calamitatibus, magnam sæpe capiat voluptatem. Vnde Rom. 4. *Spes*, inquit, viua *non confundit*, id est, Christiana spes sperantem non frustratur & fallit. Quod animaduertens Regius vates, *sperandi & confundendi* verbis coniunctis, & sibi oppositis sæpè delectari visus est, Psal. 30. 32. 118. & alibi passim. Hoc autem confundendi, & in tribulationib⁹ erubescẽdi vitium q̃ à se remouet Apostolus, ex omnium Christianorum animis eximere conatus est Apostolorũ princeps, 1. suæ Epist. cap. 4. cùm ait: *Nemo vestrum patiatur vt homicida, aut vt fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine.* Quasi dicere vellet, ei duntaxat erubescendum, qui propter crimina cõmissa patitur; ei autem, qui vt Christianus, id est, ob Christianam fidem aduersa & mundo contemptibilia tolerat, non solùm non erubescendum, sed potius glorificandum Deum: exemplo scilicet Apostolorum, qui Act. 5. *ibant gaudentes à conspectu concilij, quia digni habiti fuerunt pro nomine IESV contumeliam pati.* Huius Christiani nominis prælium ait Tertullianus, in Apol. fuisse inter martyres & Ethnicos. *Ideo*, inquit, *torquemur confitentes, & punimur perseuerantes, & absoluimur negantes, quia nominis prælium est*, &c. nominis inquam gloriosi, Christiani scilicet.

In tribulationibus non erubescendum.

Cur autem toties in hac Epistola suarum ærumnarum ac persecutionum propter Euangelicæ fidei dissemi-

Cur sæpius ærumnarum suarum mentionem faciat Apostolus.

dissẽminationem, faciat Apostolus mentionem, hęc reddi posse videtur ratio, vt videlicet, Timotheo indicet, eum duntaxat verbi diuini legitimum esse prędicatorem, qui calamitatibus & ærumnis probatus bene fuerit. *Qui* enim *non est tentatus*, ait Ecclesiasticus, cap. 34. *quid scit? Vir in multis expertus cogitabit multa, & qui multa didicit, enarrabit multa.* Vbi verbum *didicit* simile est illi, de quo Hebr. cap. 5. *Didicit ex his, quæ passus est. Doctrina* enim *viri per patientiam nascitur*, ait Prouerb. 19. Sapiens. Cùm enim Christiani prædicatoris sit, explicare eas, quæ in Christianismo continentur ærumnarum & persecutionum procellas (quoniam *omnes qui piè viuere volunt* in hoc sæculo *persecutionem pati debent*, ait infra cap. 3. Apostolus) eas certè non expertus, pro dignitate explicare non poterit, cum hæc mala omnia ita se habeant, vt vix aut leuiter intelligantur, & existimentur, frigidè etiam & languidè explicentur ab eo, qui ea in se perpessus non fuerit. Hinc ad prędicationis munus assumendus, *labijs* primum *exuritur* Esaiæ cap. 5. vt non frigidè, sed ardenter omnia loquatur. Et Paulus, *parturiens* se loqui dicit Gal. 4. quod doloribus & ærumnis toleratis, quasi adigeretur ad clamandum & ardenti spiritu prædicandum Euangelium. Et qui Apostoli diuiniq; verbi disseminatores esse petierunt, audiunt à Christo conditionem ad hoc necessariam, Matth. 20. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Quam etiam conditionem in Apostolis requisiuit idem Dominus, cum eos ad prædicationem missurus, plurimas persecutiones & ærumnas sustinendas prædixit, Matth. 10. Ex hoc mundo autem ad patrem abiturus, *pacem* iisdem

Tribulationes legitimum diuini verbi prædicatorem efficiunt.

dem impertitur, non temporalem, quæ belli incommoda, perſecutiones, hoſtes, inſidias excludat; ſed *ſuam*, quæ ingentia damna ſuſtinet & perfert, ab hoſtibus illata. *Pacem meam do vobis*, inquit, *non quomodo mundus dat, ego do vobis*, &c. *Pacem* enim ſuam non cum mundi delicijs & voluptatibus, ſed cum perſecutionibus & pertinaci dimicatione, cum immaniſſimis tyrannis coniungit Dominus, Ioan. 16. *Hæc locutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis; in mundo preſſuram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum.* Nam hæc pax inuicta quadam conſtantia, imminentia mala non perhorreſcit, præſentia contemnit, & micanti gladio anteq; oculos verſanti, ſumma animi ſecuritate nudam ceruicem præbet.

Pax Dei à mundi pace penitus diuerſa.

26. *Scio enim cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem.*

Cur equuleis, compedibus, neruis, manicis ferreis, non moueatur, nec quauis ignominioſa ſuppliciorum immanitate erubeſcat (à quibus tamen homines natura vehementer abhorrent) cauſam aſſignat. Quæ, vt facilius intelligatur, notandum eſt, hanc orationem eſſe hyperbaticam, quæ prout ſequitur, commodius ordinari poteſt: *Scio, & certus ſum, quod is cui credidi, potens ſit quicquid apud illum depono, ſeruare in illum diem.*

Senſus ſententiæ.

Sciendi verbum hoc loco, omnem dubitationem excludit, & certam quandam atq; firmam mentis adhæſionem ad rem ſatis ſuperq; exploratam, affert. Idem enim eſt; *ac certò noui*, peculiari ac mihi benè famili-

Quid ſciendi verbum importet.

familiari scientia tam certa, quàm si oculis haurirem, aut ipso experiméto didicissem, cognosco & cópræhendo. Sic Genes. 48. sumitur: *Scio, fili mi, scio.* Nam videbatur Iacob filio suo Ioseph, per errorem caligátium luminum, commutasse manus, cum benediceret Ephraim & Manassen: Sed ille asserit se ita videre, & prudenter agere manibus, ac si prudentia & oculi inessent manibus. Eodé modo sumpsit Iob. cap 19. dicens: *Scio, quod redemptor meus viuit*, id est, cognosco quasi experimentaliter. Psal. 133. *Tu cognouisti sessionem meam*, &c. Deus enim, quæ in humanis sua ímutabili & infallibili scientia, quam dicúnt vísionis, *cognoscere* dicitur, hac ipsa originali *sciendi* & *cognoscendi* voce, *scire* & *cognoscere* fertur, Gen. 22. *Nunc cognoui, quod timeas Dominum.* Et quæ supernaturali cognitione nouit homo, hac scientia *cognoscere* dicitur Deuter. 4. 1. Reg. 3. Psal. 143.

Credendi Verbi duplex significatio.

Credendi porro verbum, licet in scriptura tam Latino quàm Græco sermone, multa significet; tamen quantum ad propositum nostrum pertinet, ad duas significationes reuocari potest. Prior est, vt
1. significet assentiri intellectu alicui veritati, sicut dicitur Ioan. 1. *Vt omnes crederent per illum.* Et rursus: *Quia dixi, vidi te sub ficu, credis*; & alibi passim. Altera
2. est, quando significat committere, Rom. 3. *Credita sunt eis eloquia Dei.* Gal. 2. *Creditum est mihi Euangeliū.* Sic Iesus Ioan. 2. *non credebat semetipsum eis* (Iudæis.) Hic in priori significatione, ex ipso contextu facile constat accipi debere. Hæc autem fides (quam in Deum veram habebat Apostolus) tantam ex parte tam intellectus, quam voluntatis eidem faciebat certitudinem, vt ad rem speratam voluntate immobiliter

biliter adhæreret, quæ adeo fixa in aliquibus esse solet, (etiamsi ex parte intellectus non sit homo certus se rem illam consecuturum) vt de ea nullum dubium interuenire possit. Nam ex parte intellectus, spes absolutam certitudinem exigere non potest: cum id quod certo scimus nos habituros, non propriè speremus, sed simpliciter expectemus; sicut beatorum animæ, non propriè corporum resurrectionem sperant, sed tantum expectant, quia certissimæ sunt ex parte intellectus, eam sibi deesse non posse. Nihilominus tamé, ipsam spem, ex parte intellectus, duplicem certitudinem habere posse, annotat Card. Bellarm. quarum prior ex primario spei fundaméto (quod est, promissio Dei) oriatur. Certi enim sumus Deum non posse fallere. Et, si quidem nihil requireretur ad iustificationem v. g. vel salutem, nisi promissio Dei, haberemus etiam de his rebus absolutam & infallibilem certitudinem; attamen quia requiruntur etiam alia, de quibus non sumus tam certi, ideo spes non expellit omnem timorem. De hac certitudine ex parte fundamenti, loquitur & hoc loco, & in Epist. ad Hebræos, cap. 6. Apostolus, cum ait: *Interposuit* (Deus) *iusiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.*

Certitudo huius loci, quomodo intelligẽda.

Duplex spei, ex parte intellectus, certitudo.

1.

Alteram certitudinem spei, ex parte intellectus, oriri dicit cit. Bellarm. ex charitate, quæ per hoc non conuenit nisi hominibus iustis. Amicus enim ab amico omnia bona sperare potest, neq; periculum est, vt cófundatur. De hac certitudine Rom. 5. 2.

scribit Apostolus: *Spes non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Et si quidem amicitia ista cum Deo corrumpi non posset, infallibiliter & absolutè de salute securi essent, qui charitate cum Deo coniuncti sunt; tamen quia *dum peregrinamur à Domino,* fieri potest, vt qui amicus est, iterum fiat inimicus; idcirco non possunt etiam iusti sine timore aliquo viuere.

Deus Opt. M. verus sequester

Vtraq; igitur spei certitudine fretus Apostolus, Deum, tanquam iudicem & arbitrum faciens dicit, iustum iudicium *in illo die,* hoc est, nouissimo, iudicaturum de suâ causâ, apud quem bona fide pignus, de quo controuersia est, seruandum reddendumq; deposuit. Res enim nostræ, dum in via sumus, sub iudice & lite sunt, contradicente, calumniante, litem semper intendente aduersario nostro. Ad quam etiam *depositi* rationem respexit Tertullianus, lib. de patient. dicēs: *Adeo satis idoneus patiētiæ sequester Deus; si iniuriam deposueris penes eum, vltor est; si damnum, restitutor est; si dolorem, medicus est; si mortem, resuscitator est.* Eiusmodi sequestrem se quoq; Moyses vocabat Deuter. 5. *Ego sequester & medius fui illo tempore;* inter vos scilicet & Deum. Cum enim *sequestris* esset, fœderis & pacis stabiliendæ certas conditiones deferre, angeli, vel internuntij, testamenti & fœderis nomine, multis locis legitur expressus. Malach. 3. Gal. 3. Quia verò mediator & sequester vnius tantum non est, sed inter vtramq; partem stat medius, *tertius* dici solet, Esai. 29. Quod vero iste *tangere amborum manus* soleret, forte indicatur Gal. 3. Recte ergo Christum iustum iudicem, tanquam *sequestrem* & arbitrum suarum actionum, constituit hoc loco Apostolus: Est enim

enim *Sequester*, vt author est Modestinus, *apud quem plures eandem rem, de qua controuersia est, deposuerunt*; dictus ab eo, quod occurrenti ac quasi sequenti, eos, qui contendunt, committitur: Aut, vt vult Etym. lib. 10. Isidorus, est, *qui certantibus medius interuenit, qui apud Græcos* (*μέσος*) *dicitur*, apud quem pignora deponi solent, à sequendo dictus, quod eius fidem vtraq; pars sequatur. *Sequester, quis dicendus.*

Ex his omnibus fit consequens, perperam huius temporis sectarios asserere, spem siue fiduciam nostram solis niti ac sustentari Dei promissionibus, cũ hoc loco, pignoris, fidei, & bonorum operum depositione, bonã à iusto iudice sentẽtiam se in die iudicij expectare glorietur Apostolus. Suum enim *depositum* vocat fidem suam, subditorum curam, Euangelij indefessam prædicationem, persecutionum tolerantiam, patientiam, quæ in Dei sinu reposuerat, in illo die extremi iudicij sibi ab ipso reddenda. Qui namque bonum aliquod agit in vita hac, is illud deponit quasi apud Dominum, recepturus vbi dies iudicij aduenerit. De qua 1. Petr. cap. 5. dicitur, *Omnem solicitudinem vestram in eum* (Deum) *projcientes, quoniã ipsi cura est de vobis*. Hoc autem *depositum* reddẽdum est secundum iustitiæ distributiuæ actum, quo suscepti labores, &c. iure, & secundum quandam æquitatis rationem sunt compensandi. Quod vtiq; extremo iudicij die futurum est, cum *laborum mercedem sanctis suis reddens, Deus, in via mirabili eosdem est deducturus*. Sap. 10. Tum enim dicetur iusto; *quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet*. *Contra Sectarios.* *Depositi nomine quid intelligendum.*

Qui potens est, Dei pariphrasis est, qua ij potissimum vtuntur, qui vilitate, impotentia & indignitate sua *Dei paraphrasis.*

te sua attenta, in sola Dei misericordia, æquitate, & patientia confidentes, illi soli innituntur. 1. Machab. 4. *Qui potens poterit adiuuare nos.* Malach. 4. *Dominus viuus, ipse in cælo potens.* Luc. 2. *Fecit mihi magna qui potens est.* Rom. 4. *Ipse potens est & facere;* & alibi passim.

27. *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti, in fide & in dilectione in Christo Iesu.*

Vult eorum meminisse Timotheum Paulus, quæ diuersis prioris Epist. locis, ipsi inculcarat de *profanis vocum nouitatibus*, & *oppositionibus* falsò appellatæ *scientiæ*, & de ijs, qui *non acquiescunt sanis sermonibus*, sed *aliter docent*, quàm acceperunt à suis maioribus. Quare, eundem admonet, vt habeat *sanorum verborum formam*, hoc est, hypotyposin. Quæ vox, sumpta est à pictoribus, qui priusquam colores inducant, lineas trahunt & imaginem adumbrant, quemadmodum explicat, post Chrysostomum, Sasboldus, hunc Pauli verum faciens sensum: Pictorũ more imaginem tibi virtutis impressimus, & omnium, quæ Deo grata sunt, velut normam primitiuáq; formam indidimus animo tuo: Hanc igitur retineto firmiter, & siue de fide, siue de charitate, siue de castitate opus sit loqui aliquid aut definire, inde tibi exemplaria accipe. Q. d. habe, id est, retine, informationem à me animo tuo impressam, siue illa scripto, siue voce sit tradita. Quare perspicuum fit, succedentium Episcoporum iudicia & conciliorum definitiones, perpetuam esse atq; certissimam veræ scripturarum intelligentiæ custodem. Apostolorũ namq;

Paulina sententiæ paraphrasis

Succedentium Episcoporum iudicia veræ scriptur. intelligentiæ custodes.

namq; proximi successores, interpretationis scripturarum fidelissimi semper fuère custodes, suisq; successoribus per manus, tradidère puram putam scripturæ veritatem & interpretationem. Neq; enim verba tantum, sed & *formam sanorum verborum* ab ipsis Apostolis accepère successores Episcopi. Nam ad exemplar & imaginem sanæ doctrinæ, quæ est in sana verbi diuini interpretatione, posita, ab ipsis Apostolis sibi tradita alios docuère, & quod viua voce apud eosdem deposuerant, hoc seruauère. Hanc igitur veræ doctrinæ normam vult Apostolus esse, vt à succedentibus perpetua serie Episcopis, illa petatur. Paulus enim cum esset Apostolus, Timotheo Episcopo commendabat nō verbum tantum, sed & explanationem verbi publicè factam, quā alijs futuris in Ecclesia magistris cupiebat à Timotheo similiter commendari, eo quod ea ipsa nihil esset verius, nihil apertius. *Hæc* est n. illa *Ecclesiastici & Catholici sensus norma*; (vt loquitur Lirinensis) *ad quam Prophetica & Apostolica linea est dirigenda.* Nihil quippe tam cōtra tradita ab Apostolis antiqua dogmata, quàm opiniones in Ecclesia tum nouæ, tum ꝓfanæ; cum vetera eademq; sacra mysteria fides Apostolica probet, aspernet urq; contraria. Hanc Orthodoxæ Ecclesiæ normam, veterem Iudæorum Synagogam seruasse tradit Stapletonus, lib. 1. Princip. fid. cap. 14. Moyses namq; legem quam scripserat, iam ipse ex hac vita discessurus tradit Sacerdotibus, filijs Leui, Deuter. 3. iubens vt illi legant verba legis vniuerso populo. Vnde in vltimo suo sermone ad populum, hanc ipsam normam, quæ & in Synagoga, & in Ecclesia valere semper debebat, suis præscripsit, cū ait,

Vera scripturarum intelligentia ab Episcopis petenda.

Orthodoxæ fidei norma.

Deute-

Deuteron. 32. *Memento dierum antiquorum*; nihil noui introducas. *Cogita generationes singulas, recole quid perpetuò in doctrina successerit.* Vbi autem hoc quærendum sit, docet subiungens: *Interroga patrem tuum & annuntiabit tibi, maiores tuos & dicent tibi.* Quod Mosaicum præceptum repetens Ecclesiasticus, cap. 8. dixit: *Non te prætereat narratio seniorum.* Et causam subiungens; *Ipsi enim*, inquit, *didicerunt à patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum.* Quod ipsum Timotheo præscripsit hoc loco Apostolus, idemq; Galatis scribens cap. 1. diligenter commendauit, quùm diceret: *Si quis euangelizauerit vobis, præterquam quod accepistis, anathema sit.* Hoc est, quod in Episcopi officio ad Titum cap. 1. describit, vt *obtineat & amplectatur eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem.* Fidelis sermo secundum doctrinam, est Orthodoxæ prædicationis norma, quam à suis maioribus ipse accepit & didicit. Istam normam seruare & tradere, quia Episcoporum est, nec sine hac, perpetua vnitate & consensu doctrinæ acceptæ & traditæ, Episcopi locus in Ecclesia Catholica teneri potest; (nam, vt sapienter notauit Augustinus, lib. 4. de doctr. Christ. cap. 22. *locum superiorem sedis Ecclesiasticæ, sana doctrina constituit, ideoq; ipsa cathedra cogit malos, bona dicere*) ideo Episcopi esse, formam verborum accipere, ac docere alios in eorum locum successuros, Timotheũ hoc loco docet Apostolus. Iam verò quod hanc normam Apostolicam diligentissimè semper fideles obseruarint, exemplis pluribus ostendi potest. Vnum sufficiat; Clemens, Petri discipulus, sic ad omnes fideles hac de re scribit Epist. 5. *Oportet ab eo discere intelligentiam scripturarum, qui eam à maioribus secundum*

Orthodoxæ prædicationis norma, quæ.

Norma Apostolica semper apud fideles custodita.

eundem veritatem sibi traditam seruauit, vt & ipse possit ea quæ rectè accepit, competenter asserere. Hæc ille. Augustinus de doctr. Christ. docet *pleraq; in diuinis ad certam legem eloquenda esse.* Euiusmodi aliquid monet hic Apostolus; hoc sensu: Docui te methodum explicandi mysteria, &c. hanc retine; Quare, hæc hypotyposis viua voce tradita fuit: quod ex verbo *audisti* Chrysostomus vrget, pro authoritate traditionum, de quibus & hic, sicut & ad Thessalon. magnificè sentit; quicquid tandem contra eas impiè sentiant Lutherani, vt simplicibus imponentes, nihil esse recipiendum in Ecclesia defendant; quod vtriusq; Testamenti pagina non contineatur.

Quod additur *in fide & dilectione*; hunc habet sensum. Habe *formam sanorum verborum*, quæ sunt de *fide*; siue, quæ versantur circa fidem & dilectionem: Vt videlicet præpositio (*in*) materiam significet siue obiectum. Ne auté quamuis fidem quis acciperet, addidit *in Christo Iesu*; ac si dicat; in fide consentanea Christo, siue quam Christus & Apostoli tradiderunt.

28. *Bonum depositum custodi, per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis.*

Quamuis *depositi* nomine, vel fidem, vel gratiam cum Episcopali dignitate susceptam, vel etiam subditos siue Ecclesiam sibi commissam nonnulli, ijq; non postremæ notæ interpretes intelligant; Pauli tamen sententiæ, suam illi rectius opinionem accōmodant, qui de fide, dilectione, & alijs rebus, fidei religionisq; informationem & œconomiam, traditionesq; Apostolicas depositi voce interpretantur.

Depositi nomine, quid hoc loco intelligendum.

Q Hæc

Hæc enim omnia apud Timotheum Episcopum, tanquam maximi ponderis & incomparabilis pretij thesaurum, deposuerat summa cura summoq; studio custodiendum. Quasi, iuxta Vincentij Lirinésis sententiam, suo Timotheo diceret: *Depositum*, id est, quod tibi creditum, non quod à te inuentum; quod accepisti, non quod excogitasti: rem non ingenij, sed doctrinæ; non priuatæ vsurpationis, sed traditionis publicæ; rem ad te perductam, non à te prolatam; in qua non author esse debes, sed custos, non institutor, sed sectator, non ducens, sed sequens. Aurum accepisti, aurum redde: nolo mihi pro alijs alia subijcias. Custodi propter inimicos, propter fures. Custodi etiam diligenter, sedulò, fideliter, vt suo tempore cum oportuerit, quibusq; oportuerit, reddas. Hæc ferè Vincentius.

Huius loci paraphrasis.

Ex hoc loco docemur, Pauli tempore, non vulgo mobili aut promiscuæ plebis fœci, Christianæ religionis mysteria fuisse deposita, sed apud Episcopos, non quia docti tantum viri erãt, sed quia iuxta normam Apostolicam, intelligentiam Ecclesiasticam, ex officio & vocatione debebant conseruare, quemadmodum ex veteris historiæ antiquitate, & SS. Patrum scriptis semper obseruatum fuisse probari posset. Nostris tamen temporibus, aliam rationem inière hodierni Sectarij, qui etiam infimæ sortis homines & promiscuæ plebis fœces scripturarum legitimos interpretes esse volunt: vt quod quisq; ex suo priuato cerebro de SS. Scripturæ sensu cõfinxerint, illud Euangelij loco haberi debeat. Rectius profectò D. Augustinus, lib. 2. contra Iulian. concludit: *Proposuimus hic authoritatis molem Sanctorum, qui Episcopi*

Religionis Christianæ depositũ quibusnam ab Apostolis commissum.

ante

ante nos fuerunt. Et paulò pòst, rationem subiungens: *Quod inuenerunt*, inquit, *in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod à Patribus acceperunt, hoc filijs tradiderunt*. Hæc August.

Ex his omnibus colligitur, quàm vana olim fuerit & etiamnum sit Hæreticorum, tam veterum, quàm nostrorum ex hoc loco petita euasio; qua ne noua, inaudita, & ab illa publica receptaq; fide aliena asserere videantur, nescio quas occultas atq; non omnibus notas Apostolorũ traditiones confingunt; quemadmodum de veterib⁹ Hæreticis præter alios, tradit Tertullianus, lib. de præscript. cum ait; ab Hæreticis dictum; *non omnia omnibus reuelasse Apostolos*, sed quædam palam & vniuersis, quædam secretè & paucis, demandasse, eò quòd hoc loco dixerit Paulus: *Depositum custodi*, &c. Huius autem rei vanitas (quẽadmodum lib. cit. prolixè ostendit idem Tertullianus) ex huius Epist. sequentis cap. sententia manifestè patet, vbi iubet Timotheum Apostolus, ea, quæ ex se audierat per multos testes, id est, in facie Ecclesiæ fidelibus hominibus commendare: Cui etiã addi potest, quod idem Paulus 1. Corinth. 14. testatur, se non nisi notissimam fidem docere: *Sicut*, inquit, *in omnibus Ecclesijs sanctorũ doceo*; Nihil etiam priuatim, *sed siue ego, siue illi, sic prædicauimus & sic credidistis*. addit eiusdem Epist. cap. 15. Quam rem apertè etiam confirmat id, quod Saluator Matth. 10. præcepit, vt quæ *in aure audierant, prædicarent in tecto*: nec non & illud quod Apostolos vocat *lucernam non sub modio abscondendam, sed super candelabrum* ponendam, *vt luceat omnibus qui in domo sunt*, id est, Ecclesia. Matth. 5. Quod si verò quædam inter domesticos

Contra Hæreticos tam veteres quã modernos, hoc Pauli loco abutentes.

disserebant, quasi magis ardua & supra captum vulgarem (vt factum fuisse commemorat Eusebius Demonst. Euang. lib. 1. cap. 6. & Origenes in procem. lib. de princip.) ea tamen *non fuisse, credendum est*, ait Tertullian. *quæ aliam fidei regulam superinducerent, diuersam & contrariam illi, quam Catholicè in medium proferebant, vt alium Dominum in Ecclesia dicerent, alium in hospitio.* Hæc ille. Quam veterum Hæreticorum euasionem commemorantes SS. Patres ad eam ita respondent, vt nostri temporis impudentiâ taxatâ, singularem, (quam ipsi venditant) eruditionem & fidem, non nisi ab Apostolorum successoribus, Ecclesiæ magistris, petendam esse sentiant. Sic enim Irenæus, lib. 3. cap. 2. hæreticis propter illud Apostoli, *Sapientiam loquimur inter perfectos*, &c. eam, quam à semetipso adinuenit quis fictionem *sapientiam* esse dicentibus; respondet eiusdem lib. cap. seq. *Si ita esset vt recondita mysteria sciuissent Apostoli, quæ scorsim & latenter à reliquis perfectos docebant, certè ijs vel maximè traderent, quibus ipsas Ecclesias committebant, quos & successores relinquebant.* Sic etiam tradit Augustin. tract. 97. in Ioan.

Quia porro erat difficile homini iuueni, doctrinæ puritatem seruare integram, inter tot hæreses & aduersitates; idcirco addidit: *per Spiritum sanctum.* Quasi diceret: Licet sit difficile & supra vires humanas, hoc tantum depositum sibi soli commissum custodire; facile tamen per eum, qui in te *habitat Spiritum sanctum*, custodire poteris, modò ipse tibi non desis, *nec spiritum extinxeris*, sed potius *gratiam* ab eo acceptam *resuscitaueris*, vt eam iugiter in te manentem habeas. Hoc enim Spiritu adiuto non erit arduum

Spiritus sancti gratia adiuto nihil difficile.

duum vel difficile, insigne illud & maximi momenti *depositum* seruare saluum & incolume. Gratia namq; quam largitur & fouet Spiritus sanctus, ad omnes motus & actus animæ perficiendos sese extendit, iuxta id, quod 1. Corint. 10. scriptum est: *Charitas patiens est, benigna est,* &c. Hinc est, quod Spiritus propriè *donum* dicatur, propter gratiam siue charitatem, inquit Augustinus in cap. 18. lib. 15. de Trinit. quam qui non habuerit, *etiamsi linguis hominum loquatur & angelorum, sonans æramentum est, & cymbalum tinniens,* &c.

In istis autem verbis, *qui habitat in nobis*, diuinæ dilectionis firmitas & stabilitas indicatur, vtpote quæ omnis mutationis & inconstantiæ expers, quod semel elegerit habitandum domicilium, non nisi violenter eiecta soleat relinquere. Quem enim diligit Deus, ita perfectè diligit, vt quantum ex se est, dilectionis vinculum nunquam abrumpat, sed semper in eo habitet, in quo semel domicilium fixit. Quod indicasse videtur Ioan. 14. Christus Dominus, cum diligenti se & *sermonem suum seruanti*, non contentus mutuam patris *dilectionem* promisisse, subiungit: *Et ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, id est, sempiternum in eo habitaculum & fixam sedem ponemus. Idem etiam Apocal. 3. promittitur, cum: *Ego*, inquit Dñs, *sto ad ostium & pulso; si quis audierit vocem meam & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo & ipse mecum*, id est, cum eo habitabo, & pernoctabo & quiescam, iuxta illud Esai. 66. *Super quem requiescet spiritus meus*, &c. *Requiescit* enim *Spiritus Dei* in eo cordis habitaculo, quod pietatem, &c. redolet; quia in eo & libenter habitat, & stabi-

Diuina dilectionis stabilitas.

& stabiliter ibi manet, modo impudenter nō eijciatur. Sic enim testatur Dn̄s, Ioan. 15. cùm ait: *Manete in me, & ego in vobis*, id est; Si in me manendo mihi domicilium semper liberum permiseritis, illud semper reseruabo, nec prius illud deseram, quàm me prius vos deserueritis. Quod ipsum confirmat Apostolus, Hebr. cap. 12. cum dixit: *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei.* Vbi non dicit Apostolus, ne gratia Dei alicui desit; sed, *ne quis desit gratiæ*, eò quòd videlicet neminem Deus deserat, nisi qui eum prius deseruerit. Id probat Augustinus, Serm. 54. de verb. Domini ex Zachariæ verbis cap. 1. *Cõuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Auersus*, inquit S. Pater, *est Deus, quia tu te auertisti; tu ab illo fecisti casum, non ipse à te fecit occasum: Ergo audi dicentem: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos; fugientis dorsa persequitur qui faciem redeuntis illuminat.* Hęc ille. Hinc est, quod *Charitas Dei*, ab Apostolo Coloss. 3. vocetur *vinculum perfectionis*, id est, vinculum perfectissimum, eò quòd charitas nunq̃ excidat 1. Cor. 13. & ex parte Dei, vinculũ sit insolubile, quia *sine pœnitẽtia sunt dona & vocatio Dei*, Rom. 10. ita vt quoties Dei spiritus, relicto veteri habitaculo, solum vertit, id nostro vitio fiat, iuxta illud Esai. 60. *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis.* Dicitur autem in eo *habitare Spiritus sanctus*, in quo eam, quæ ab eodem Spiritu infusa est, charitatis virtutem vsu & exercitio augere facit. Quemadmodum enim calor à corporib⁹ nostris procedens, vestes quibus induimur, calefacit, & ipsæ vicissim vestes calefactæ calorem corporis naturalem tuentur, & conseruant: ita opera charitatis à Spiritu

Deus neminem nisi prius desertus, deserit.

In quonam habitet Spiritus S.

Spiritu sancto nos diligente, & in nobis habitante excitata, ipsam illam charitatem tuentur & augent, & vt in nobis habitet Deus, efficiunt. Nam vt in artibus humanis, frequens & feruens artis exercitatio peritum facit: ita charitatis à Deo infusæ habitus crebris actibus & vehemétibus augetur intenditurque, non quidem effectiuè, quemadmodum in habitibus acquisitis contingit, sed meritoriè, iuxta illud Augustini, Epist. 106. *Charitas meretur augeri, vt aucta mereatur perfici, comitante, non ducente, pedissequa, non præuia voluntate.* Hæc ille.

29. *Scis enim hoc, quod auersi sunt à me omnes, qui sunt in Asia, ex quibus est Phigellus & Hermogenes.*

Vocula *enim* in Græcis & vetustis exemplaribus non reperitur; quam, si quis præterita cum præsentibus conferat, facile iudicabit superfluere. Queritur ergo Apostolus apud amantissimum discipulum, ab omnibus Asiaticis, qui vel mercationis, vel alterius negotij causa tum Romæ agebant, cum ipse ibidem carceri constrictus teneretur, se fuisse desertum, relictum & contemptum. In qua re similis fuisse videtur suo magistro discipulus Paulus, *Paulus, Christo similis.* qui ad passionem suam iturus, non modò ex suo ipsius collegio, vnum proditorem futurum prædixerat, Ioan. 16. sed & omnes scandalum in se passuros Matth. 26. Quod ipsis etiam reipsa paulò pòst contigit, cùm & à discipulo venditus, & ab hostib⁹ in horto compræhensus & ab omnib⁹ est derelictus. Huius autem apostasię & defectionis tépora videtur

ipse

ipse Paulus prædixisse, cum nouissimè Ephesios ad se Miletum vocatos, sic est allocutus, Act. 20. *Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam Lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobismetipsis exsurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se, propter quod vigilate.* Quam Pauli prædictionem seniores vehementer pupugisse, nulli dubium esse potest, cum vel de vnius futura proditione à Christo significata, plurimum fuerint territi Apostoli, Matth. 26. Quare suum vaticinium per eos, de quibus hoc loco, & paulò post, *Philetum & Hermogenem, Hymenæum & Alexandrum* Asiaticos impletum videns Apostolus, eadem Timotheo indicat, vt suam miseriam eò maiorem esse demonstret, quo ante ipsi fuerunt coniunctiores. Nullus enim grauior morbus reperiri potest, quàm intestinus, nec maior inimicus fingi, quàm domesticus. Vnde dilectus Christi discipulus. *Ex nobis*, inquit 1. suæ Epist. cap. 2. *prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent vtiq; nobiscum, sed vt manifesti sint, quoniam non sunt ex nobis.* Nulli namq; perniciosiores & seueriores hostes sunt, quàm qui rerum nostrarum conscij, nobis infensi, cõtra nos pugnant, & propriæ viscera matris exedũt, & ex altiore nobilioreq; statu magis disijciuntur ac degenerant. Quod ipsum expertus, contra suum proditorem ex Regij vatis, Psal. 40. contestatur Dñs, Ioan. 13. *Qui manducat*, inquit, *panem mecum, magnificauit super me supplantationem*, siue *leuauit calcaneum meum super me*; id est, quem antea amicum & mensæ socium habebã, non modò inimicus mihi factus est, sed & me dolo ac fraude cadere fecit. Est enim *supplantare* plantam, seu pedem inter alterius crura emittere

Huius loci apostasia à Paulo Ephesijs prædicta.

Nostrarum rerum conscij hostes perniciosissi.

Quid sit supplantare?

mittere in lucta aut cursu, vt eum cadere faciat; metaphoricè significans eos, qui dolis & fraudibus alterum in ruinam impellunt. Quod Iudas fecit, cùm *osculo* pacis Christũ prodidit, & sub specie discipuli, magistrum occultè persecutoribus vendidit, à quibus est morti traditus. Quod ipsum etiam hodie Catholicis & sedis Apostolicæ cultoribus, omnes in vniuersum vbi possunt, sectarij faciunt apostatæ, quemadmodum vsu & experientia maiori hacten⁹ comprobatum habent Catholici, quàm probatione indigeat. Certè grauiora semper & acerbiora tulit Ecclesia ex degeneribus ingratisq́ue filijs, quam ex cæteris; ac plurima pars perduellium constitit, constatq́; inter hæreticos, peiores esse grassatores, quàm sint fuerintue Gentiles, atq; Iudæi: & hi quidé, etiam ex intimis quasi visceribus Ecclesiæ, hoc est, ex sacris ministris atque religiosis, quibus, vt cum se intra septa continent, nulli sunt meliores; ita nulli, quando inde sunt egressi, peiores reperiuntur: id etiam asseuerante Augustino, epist. 137. Hanc ob causam, similes apostatas Hæreticos exterminandos præcipit Clemens, libro 6. Constit. cap. 18. vt *insidiatores Ecclesiæ, gregis Dominici labefactatores, hæreditatis contaminatores, qui Iudæos falsa religione, Græcos impietate superant.* Atque id scitu dignum est, multo plures in factiones & hæreses discissam semp̃ Ecclesiã fuisse, quàm idololatriam aut Judæorum religionem. Cuius rei causam reddit Isidorus Pelusiota, lib. 2. epist. *quoniam*, inquit, *Diabolus author satorq́; errorum, priusquam quidem veniret Christus, hominum vniuersitatem maxima ex parte sibi deuinxerat, vitij quodam sapore atq; temulentia: Vbi verò Dei filius, cælestis intulit vitæ documenta,*

Ab apostatis grauissima semper passa fuit Ecclesia.

Hæretici exterminandi.

Ecclesia Catholica in plures factiones quam Pagana aut iudaica, discessa.

menta, & per eas minas, quas in peccatores intendebat, pœnam quæ diabolum manebat, prænuntiasset Matth. 20. Sic iam pietati obluctari magnoperè non valens, contendit vt sub pio Christi nomine plerosq́; ad impietatem induceret, ac pietatis specie obtentuque, pietatem euerteret, & illos quoque qui optimæ vitæ laude persæpe excelluissent, per corrupta dogmata obtineret. Hæc citatus Isidorus. Sed Apostolos hoc mouere nō debuit, cùm Christum Iudas domesticus, familiarisque & supplantauerit, & vendiderit. Similiter etiam à Christi consuetudine videbantur discessuri illi, qui cum antea Christum fuissent secuti, eiusque doctrinam libenter audiuissent, *abibant retrò*, Ioan. 6. nec cum Christo amplius ambulabāt. Quos enim Christus ab initio sciret à disciplina sua abituros, eosdem tamen admittebat, ne quis vel patrem suum cælestem, vel ipsum in causa fuisse, cur isti non crederent, existimaret. Vnde interrogantibus, cur Deus velit tum proditores futuros, tum defecturos à fide, ad dignitates Ecclesiasticas promouere; respondendum est cum Cyrillo, lib. 3. contra Pelag. huic quæstioni soluendæ multum non esse inhærendum; quia eadem ratione posset aliquis petere, cur angelos fecerit, quos futuros Dæmones sciebat, cur Adam creauerit, quem peccaturum nouerat; Cur homines produxerit, quos damnandos præsciebat. Hoc sit nobis satis, nullum à Deo creatum hominem, aut angelum, vt peccet, aut malum faciat. Ipsorum est enim vitium, liberiq́; culpa arbitrij quod peccent, quod malum faciant. At Deus noster malo illorum ad bonum vtitur; sicut v.g. Iudæ proditione, cuius ipse Iudas suo vitio fuit causa, vsus est Dominus, vt instrumento quodam

Cur Deus apostatas ad fidē & dignitates Ecclesiasticas promoueat.

Deus malis ad bonum vtitur.

dam

dam ad filij sui mortem, qua mundũ redimeret. Sic etiam odio & iniquitate Judæorum vsus est, vt ipsis Christum, occidentibus, morte sua nostram mortem superaret. Deus enim malis etiam ipsis in bonũ vtitur, ideoq; ea permittit, vt bona ex ipsis eliciat.

Duos autem ex Asiaticis Apostatis insigniores in medium adducit Apostolus, *Hermogenem* & *Phigellum* siue *Philetum* (vtraque enim lectio reperitur) de quorum genere & conditione nihil certi potest definiri, nisi quod in apocryphis Apostolorum passionibus, in Iacobo, Joannis fratre legatur, hos fuisse maleficos, ipsius Jacobi opera, ad fidem Christianam conuersos: Sed sicut Simon Magus, & ipse aliquando Christianus, à Christiana religione deficiens, aduersus Dei Ecclesiam omnia tela conuertit; ita & prædictos ex fidelibus infideles, ex Christianis apostatas factos, maximas in Ecclesiam turbas concitare, & Paulo in omnibus aduersari studuisse credendum est. Vnde, inter plurimos Asiaticos, hos duos, tanquam acerrimos Euangelicæ veritatis hostes, Timotheo indicat; vt ipsos tũ vitet, tum etiam vitandos subditis denuntiet. Et hoc ideo, quia summum ex impiorum conuictu periculum sanctitati creatur; paucisque exemplis sæpe multumq; læditur, non rarò etiam vincitur & opprimitur. Hinc commisti inter Gentes Israëlitici, vt canit Dauid Psal. 105. & *didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum.* Quemadmodum enim vinum aqua dilutum languet, friget, decoloratur, odorem amittit, & tandem euanescit; sic ex impiorum familiaritate, languet, friget, decolor & acida redditur pietas, Vnde Esai. cap. 1.

Hermogenes & Philetus quinã fuerint, incertum.

Cur inter cæteros duo apostatæ nominentur.

Impiorum exitiosa Societas.

Vinum tuum mistum est aqua. Et huic mistioni faciendæ & adulterandæ, cauponandæque virtuti, nunquam non inuigilat callidissimus ille caupo Cacodœmon, sui semper quæstus, nostri verò dispendij damnique diligentissimus procurator. Quod, non modò præstare nititur impiorum familiaritate iniecta, sed ipsis etiam impijs eam mentem inijciendo, vt pelliciant inuitentque eos, quos apud se habent, iustos, ad impurissima Babylonis pocula, turbidumque turpissimarum voluptatum vinum. Quē nequissimum dolum tam grauiter ac moleste fert DEVS, vt etiam de eo grauissimè conqueratur Amos 2. *Suscitaui de iuuenib⁹ vestris Nazareos & propinabatis Nazareis vinum.* Quasi diceret; à quibus abstinentiam discere debuissetis, illos vestro exemplo, consilijs, vinolentia, oblato etiam poculo, & propinato vino, ad vestræ ebrietatis & vitæ impurissimæ imitationem conuertere studuistis. Quare, vt tantum malum à Timothei subditis auerteret prudentissimus Apostolus, ex multis Asiaticis, qui à fide apostatarant, duos & malitia, & fallacia insigniores nominat, tum vt vtriusque conatus reprimendos, tum consortia maximè fugienda esse declaret. Beatum enim eum pronuntiat DAVID, Psal, 1. non qui inter improbos non vixerit, sed qui ita procul ab impijs discesserit, vt non solùm non excipere auribus consilia, vocesque impiorum, sed neque possit tangere, quæ ad illos pertinent, non sedem quam illi semel occuparint, non viam, quam illi calcauerint. *Beatus vir,* inquit, *qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentia non sedit.*

Impiorum consortio fugiens beatus.

Obser-

Obseruandum est autem hoc loco, illos qui inter Hæreticos Hermogeniani nominantur in Africa, apud Philastrium & Augustinum, ab alio quam huius loci, Hermogene, quem Afer impugnat Tertullianus, sic fuisse appellatos.

Hermogeniani, contra quos Tertullian. scribit quinam fuerint.

30. *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui.*

Beneficiorum ab Onesiphoro acceptorum memor, benefactori suo misericordiam à Deo precatur gratissimus Apostolus. Et meritò; quia qui est *misericors* in pauperes, *propter iustitiam persecutionem patientes, misericordiam* vt (iuxta Christi promissionem) *consequatur*, dignissimus censetur. *Beati enim misericordes, ait* Dominus, *quoniam misericordiam consequẽtur*, Matth. 5. & Psal. 40. *Beatus qui intelligit super egenũ & pauperẽ, in die mala liberabit eum Dominus*.. Misericordiæ namque humanæ diuina misericordia vt aptissimum, ita certissimum est præmium; nam DEO proprium est, vt opera misericordiæ misericordia spirituali remuneret, paruæque misericordiæ magnam misericordiã rependat, qui pro rebus paruis, donare dona maxima consueuit. Licet enim par pro pari communiter referatur, nihilominus tamen paruis misericordiæ operibus, maxima dona liberalissimè rependit, ita vt Chrysost. hom. 5. in Matthæum, *mirabiles nobis propositas nundinas* dicat, in quibus paruis nostræ misericordiæ operib⁹, infinita Dei misericordia emitur: *Nundinæ*, inquit, *nobis mirabiles sunt: quam diu nundinæ perdurant, demus eleemosynam,*

Misericors misericordia dignus.

Humanã misericordia diuina promeretur.

salutem emamus,&c. Et hic, hom. 6. vitam ęternam docet misericordia in pauperes emi: *Duæ,* inquit, *vitæ propositæ sunt, temporalis & æterna. Vendit illas Deus; cæterum, æternam nobis vili pretio dare mauult. Et potest, inquies, vita pecuniis emi? potest, si nostra in pretium demus,&c.* Cui consentiens Augustinus, lib. 50. hom. hom. 39. *Felix,* inquit, *operarius, cultor eleemosynarum, eo quod ære suo comparauerit cælum,&c.*

Suorum gratia, mul a multis concedit Deus.

Precatur autem non illi tantùm *Onesiphoro*, sed toti eius *domui* siue familiæ, *misericordiam* à Deo *misericordiarum parente* Apostolus, propter herum, virum bonum ac perfectum. Solet enim Deus multa alijs conferre beneficia propter suos, quemadmodum patet exemplo paralytici, quem à domino propter portitorũ fidem sanatum dicit D. Lucas, cap. 5. Quod si tantum valuëre apud Deum, qui paralyticum portabant, quanti ponderis erunt sancti Apostoli, & diui illi, qui diuino iam conspectu fruuntur? *Consuetudo est misericordis Dei*, ait Chrysostomus, hom. 24. in Gen. *honorem hunc dare seruis suis, vt propter eos saluentur & alij*; quemadmodum, Act. 27. propter D. Paulum seruauit Deus simul nauigantes *Ne timeas Paule* (ait ibidem angelus) *ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum.* Equidem optimum est cum viris sanctis nauigare, optimum eorum consuetudine vti, quibus Deus comites donat. Paulo dedit socios simul nauigantes, ipsum verò Paulum protomartyri Stephano donauit. Paulum enim orationi B. Stephani donatum ait Augustinus, serm 4. in festo S. Stephani: *Si Stephanus*, inquit, *non sic orasset, Ecclesia Paulum hodie non haberet. Sed ideò de terra erectus est Paulus, quia in terra inclinatus exauditus*

Vir iustus magnum patria munus.

auditus est Stephanus. Hinc est quod D. Ambrosius, lib. de Abraham, cap. 5. propter paucorum iustitiam, dicit Deum toti populo impunitatem promittere Gen. 18. *Vnde discimus*, inquit S. Pater, *quantus murus sit patriæ vir iustus. Iustorum nos fides seruat; illorum iustitiâ ab excidio defendit*, quemadmodum ex illo Gen. 18 fit euidens, vbi Dominus ait Abrahæ; *Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis, dimittam omni loco propter eos.* Inde Gen. 19. cùm subuerteret Deus ciuitates regionis illius, *recordatus est Abrahæ, & liberauit Loth de subuersione vrbium.* Sic 4. Reg. 20. *Protegam*, inquit Dominus, *vrbem istam propter me, & propter Dauid seruum meum.* In quam sententiam, Deo Onesiphori familiam commendans Apostolus, eidem misericordiam peccatur propter bona patrisfamilias opera. Vnde non immeritò lib. de sacrif. Abel & Cain Philo. *Quando*, inquit, *aliquem bonum virum habitantem in domo quapiam aut vrbe video, & domum, & vrbem illam beatam prædico, ratus tum præsentem felicitatem ei mansuram perpetuò, tum absentem expectandam cumulatiorem; Deo vltra modum mensuramq; diuitias suas, in gratiam dignorum etiam in indignos effundere solito. Et quia illis, ne quando senescant aut intereant precari mihi non licet, precor vitam longissimam; existimans tam diuturnam fore hominibus felicitatem, quàm longum bonis viris vitæ tempus contigerit. Proinde alicuius eorum audita morte, ingenti tristitia & dolore conficior, non tam eorum vicem dolens, quàm superstitum. Illos enim naturæ ordine necessariò manet is exitus, vt post vitam feliciter actam gloriosa mors eos excipiat: His verò destitutis potenti manu qua protegantur, suorum malorum imminet sensus; nisi natura, tanquam in arbore,*

Pulchra Philonis sententia.

de

de qua maturi fructus decidunt, alios recentes substituat, quibus alantur, fruanturq́, quibuscumq́ datum est. Ergo vt viri fortes pro maximo sunt ciuitatibus munimento; sic in humana societate & communione hominum, iusti & sapientes viri firmißimum propugnaculum & præsidium existimari debent. In hanc ferè sententiam Philo.

31. *Quia sæpe me refrigerauit, & catenam meam non erubuit, sed cum Romam venisset, solicitè me quæsiuit & inuenit.*

Onesiphori nominis etymon.

Secundum nomen Onesiphori, ita & laus eius, Psalm. 67. *Onesiphorus* enim latinè vtilitatem siue commoditatem afferens, iuxta nominis sui etymon, dicitur; adeo vt nomen ipsius vitæ factisq́; respondeat, qui Paulo Apostolo multis nominibus afflicto, misericordiæ viscera liberaliter & sæpius aperuit; quemadmodum ex his, quæ Paulus hoc loco commemorat, facile perspicitur. Habent enim sæpè nomina sacra rebus ipsis quæ geruntur, congruentem significationem; sic Deo volente, aut præsagientibus parentibus, nominum impositoribus. Vnde quod citò euanescere, luctumq́; parentibus afferre deberet, Abeli nomen impositum est, Gen. 5. sicut & Noë, quod *consolaturus* esset *parentes suos ab operibus manuum suarum*. Sic etiam Iob nomen accepit ærumnis & doloribus congruens; sicut & Daniel, ab iniquo licet rege, eorum quæ passurus esset, presagium nomen accepit, Dan. 1. cum *Balthasar* idem sit ac portans angustiam. Quare hom. 51. in cap. 26. Gen. obseruat Chrysostomus raro parentum nomine, filios appellatos in scriptura, vel forte nusquam; quin

Conueniunt rebus nomina sæpe sua.

per

per illud aliqua futura præsignificarent. Et in cap. 16. epist. ad Roman. hom. 15. docet, *magnum thesaurum in nudis nominibus, multarum rerum historias, non modicam denique philosophiam contineri.* Vnde non desunt, qui pleraque nomina propria fatali quadam, si non necessitate, at significatione imposita fuisse, conentur ostendere. Hectorem enim inquiunt, lingua Phrygia *possessorem* sonare, vt qui patriæ possessionem tutaturus esset: *Tantalum* quasi *Talantaton*, id est, infelicissimum, vt cui aduersa multa euentura essent, & alia huiusmodi sexcenta.

Nomina olim non temere imposita.

Laudat igitur *Onesiphorum* Apostolus, quòd ab eo non tantum beneficijs cumulatus, recreatus, refectus sit, sed etiam, quòd in vinculis studiosè quæsitus, curatus & consolatus fuerit. Hic enim *Onesiphorus* Paulum ingentibus itinerum spatijs emensis, insecutus, miserum, afflictum, omnique humano auxilio destitutum inuestigauit, eius vt tuitionem, causam defensionemque susciperet. Optimi siquidem Christiani est, optimorum hominum ærumnis facile flecti, de ijs dolore, eorum indigentiæ succurrere, vitamque & sanguinem ab interitu & carnificina potentiorum redimere. A Christi namque veris cultoribus facessit illa immisericors, ac minime principibus regibusque digna Stoicorum secta, quæ negat sapientem misereri, aut ignoscere, quæ docet apud Senecam, lib. 2. de Clem. cap. 5. *misericordiam, vitium esse pusilli animi, ad speciem alienorum malorum succidentis.* Virtus sanè est magni animi, sed humani, humanis aliorum ærumnis indolescere, proximorum incommodis fle-

Onesiphori humanitas.

Stoicorum immisericordia Christiano indigna.

Misericordia in proximos commendatio. cti, condolere ipsis, indigentiæ precibus annuere, dicto citius ad illorũ vitam ex discriminibus subleuandam accurrere. Nihil enim magis Christiano in honore & precio esse debet, quàm vita & salus proximi & conciuis in fide, in charitate, &c. si quando iustitiæ causa, vim & iniuriam fuerit passus. Serena enim eiusmodiq; esse debet mens hospitalis Christiani, vt aliqua nubecula obducatur misericordiæ, quæ in salutarem auxilij imbrem aliquando concrescat. Nemo enim tam fœlix apud se, qui alicuius miseriæ ex alieno malo particeps esse non possit. *Sapiens misericors est; insipiens autem immisericors & inuerecundus,* vt ait Aristoteles. lib. 2. Rhetor. cap. 5. vbi pulchra de commiseratione. *Misericordia cito & hilariter præstanda.* Hanc misericordiam non oscitanter proximo præstandam esse, declarat Onesiphori eximia solicitudo, qui tam solicitè frequentissimã vrbem Romam ingressus, de Paulo inquisierit, ac tandem rimatum inuenerit. Lætandum enim esse insinuat, cum beneficiũ damus, quia beneficij gratia, promptitudine, celeritate ac alacritate conduplicatur. Hinc 2. Cor. 9. vult Paulus beneficentiam *cum hilaritate* esse coniunctã: *Qui miseretur*, inquit in ea, quę est ad Rom. cap. 12. *in hilaritate.* Et. 2. Cor. 15. *Nõ ex tristitia aut necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus.*

Summi porro beneficij loco habet Apostolus, quòd suam *catenam* non *erubuerit* Onesiphorus, hoc est, quod eum contempti vinctiq; Pauli non puduerit, sed eidem iam potius ab amicis & hominibus olim fidelibus despecto relictoque, adesse promptâ, libenti & liberali voluntate voluerit. *Onesiphori constantia.* Amicus enim certus in re incerta cernitur, *omniquè*

tempore

tempore diligit, qui amicus est. Prou. 17. Vnde Eccles. cap. 6. *Si possides amicum*, inquit, *in tentatione posside illum.* Nam tritum prouerbio est: *Vera amicitia in tribulationibus cernetur.*

Cum fueris felix multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila solus eris.

Constantis enim animi & pertinacis amicitiæ erat, vincti à Cęsare patrocinium, curam, & consilium ab ipso Onesiphoro suscipi, nec mortis aut discriminis, amici causa, metu terreri, sed potius omnia ei obsequia præstare.

Catenarum porrò suarum sæpè Paulus meminit, quod in ijs propter fidem susceptis, magnam solatij spem, præsidijque spiritualis plurimum posuisset, quemadmodum cap. 28. Act. dicit se, *propter spem Israel, catena hac esse circundatum*, vt videlicet, ostenderet aliam vinculorum suorum non esse causam, quàm quod liberè Ierosolymis & Cæsareæ, coram præsidibus & regibus, & passim alibi Christum annuntiet, (qui est vnica spes nostra) & resurrectionem per ipsum. Nec mirum, si has Pauli catenas non erubuerit Onesiphorus, quas insano quodam amore (si loqui ita fas est) prosecutus vel ipse multis sæculis posterior Chrysostomus, in hunc modum exclamat, hom. 8. in epist. ad Ephes. *Si quis mihi daret totum cælum, aut illam catenam, ego illam proferrem. Si quis me apud superos collocaret cum angelis, aut cum Paulo vincto; carcerem eligerem & vincula. Si quis me faceret vnum ex Potestatibus, quæ sunt circa cælos, aut circa Thronos, aut talem vinctum: potius optarem talis esse vinctus. Nihil illa catena beatius. Vellem nunc esse in illis locis, in quibus dicuntur manere illa vincula, & meritò viros illos* (Petrum & Paulum) *admi-*

Catenarum suarum cur sæpius mentionem faciat Paulus.

Chrysostomus, catenarum Pauli summus amator.

rarer propter Christi desiderium. Vellem videre catenas, quas pertimescunt quidem & horrent Dæmones, reuerentur autem angeli. Item.: *Non tam beatum censeo Paulum, quod raptus sit in tertium cælum* (2. Corinth. 12.) *quam eum censeo beatum propter vincula.* Rursus: *O beata vincula: ô beatas manus quas ornauit illa catena! Non erant adeò honorandæ Pauli manus, quæ claudum, qui erat Lystris, erexerunt, & fecerunt surgere. Actor. 14. vt quæ indutæ erant vinculis. Si ego fuissem illis temporibus, tum maximè eas essem amplexus, & pupillis meis admouissem; non cessassem deosculari manus, quæ dignæ sunt habitæ, quæ pro Domino meo vincirentur. Admiraris Paulum, quando eius manum tetigit vipera, & nihil ei fecit?* Act. 28. *Ne mireris; reuerita enim fuit catenam: Etiam totũ mare eam reuerebatur; tunc enim erat vinctus, &c.* Hæc Chrysostomus, qui pluribus in locis plura, de his Pauli cathenis in hanc sententiam commemorat.

Pauli catenarum elogia.

Misericordiæ operibus sanctitas comprobatur.

Ex eo autem, quod misericordiæ opera, in se ab Onesiphoro collata deprædicat Apostolus, videtur ipsius quodammodo Onesiphori vitæ innocentiam & sanctitatem comprobare. Solet enim scriptura misericordiam & iustitiam, vel sanctitatem pro eodem ferè accipere, sicut & iustum pro misericorde & benefico, vt patet ex Psal. 4. & 21. Mich. 7. Prouerb. 10. Matth. 6. & alibi. Quæ acceptio non in sacro sermone tantum, sed & apud Latinos sapientes & Philosophos reperitur; ex quibus Cicero lib. 1. offic. *Iustitia*, inquit, *in qua virtutis splendor est maximus, ex qua boni viri nominantur, & huic coniuncta beneficentia, quam eandem vel benignitatem vel liberalitatem appellare licet.*

Misericordia & iustitia synonima.

Sio

Sic colludũt ista duo loca Prouerb. 21. *Facere misericordiam & iudicium magis placet Domino, quàm victima.* Et illud Mich. 6. *Nunquid placari potest Dominus in millibus arietum? Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te; vtique facere iudicium & diligere misericordiam.* Et Hoseæ 6. *Misericordiam volui & non sacrificium.*

Huius autem acceptionis duplex potest reddi ratio: Vna, quòd videatur misericordia esse quasi primus sanctitatis & iustitiæ fructus: Nam sic eleemosynam vocat Apostolus, 2. Corinth. 5. *Fruges iustitiæ.* Hinc ex quo solum iustitię fuerit magis pingue & fertile, eo vberiores fruges eleemosynæ seu misericordiæ proferet; & quo minor sanctitas, magis tenuem & macram misericordiam; atq; adeò vbi nulla misericordia, ibi nulla sanctitas, nullaque iustitia apparebit. Altera ratio est, quòd qui misericordiam facit, videatur reddere omnibus quòd suum est; videlicet & sibi ipsi, cuius humanitas humanitatis sensum & compassioné iure suo exigit: & pauperi, victũ suo quasi iure debitũ; & Deo ipsi exigenti etiam atq; dicenti; Matth. 25. *Quod vni ex istis fecistis, mihi fecistis.* Quare nõ immeritò Nazianzenus Gregorius, in ea, quam de pauperũ amore sumpsit Oratione 16. nos admonet: *Dum secundo vento nauigas, ei qui naufragium facit manum porrige: dum sanus es & locuples, afflicto fer opem. Ne expectes dum quantum malum sit inhumanitàs in teipso discas, quantumq; bonum sit viscera egentibus aperire. Homo apud te iumento vilior non est, ô homo, quod cum in foueam incidit aut aberrauit, erigere & educere lex præcipit.* Exod. 33. &c. Itẽ: *Vulneribus per vulnera medere, simile per simile acquire, vel potius minoribus remediis gra-*

Eius rei duplex ratio.

1.

2.

D. Nazianzeni ad misericordiam exhortatio.

niores morbos expelle, &c. Vulneribus peccatorum per vulnera pauperum medemur, cum pauperum languores & vulnera curamus. Simile per simile acquirimus, cum misericordiam Dei, per misericordiam in egenos comparamus; grauiores criminum morbos minoribus remediis, id est, eleemosynis depellimus.

32. *Det illi Dominus inuenire misericordiam à Domino, in illa die.*

Græci codices legunt *à Domino*, Quasi dicat: *Det Dominus* Onesiphoro *inuenire misericordiam à Domino*, id est, diuinitus, *in illa die*, nempe iudicij extremi. Hic loquendi modus Hebraismum seu peculiarem linguæ Hebraicæ phrasin atque elegantiam continere videtur, scripturæ satis frequentem, sicut Genes. 19. *Pluit Dominus à Domino*, id est, à seipso, *de cælo*, id est, desuper. Esaiæ 8. *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, & in portentum Israël à Domino exercituum qui habitat in monte Sion.* Nec enim insolens aut durum videri debet illud vel *à Deo*, vel *à Domino* positum esse, pro à seipso, siquidem proprietas est sermonis Hebræi, nec sine elegantia, pro ipsis Pronominibus ponere nomina, vt qui de seipso loquitur, perinde loquatur, ac si de eo alius loqueretur. Exempli gratia, Genes. 4. Lamech sic affatur vxores suas: *Audite me vxores Lamech*, p. vxores meæ. Et 3. Reg. 1. Dauid dixit Nathan Prophetę & Sadoch Pontifici: *Tollite vobiscum seruos Domini vestri*, pro, seruos meos. Et Assuerus rex, vt habetur Esth. 8. cap. dixit Mardochæo & Esther: *Vos scribite ad Iudæos, prout vobis*

Huius loci Hebraismus explicatur.

vobis visum fuerit in nomine regis; pro eo quod est, in nomine meo. Quamuis & hic possit illorum verborum esse sensus, vt per *Dominum* primo loco positũ, pater cælestis intelligatur, qui non propter creationis & conseruationis duntaxat beneficia nobis exhibita; sed etiam propter paternæ prouidentiæ & fortitudinis præclara facinora, propter nos ab alienis possessoribus sibi comparandos edita, iure optimo *Dominus noster* est. Per *Dominum* verò secundò loco positum, intelligatur Christus, qui *Dominus omnium est*, ideo videlicet quod nos omnes in iniquitatibus nostris diuenditos, peculiari redemptionis beneficio, tanquam pretio quodam liberaliter coëmerit. Quare hic esse poterit sensus: *Det Dominus pater*, à quo *omne datum optimum & omne donum perfectum*, tanquã ab omnis boni origine & principio procedunt; Onesiphoro *inuenire* donũ misericordiæ à Christo *Domino* in extremo iudicij die. Ideo autem Paulus rogat patrem cælestem, vt misericordiã in die iudicij inuenire possit Onesiphorus à Christo eius filio, quia pater *in illa die* iudicaturus est neminem, sed *omne iudicium dederit filio*, vt ipse Christus testatur Ioan. 5. Licet enim iudicare opus sit Dei, iudicaturusque sit Pater & Filius & Spiritus sanctus, vna eademque potentia & iustitia; cum Trinitatis opera sint inseparabilia; dicitur tamen nõ Pater, sed Filius iudicaturus, eo quod solus ipse Filius corã omnium hominum oculis, tam proborum quàm improborum, incredibili cũ maiestate visibiliter apparebit, solus ipse visibili modo causas discutiet, solus ore corporeo extremas sententias proferet; quo modo nec Pater nec Spiritus sanctus iudicabunt, licet inuisibi-

Alia huius loci explicatio.

Christus omniũ Dominus.

Quomodo pater neminem iudicet.

uisibiliter sint etiam iudicaturi. Ita docet Augustin. tract. 19. in Ioan. *Quia*, inquit, *Christus solus apparebit in forma serui, pater autem non apparebit, quia non est indutus forma serui; ideo dicitur, patrem neminem iudicare, &c.*

Cur circuitione hac (in illa die) extremi dies iudicij exprimatur.

Aduertendum est autem, extremi iudicij diem circuitione hac verborum, *in illa die*, in scriptura sæpissimè notari solere; vel primò, vt indicetur ipsius extremi diei certitudo. Licet enim incertum omni-
1. bus sit, & *de die illa* nemo sciat, vtpote cuius *tēpora vel momenta posuit pater in sua potestate*, Act. 1. quia tamen tam certò futura est dies illa, vt quasi digito propter certitudinem indicari possit, merito demonstrati-
2. uo *illo* pronomine *diei* adiuncto, exprimitur. Vel secundò, quia extremi iudicij dies notissima iam erat omnibus Christianæ fidei cultoribus, ac præcipuè Timotheo, qui *sacras literas ab infantia* didicerat, in qua huius diei crebra habetur mentio. Solet enim scriptura Demonstratiuo *illo* pronomine *diei* adiuncto res certas & omnibus notas, quæque in omnium ore ac sermone versentur significare, vt vel ex hoc fit liquidum, quod & ipsum aduentus Messiæ præstitutum tempus, hoc etiam nomine, apud Prophe-
3. tas insigniatur. Zach. 13. & alibi. Tertiò, vt summa extremi iudicij seueritas, districtumque in eo hominibus omnibus subeundum examen indicetur, propter quam, vel maximè erit necessaria misericordia illius, qui & iudex futurus est, & testis, & Iudex quidem, qui non nisi *iustitias*, id est, iustè *iudicare* potest, Psal. 74. testis verò, in cuius oculis omnia sunt facta.

Verum huius loci sensum.

Optat igitur hoc loco Paulus, Onesiphoro dari mise-

misericordiam in die iudicij maximè necessariam. Non quod tum eidem primum remissionem peccatorum, & cum Deo reconciliationem euenire cupiat, cùm ante tribunal Christi, post hanc vitam, peccata non condonentur, sed alio modo, vt hunc sensum Paulina verba faciant: sic Onesiphorum Dominus gubernet in hoc mortali corpore, vt in die illa, iudicij videlicet declaretur eidem diuinam misericordiam non defuisse; Vel etiam, vt inueniat *misericordiam in die* iudicij, per *misericordiam*, eius effectum intelligendo.

33. *Et quanta Ephesi ministrauit, tu melius nosti.*

Onesiphori liberalitatem, & ad miserendum promptitudinem exaggerare pergit Apostolus, inuocato etiam in testem Timotheo, hoc sensu. Quid beneficia mihi ab Onesiphoro Romę præstita commemoro, cum tibi sint ea perspecta, quæ non solum in me, sed in alios fideles Ephesi commorantes contulit. Licet enim in aliquibus Exemplaribus sit adiunctum Pronomen, *(mihi)* in Græcis tamen codicibus nec inueniri, nec in Commentariis (præsertim Ambrosij, &c.) locũ vllum habere, testatur Sasbout. Tanta siquidem fuit Onesiphori pronitas & mollitudo animi ad misericordiam, vt non solùm Paulo aut Timotheo, sed omnibus sua opera quoquo modo indigentibus benefaceret. Omnium quippè se debitorem fatebatur, illius fortassis memor, quod à Colossensibus cap. 3. imo ab vniuersis Christi fidelibus requisiuit Apostolus: *Grati estote*, id

Huius loci sententia.

Onesiphori ad miserendum promptitudo.

est, gratiosi, amabilesque, bene merentes vestris operibus & beneficiis de omnibusque: quod se præstitisse ipsemet Paulus profitetur 1. Corinth. 10. *Ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis.* Et sanè mirum, quantum proximo placere, eidemq; afflicto subuenire studeant, qui sancti sunt. Cùm enim proximum sicut seipsos diligant, probatioque dilectionis sit exhibitio operis, non possunt nō eorum calamitatibus & miseriis subuenire, quos proximos esse cognoscunt. Nec solum iisdem succurrunt, sed omnes succurrendi occasiones captant, ipsum succurrere pro magno beneficio reputantes, iuxta illud Domini, Actor. 20 *Beatius est dare quàm accipere.* Cui non absimilis est illa præclara Senecæ vox, quam lib. 1. de benef. cap. 2. protulit. *Si spes mihi præcidatur gratum hominem reperiendi, malim non recipere beneficia quàm non dare.* Hanc proximi necessitatibusque succurrendi promptitudinem, hominibus propriam voluit Natura, cum vni homini humanitatem, qua aliis subueniret, concessit; reliqua verò animantia naturalibus munimētis instruxit. Quod docet Lactantius Firmianus lib. 1. cap. 10. cum ait: *Cum natura hominis imbecillior sit, quam cæterorum animalium, quæ ad perferendam vim temporum, vel ad incursiones à suis corporibus coërcendas naturalibus munimentis prouidentia naturalis armauit. Homini quia nihil istorum datum est, accepit pro istis omnibus miserationis affectum, qui vocatur humanitas, qua nosmet inuicem tueremur, &c.* Vnde pro naturæ societate, & vitæ communione debet homo iuuare proximum suum; conueniens enim homini est, hominem seruare voluptas. Et cū id ita sit humanum, vt ab ipsa hominis ratione & natura

Misericordia sanctis viris propria.

Homini naturale est, proximo subuenire.

tura positum sit; videtur esse diuinum benefacere homini, quemadmodum testatur alioqui de Deo impiè sentiens Plinius, de diuina prouidentia sic loquens: *Deus est, mortali iuuare mortalem.* Cum autem quis hominem sui similem iuuat, seipsum iuuat, seque agnoscit aliquando pro humana imbecillitate postulaturũ alterius opem. Hinc est, quod duas habeat homo manus, duo brachia æqualia, vt videlicet tam ad accipiendum quàm ad dandum & abundandum natum se esse intelligat.

Diuinum est homini benefacere.

In eo quod additur, *Tu melius nosti*, licet Comparatiuus (*melius*) pro Positiuo (*bene*) accipi possit, potest tamen etiam exponi, vt per Eclypsin hæc vel similia subaudiantur: *Tu melius nosti*, quàm vt tibi referre possim, cum præsens fueris: Vel, quàm ea, quæ mihi sunt ab ipso Romæ præstita; Vel etiam, quàm nullus alius, cum eius agas Episcopum & Pastorem, cuius officium est, oues suas cognoscere, &c.





CAPVT II.

1. * TV ergo fili mi, confortare in gra-
2. tia, quæ est in Christo Iesu; * &
quæ audisti à me per multos te-
stes, hæc commẽda fidelibus hominibus,
3. qui idonei erunt & alios docere. * Labora
4. sicut bonus miles Christi Iesu. * Nemo
militans Deo, implicat se negotiis sæcula-
5.6. ribus: * vt ei placeat, cui se probauit. * Nã
& qui certat in agone, non coronatur, nisi
7. qui legitimè certauerit. * Laborantem a-
gricolam oportet primũ de fructibus per-
8.9. cipere. * Intellige quæ dico: * dabit enim
tibi Dominus in omnibus intellectum.
10. * Memor esto Dominum Iesum Christũ
resurrexisse à mortuis, ex semnine Dauid,
11.12. * secundum Euangelium meum, * in quo
laboro vsque ad vincula quasi malè ope-
13. rans: * sed verbum Dei non est alligatum.
14.15. * Ideo omnia sustineo propter electos: * vt
& ipsi

& ipsi salutem consequantur, quæ est
in Christo IESV cum gloria cœlesti. 16.
* Fidelis sermo. * Nam si commortui 17.
sumus: & conuiuemus. * Si sustinebi- 18.
mus, & conregnabimus. * Si negaue- 19.
rimus: & ille negabit vos. * Si non cre- 20.
dimus, ille fidelis permanet, negare se-
ipsum non potest. * Hæc commone, testi- 21.
ficans coram Domino. * Noli contendere 22.
verbis: * ad nihil enim vtile est, nisi ad 23.
subuersionem audientium. * Solicitè cu- 24.
ra teipsum probabilem exhibere Deo, o-
perarium inconfusibilem, * rectè tractā- 25.
tem verbum veritatis. * Prophana autem 26.
& vaniloquia deuita; * multum enim 27.
proficiunt ad impietatē: & sermo eorū vt
cancer serpit: * ex quibus est Hymenæus 28.
& Philêtus: qui à fide exciderunt, * dicen- 29.
tes resurrectionem esse iam factam: * & 30.
subuerterunt quorundam fidem. * Sed 31.
firmum fundamentum Dei stat, * habens 32.
signaculum hoc; cognouit Dominus qui
sunt eius; * Et discedat ab iniquitate om- 33.

34. nis qui nominat nomen Domini. * In
magna autem domo, nō solùm sunt vasa
aurea & argentea; sed & lignea & fictilia:
35. * & quædam quidem in honorem, quæ-
36. dam autem in contumeliam. * Si quis er-
go emundauerit se ab istis, erit vas sanctifi-
catum & vtile Domino, ad omne opus bo-
37. num paratum. * Iuuenialia autem desi-
38. deria fuge: * sectare vero iustitiam, fidem
39. spem charitatem, * & pacem cum eis
qui inuocant Dominum de corde puro.
40. * Stultas autem & sine disciplina quæstio-
nes deuita; sciens quia generant lites.
41. * Seruum autem Domini non oportet li-
tigare: sed mansuetum esse ad omnes, do-
cibilem, patientem, cum modestia corri-
42. pientem eos qui resistunt veritati: * ne-
quando Deus det illis pœnitentiam ad co-
43. gnoscendam veritatem. * Et resipiscant
á Diaboli laqueis, à quo captiui te-
nentur ad ipsius volun-
tatem.

CAPVT

CAPVT II.

1. *Tu ergo fili mi confortare in gratia, quæ est in Christo Iesu.*

BLandientis sermonem & amorem ex paternis visceribus manantem, hi duo vocatiui (*fili mi*) exprimunt. Licet enim vocabulum *filius* propriè (sicut in cap. 1. ad Hebr. annotarunt Chrysostomus & Theophylactus) pro eo qui eiusdem est cum patre naturæ, accipiatur; vt Psal. 2. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te*; hic tamen impropriè & Metaphoricè sumitur, quemadmodum per similitudinem dicuntur homines & angeli *filij Dei*. Iob 1. & 38. quia à Deo naturaliter non gignuntur, sed voluntariè, vt ait Jacobus capit. 1. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis*: quo etiam pacto prognatus à Paulo fuerat Timotheus. Dicuntur enim *filij*, vt docet Augustinus, lib. contra Adimant. cap. 5, *vel natura, vel doctrina, vel imitatione. Natura quidem dicitur quispiam filius eius, à quo genitus; Doctrina illius, à quo est edoctus.* Sic Paulus, vt addit August. ad Galatas cap. 4. discipulos filios vocat: *Filioli*, inquit, *mei quos iterum parturio.* Imitatione dicitur is filius, qui aliquem imitatur. Sic ait Paulus Gal. 3. Christianos filios esse Abrahæ, & Rom. 3. *Abraham patrem* esse *omnium credentium.* Timotheus hoc loco non dicitur Pauli *filius natura*, sed imitatione & doctrina quoniam Paulum imitabatur, & ab eo discebat. Tanta est enim imitationis vis, vt eos filios eius faciat, quem imitandum proponunt. Imitatur quis Augustinum, Augustini; Fran-

Filij propria & impropria acceptio.

Timotheus, quomodo Pauli filius.

Imitatio filios facit.

Franciscum Francisci; Paulum Pauli, &c. filius dicitur. Etenim is, qui alterum imitatur; ab eo veluti procreatur, non quidem secundum naturam, sed secundum virtutem vel vitium. Vnde Epiphanius, hær. 40. *Vnusquisq;*, inquit, *vestrum, quicquid tandem fecerit, eos, qui primum id fecerant, imitatus, patres habebit, &c.* Hoc sensu vocat Dominus Ioan. 8. Iudæos *Diaboli filios*, vt notat Augustinus: *Duobus*, inquit, *modis Iudæi filij Diaboli vocantur à Domino; vel quod ab ipso impietatem didicerint, vel quod eum imitentur, &c.* Et tract. 42. in Ioan. *Iudæi*, inquit, *filij sunt Diaboli, imitando non nascendo, &c.* Eandem etiam ob causam ab Ezechiele cap. 16. *Amorrhæorum & Cethæorum filij* appellantur, quod illos imitarentur: *Pater*, inquit Propheta, *tuus Amorrhæus & mater tua Cethæa, &c.* Quia igitur Timotheum, suo exemplo, ad ferendas pro Christo afflictiones & prædicandum Euangeliũ cohortaturus erat Apostolus, *filij*, vocabulo eundẽ in se procliuem ac propensum reddens, hoc modo alloquitur: Quia ego desertus sum ab Asiaticis, *confortare*, id est, esto tu fortis, robustus & constans, nec animo te commoueri patiare, *in gratia, &c.* Voce *gratiæ, Dei & saluatoris nostri benignitatem & humanitatem, quæ nobis apparuit*, D. Ambrosius intelligit, *quæ non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam, saluos nos fecit.* Tit. 3. Et est, quasi diceret Apostolus: *Viriliter age*, ô Timothee, *& confortetur cor tuum* (Psal. 26. 30.) in prædicando & docendo Euangelio, quod Dei gratiam annuntiat, qua Deus per merita vnius mediatoris Christi filij sui, humano generi voluit reconciliari. Nec est quod moreris hic Iudæos, qui quærunt iustitiam, quæ ex lege

Iudæi quomodo filij Diaboli.

Huius locis paraphrasis.

Vox gratia quid hoc loco.

lege est, nec Simonis scholam cures, quæ nescio quos mediatores fingit & inducit.

Si verò nomen *Gratiæ*, pro Dei gratuito ad iuuante dono, iuxta Chrysostomi commentarium accipiatur, tunc sensus hic erit: non humanæ quidem est opis, non volentis, neq; currentis, sed miserentis Dei, dura & acerba tam pro fidei firma defensione, quam pro Euangelij libera prædicatione sustinere; ideo te admonitum volo, ne tam virium tuarum firmitati, quàm Dei opitulantis auxilio fortiter innixus, Euangelio velis collaborare. Nam, cum imbecillitatis humanæ memoribus *in Deo*, (cui cura est de nobis) spes omnis nostra collocanda sit, ideò eidem maximè in ærumnis & laboribus *adhærere bonum est*, quemadmodum testatur Regius vates Psal. 72. Et Hierem. cap. 20. cum ait: *Dominus mecum est tanquam bellator fortis, idcircò qui me persequuntur, cadent.* Cum enim homines, quod in se est, faciētes, *omnia possint in eo, qui ipsos cōfortat* Philip. 4. ideò Iob cap. 17. Deum in sui auxilium vocans: *Pone me,* inquit, *iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me*; quia illud in tuto est, quod *habitat in adiutorio altissimi, & in protectione Dei cœli commoratur.* Vnde vir pius, quemadmodum nullibi tutam fidem, nisi in Deo, & neminem, qui velit in re capitali pro ipso se sponsorem prębere agnoscit; ita nullum aduersariorum impetum formidat, si ex æquo & iure, coram Deo iudice, de sua ipsius causa agatur. *Flagellum enim non appropinquat tabernaculo ipsius*, cum nulla iniquitas calumniaue familiæ ipsius, quæ eius tabernaculo tegitur, nocere possit.

Alia gratia acceptio.

Gratia cur Christo præcipuè asscribi soleat.

Quamuis per totam Trinitatem facta sit *gratia*; *in Christo* tamen, id est, per Christum & hic & alibi sæpe eam dicit Apostolus factam; quod peculiari ac proprio quodam modo author eius sit Christus. Fecit quidem tota Trinitas, factamque hominum animis infudit gratiam, cum *per eum omnia facta sint, & sine ipso factum sit nihil*; quia tamen proprio ac speciali suo opere, quo nec Pater, nec Spiritus sanctus, author fuit Christus, ipsi tanquam authori meritò ea potest adscribi. Proprio enim suo opere eius gratiæ author fuit Christus, quia per humanitatem suam nos redemit, nobis gratiam, reconciliationem, peccatorum remissionem, & vitam meruit & obtinuit, quod nec pater, nec Spiritus sanctus, per se fecerunt, quia carnem ipsi non induerunt, ideò nec redemptores dici possunt; licet tota Trinitas gratiã ipsam, & remissionem, & vitam quam Christus meruit, nobis fecerit & operata sit. Christo igitur filio gratia asscribitur, tum quod vt Deus illam procreauerit, animisq; hominum infuderit, tum quod Christus Deus & homo eandem nobis meruerit, & antequam carnem sumpsit, non solùm vt Deus gratiam operatus, sed & virtute ipsius futuri meriti in carne eam largitus fuerit. Fide enim viua apprehensus, quamuis tunc nondũ carne indutus, fons fuit gratię Christus, ex quo veteris Testaméti patres illam quã habuerunt gratiam, largiter hausêre, iuxta illud Pauli 1. Cor. 10. *Bibebant de spiritali consequente eos Petra; Petra autem erat Christus.* Quare totius gratiæ effector præcipuus, stirps & origo tam veteris quàm noui Testamenti Christus est. *Gratia* enim, ait Joannes cap. 1. *per Christum IESVM facta est.* Salus quippe

Christus proprio quodam modo author gratia.

Gratiam omnibus hominibus meruit Christus.

quippe *per* IESVM, id est, saluatorem est exhibita; Chrisma verò *per Christum* effectum est, id est, vnctio gratiæ per vnctum Dominum; Christus enim vnctum significat. Quare pulchrè Bernardus, serm. 6. in vig. Natiu. *Curationis acerbitatem reformidas?* inquit, *metum adimit nomen Christi, quod vnctum significat, id est, suauem & misericordia, non acerbitate plenum medium. Suauis est planè Christus, & mitis, & multæ misericordiæ, vnctus oleo lætitiæ, non vtens cauterio, sed vnguento, non vstione sed vnctione curans. Vnxit Christum Pater, vt Christus vngeret. Omnes ab eo vncti sunt, qui de plenitudine eius meruerunt accipere. Veniebat vngere contritiones nostras ac lenire dolores, ideoq; venit vnctus, venit mansuetus & mitis.* Sic Bernardus. *D. Bernardus.*

2. *Et quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus.*

Hunc locum, aliter à Græcis, aliter à Latinis distingui notat Sasboüt. Nam iuxta Græcos ibi; *Per multos testes*: perfecta est periodus, & principium nouæ periodi, ibi est: *Hæc commenda, &c.* Iuxta quam distinctionem, subaudiendum est (*in his*) quod in sua translatione expressit Erasmus sic vertens: *Tu esto fili mi fortis in gratia, quæ est in Christo Iesu, & in his, quæ audisti à me per multos testes.* Iuxta Latinos verò, ipsum Græcum Chrysostomum imitantes, finitur præcedens periodus ibi: *In Christo Iesu*; & quod sequitur: *Quæ audisti à me*; refertur ad verbum *commenda.* Quia verò illud demũ est sapere, nõ quæ ante pedes est, videre, sed quæ futura sunt prospice- *Huius loci diuersa Latinorum & Græcorum distinctio.*

 re;

& Apostoli subinde multa communicarent; nihil tamen tradebant alienum aut contrarium his, quæ in publico & palam docebant, sed omnia ad eundem finem & doctrinam tendebant. Contrarium vero Sectariis prorsus euenit, quibus, ceu inimicis hominibus familiare est, dum alij (fideles) dormiũt, pestifera sectarum erronearum zizania disseminare, nec in propatulo, ac coram multis testibus primùm, sed coram paucis, idque priuatis in secessibus & angulis loqui. Nam, *qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius*. Ioan. 3. Non quod lucem oderint sensibilem Sectarij, quæ omnibus natura est amabilis, sed quia lux, opera mala & eorum errores patefacit, vnde ipsi possint argui & reprehendi; Sicut enim qui malè agit, lucem sensibilem fugit, & tenebras, ne videatur, quærit: Sic qui mala opera, etiam occulta, quando ad sensum faciunt, fugiunt lumen veritatis internum, quod talia opera manifestat & arguit. Affectus enim hominum vitiis inhærens, & ea relinquere recusans, impedit, ne intellectus fidei veritati assentiatur, & mauult homo credere quod eius malefacta excuset, quã quod condemnet.

In occulto loqui, Sectariorum proprium.

Impius odit lucem.

Fit euidens secundò, verbotenus multa ab Apostolis fuisse tradita, quæ literis (quicquid contra blaterent Lutherani) non omnia fuêre mandata, adeoq́ue necessariò admittendas esse eas traditiones non scriptas, quas fidelibus hominibus ab Apostolis commendatas per manus accepimus. Vnde 2. Thessal. 2. *State*, inquit Apostolus, *& tenete traditiones quas accepistis siue per epistolam, siue per sermonem*. Ex quo testimonio, authoritatem traditionum non scriptarum

Corollar. 2.
Traditiones non scriptæ necessario admittendæ.

trat gratiam, qua lex impleatur; Quemadmodum item, liberum arbitrium, vt ibidem docet Augustin. non euacuatur per gratiam; sed statuitur, quia gratia sanat voluntatem, qua iustitia verè diligatur: sic scriptura sacra non euacuatur per traditiones, sed statuitur, tum quod legitimum scripturæ intelligendæ sensum subministrent, tum quod in scriptura non expressa, ipsæ exprimant. Sic enim Spiritus sanctus diuinas scripturas dedit, vt tamen in Ecclesia sua, & spiritualem gratiam eas rectè intelligendi, & præterea multa sine scripto solis cordibus inscripta, & viua voce de manu in manum tradita relinqueret. Neque enim consentaneum erat, vt tota Euangelij doctrina, quæ lex est spiritus & vitæ, mortuis vbique literis committeretur, nec vlla ex parte cordibus insereretur, cum de ea peculiariter scriptum sit: *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Christianis enim tanquam perfectis & in gratiæ libertatem vocatis lex tradita, in cordibus eorum est insculpta; cum è diuerso Iudæis, tanquam seruis, vniuersa, etiam minima, legis mandata literis fuerint præscripta. Quare, qui ex omni parte in characteribus & membranis Euangelium includunt, nihil vllius verbo, nihil cordibus relinquentes, hi Euangelio multum adimunt & dignitatis & virium. Eiusmodi sunt impij Lutherani, qui nihil esse aut dici posse Euangelium mentiuntur, quod chartis, aut membranis non fuerit expressum. Auditi enim verbi, non scripti, hic & vbiq; mentionem fieri constat, quod vt ad Hæreticos confutandos est efficacissimum, ita scripto longè est antiquius. Hinc est quod Tertullianus moneat, vt aduersus Hæreticos magis

Traditiones scripturæ lucem adferunt.

Lutherani traditiones non admittentes, scripturæ plurimum adimunt.

magis traditionibus, quàm scripturis differamus, quod scripturæ in varios sensus facile trahantur, traditiones non item. Vnde Irenæus, lib. 1. cap. 1. *Hæretici*, inquit, *scripturis nituntur sua dogmata confirmare, ne sine teste esse videantur: sed deformant eloquia Dei, atque ex figura hominis, vulpis aut vrsi figuram reddunt.*

Coroll. 3. Apostolica scripta, non nisi commonitoria.

Fit tertiò liquidum Paulinas epistolas, sicut & alia scripta tam Euangelica, quàm Apostolica commonitoria tantùm fuisse traditæ prius doctrinæ & exhortationes ad eam retinendam, non totius doctrinæ Christianæ expressam aliquam formam aut institutionem. Hoc de suis epistolis euidentissimè demonstrat Apostolus, & hoc loco, cum non scripta sua, sed audita fidelibus commendanda præcipit; sicut & alibi, cùm lectorem suum ad prædicationem viua voce factam, tanq̃ ad pleniorem & latius patẽtem subinde remittit. Ad Romanos enim scribens, monensque, vt ij à falsis Doctoribus cauerent, non ipsam Orthodoxam doctrinam speciatim designat, sed ad eam iam olim viua voce acceptam eos referens, ait Roman. 16. *Præter doctrinam quam didicistis.* Quod ipsum Corinthiis scribens sæpissime facit: *Sicut*, inquit 1. Corinth. 7. *in Ecclesiis omnibus doceo.* Et Et cap. 11. *Sicut tradidi vobis.* Et rursum cap. 14. *Sicut in omnibus Ecclesiis doceo, tale illud etiam est.* Cap. 15. *Sic prædicauimus, sic & credidistis.* Ita etiam ad Galatas scribens, cap. 1. *Si quis*, inquit, *vobis euangelizauerit, præterquam quod accepistis, &c.* Vbi non dicitur, præter hæc & alia capita doctrinæ, quæ in hac vel alia epistola continentur, sed *præter acceptam* iam doctrinam, &c.

Quod

Quod verò ad Euangelica scripta attinet, testatur Eusebius, lib. 2. cap. 14. Marci Euangelium ideo scriptum fuisse, vt monumentum esset prædicationis factæ Romanis, apud ipsos Romanos deponendum, rogantibus illis, vel (vt Chrysostomo placet) Ægyptiis fratribus, atque à Marco illud efflagitantibus; vt sanè hoc nomine à SS. Patribus, *Interpres Petri*, id est, prædicationis per Petrum factæ enarrator Marcus audiat. Quod ipsum etiam de aliis Euangeliis pronuntiat Chrysostomus, homil. 1. in Matth. admonitionis videlicet gratia, illa scripta fuisse. Cui consensit Hieronymus, asserens, ea scripta fuisse in memoriam posterorum. Idipsum profectò de suo Euangelio apertè testatur D. Lucas, cum in proœmio causam suæ scriptionis Theophylò reddens: *Vt cognoscas*, inquit, *eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem*, hoc est, authore Chrysost. *vt sæpe commonitus, certus sis ac in certitudine permaneas*. Quocirca plurimum hallucinantur nostri temporis Sectarij, cùm totius fidei, omniumq; credendorum vnicam ac sufficientissimam regulam & normam, sola SS. scripturæ volumina constituunt. Non enim ea fuit sacra volumina scribentium finis & intentio, vt omnia ad fidem & salutem necessaria complecterẽtur, cum vt notat Eusebius, lib. 5. suæ histor. cap. 18. & 24. scribendi minimam habuerint rationem, nec tam edendis libris, quàm erudiẽdis populis operam dederint Apostoli. Hinc rationem reddens, cur Acta Apostolica à D. Luca conscripta, nec omnium Apostolorum, sed Pauli duntaxat res gestas, nec has quidem omnes comprehendant, respondet Chrysostomus, homil. 1. in Act. *Euangelistas semper incu-*

Euangelica historia conscribenda occasio.

Contra Lutheranos, totius religionis normam solam scripturam constituentes.

buisse in ea quæ magis vrgebant, nec curæ illis fuisse historias conscribere: Siquidem non parum multa, & absque scripto tradiderunt. Hæc ille. Ad quod etiam plurimum valet illa D. Augustini de iisdem Actis Apostolicis annotatio, libro de fide & oper. cap. 9. *Lucam* nimirum *in eo quod dixit; Baptizauit Eunuchum Philippus, intelligi voluisse impleta omnia, quæ licet taceantur in scripturis gratia breuitatis, tamen serie traditionis scimus esse implenda.*

Per multos testes, quid hoc loco nonnulli intelligant.

Notandum est autem hoc loco, Græcorum aliquos, Clementis lib. 7. Hypotyp. authoritate nitentium, *multos* huius loci *testes*, legem & Prophetas interpretari: Quasi Paulus, doctrinam Euangelicam, luculentis prophetarum, & legis testimoniis à se confirmatam & inductam, non quibusuis hominibus, sed fidelibus esse committendam velit, qui per fidem, intellectu in obsequium Christi captiuato, non humanis rationibus Euangelij doctrinam metiuntur, vt faciebant ij, qui Simonis dogmata sequebantur. Familiare siquidem Apostolo semper fuit ostendere, Euangelium non esse rem nouam, sed quam Deus *per suos prophetas* antè promiserat, qui non voce sola, sed & scripturis sanctis & diuino spiritu conscriptis, id prædixerunt, promissionemque istam nobis pronunciarunt & manifestarunt. Inde est, quod cap. 1. Roman. *Dei iustitiam*, per fidem Christi futuram, dicat à lege & prophetis esse testificatam, quemadmodum reipsa capite decimo eiusdem epistolæ, tum ex Deuteronomio, tum ex Esaia confirmat. Eam ob causam, capite primo eiusdem epistolæ dicit,

Euangelica doctrina, non est res noua.

cit, se *segregatum in Euangelium Dei, quod promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis*, vt Euangelij dignitatem & excellentiam commendaret; quippe quod sit à Deo promissum, sitque antè, tempore per prophetas, illius prædictum, & tandem etiam sacris literis perscriptum. Et lex quidem eo ipso, quod jubendo & comminando, non verò iustificando hominem erudiebat; satis significabat, dono Dei, per adiutorium spiritus esse iustificandum, & quod prophetæ prædixerant, Christi aduentu esse impleta. Per fidem enim, qua creditur in Christum, iustitia Dei, qua hominem induit, homini contingit; cùm eam per spiritum gratiæ, credenti confert sine legis adiutorio.

Notandum etiam, voce *fidelibus*, nõ omnes promiscuè Christianos, sed Christianorũ Presbyteros, Antistites, & Episcopos intelligi posse, qui summa fide & prudentia insignes, scripturarum eruditione & rerum multarum vsu prædití, sanctam Dei doctrinam, à profanis canum faucibus vindicantes, Euangelicæ veritatis margaritæ, ne ante porcos proiiciantur, diligenter caueant, &, quemadmodum *gratis acceperunt, gratis etiam communicent*. Ideo adiunxit Apostolus: *Qui idonei erunt alios docere*. Hoc enim semper curarunt Apostoli, vt quam à Deo acceperant veram Euangelij doctrinam, eandem sui ordinis & vocationis successoribus, ad posteritatis vtilitatem & salutem, sanam integramq; committerent. A quibus hæc non breuiter, nec segniter, sed magna cura, veneratione, studio, & discretione, ad cuiusuis ca-

Qui per fideles hoc loco intelligendi.

Apostolorum cura in commendanda Euangelij doctrina.

ptum, eam sibi voce traditam accommodarent, vt quam *sine fictione acceperant, sine inuidia communicarẽt.* Sap. 7. Quibus enim alios erudiendi cura ex munere incumbit, tanto veritatis acquirendæ zelo flagrare quoad intellectum, debent, vt in proximos & conciues, notabilem placidæ charitatis affectum & effectum debitis officiis atque operibus, declarent. Tum enim tuto & stabili loco sunt Ecclesiæ res futuræ, cùm eiusdem Pastores & Doctores, discendæ veritatis desiderium, & ex amore docendi profecta cupiditas vitæ probatæ manifesta exempla commẽdabunt.

Pastorum Ecclesiæ zelus.

Præter iã dictam *fidelis*, nominis interpretationẽ, hoc modo etiã accipi potest, vt velit à se tradita, Timotheum iis duntaxat commendare, quos nouerit fide Catholica, & fidelitate erga Dominum præditos, ne videlicet, sibi commissum depositum, vel disperdant, vel vitient, siue deprauent, vel etiam tanquam aliquis Iudas, furentur & surripiant. Hanc fidelitatem Doctori & Pastori necessariam indicauit Dominus, in illa parabola de seruo fideli, Matth. 24. cum ait: *Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus suus super familiam suam?* Quem locum, de Pastoribus & Doctoribus Ecclesiæ dictum, præter communem Interpretum sententiam, Ecclesiæ quoque vsus confirmat; hoc sensu: Quisnam est fidelis, seruus & pastor, qui Domini sui oues fideliter pascit, quique famulis Domini prælatus, diuini verbi alimẽtum petentibus vigilanter præstat? De hac fidelitate loquens Apostolus, 1. Corinth. 4. *Non sic, inquit, existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hic enim quæritur inter dispensa-*

Alia Fidelis nominis interpretatio.

Fidelitas, Pastoribus Ecclesiæ necessaria.

spensatores, vt fidelis quis inueniatur, &c. Q. d. Non nos existimet quisquam esse Dominos, cum serui simus, ministri & dispensatores *mysteriorum*, id est, sacramentorum & omnium arcanorum Euangelij verbiq; Dei, in quibus dispensandis, magna requiritur fidelitas. *Fidelis* autem *ille est*, inquit Chrysostomus, Matth. 24. *qui nihil ex rebus Domini sibi attribuit, neq; incassum quicquam expendit, &c.* Et D. Thomas 1. Corinthior. 4. *Infideles*, inquit, *dispensatores sunt, qui dispensandis diuinis mysteriis, non intendunt vtilitatem populi, & honorem Christi: Fideles autem, qui in omnibus intendunt honorem Dei, & vtilitatem membrorum eius, &c.* Quibus subscribens Theophylactus, eodem loco: *Quaeritur*, inquit, *in dispensatoribus, vt fidelis quispiam inueniatur, hoc est, vt herilia bona sibi non surripiat, vt non velut Dominus res tractet, adoriaturue, sed velut aliena, & gentilia tamen dispenset, non sua dicens esse, quae sunt Domini, sed e diuerso, quae sua sunt, Domini esse, &c.* Quod ipsum docuit D. Petrus, 1. suae epist. cap. 4. cùm ait: *Vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei. Si quis loquitur, quasi sermones Dei, si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam administrat: vt in omnibus honorificetur Deus, &c.* Quibus verbis, pastores admonet Apostolorum Choriphaeus, vt dona, quae à Deo acceperunt, sicut boni & fideles dispensatores donorum Dei multiplicium, administrent & dispensent, Deo tanquam authori & datori omnem gloriam tribuentes; ita vt si quis doceat, vel aliud quippiam donum dispenset, intelligat donum & virtutem, qua illud administrat, Dei esse, non suam, & proinde Dei quoq; esse gloriam,

Fidelis, quis dicendus.

cũ fidelis serui sit, nihil gloriæ Dñi surripere. Vnde Bernardus, serm. 13. in Cant. *Fidelis, inquit, reuera famulus es, si de multa gloria Domini tui transeunte per te, nihil tuis manibus adhærere contingat, &c.*

Nec hac fidelitate contentus Apostolus, doctrinã quoq; requirit, & talem quidem, quæ ad alios docédos sufficiat; cũ ait: Qui idonei sunt & alios docere. Quibus verbis tria ab Euangelico præcone videtur exigere; *doctrinam* scilicet, *bonam vitam* & *facundiam*; propter quorum defectum, assumẽdi concionatoris personam indutus, clamat Hier. c. 1. *A, A, A, Domine Deus. ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Doctrina porrò ante oĩa Euengelico præconi necessaria est, vt eos qui in tenebris ignorantiæ, & vmbra mortis sedent doctrinæ suæ radijs possit illuminare; quemadmodũ futurũ p Hierem. c. 3. pdixerat Dñs: *Dabo vobis pastores iuxta cor meũ, & pascent vos doctrina & scientia.* Quod *ipsum*, prçter fidelitatẽ cit. Matth. 24. verbis requisiuit Dñs, cum ait: *Quis putas fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus suus super familiã suam, vt det illis* (subditis) *cibũ in tempore suo.* Cibus enim hominũ, verbũ Dei est, & doctrina cœlestis, non minus animæ, quàm cibus corporalis corpori, necessarius, quemadmodũ, ser. 16. de temp. docet Augustinus: *Certissimè,* inq t, *scitote, quia qualis est caro, quæ post multos dies percipit cibũ: talis est anima, quæ assiduè non pascitur verbo Dei. Quomodo caro per famem sicca & tenuis, velut quoddã simulachrum efficitur; ita & anima, si verbi Dei cibo nõ pascitur, arida & inutilis, & ad nullũ opus bonũ congrua inuenitur,* &c. Hinc Tito, c. 1. scribens Apostol⁹: *Oportet,* inquit, *Episcopum esse amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, sermonem, vt potens sit exhortari*

Præter fidelitatem, tria in pastore requiruntur.

1. Doctrina.

Doctrina necessarius hominibus.

hortari in doctrina sana, &c. id est; oportet tali doctrina præditum pastorem, vt docere possit populum, &c.

Verùm, quia, vt inquit D. Gregorius, *cuius vita despicitur, restat vt eius prædicatio & doctrina contemnatur;* ipsi doctrinæ, bona vita est coniungenda. Etenim magna est dignus repræhensione Doctor aut cócionator ille, cuius vita à doctrina ita dissidet, vt de eo verè dici possit, quod de Pharisæis Dñs, Matth. 23. *Dicit, & non facit.* Et illud Rom. 2. *Qui alium doces, teipsum non doces, & qui prædicas non furandum, furaris, &c.* Inde est, quod verbi Doctores & magistros moneat Sapiens Prou. 5. *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui deriuētur foras.* Quod sic exponit Gregori⁹, curæ pastoral part. 3. adm. 25. *Aquam prædicator de cisterna sua bibit, cum ad suum cor rediens, prius audit ipse quod dicit: fontes foras deriuare est exterius aliis vim prædicationis infundere.* Quemadmodum enim, qui multam & puram aquam in cisterna domestica collectam habens, eam alijs liberaliter dispensat, sed ex ea nunquam, aut nisi parcissime bibit, ipse stultus meritò & insanus habebitur; quin & siti perire poterit: Sic, qui multa sciunt, & alios præclara docent, nihil interim ipsi, eorum, quæ docuerunt opere exequentes, grauiter insaniunt, & bonorum operum vacui, sempiterno exitio mulctantur. Aliter sanè se fecisse veri prædicatoris typus, testatur Apostolus, cum Philippensibus scribens cap. 3. dicit: *Imitatores mei estote fratres, & obseruate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram,* id est, typum & exemplar nostrum. Vbi Paulus, se typum & exemplar Philippensium appellat; quippe, qui quod prædi-

2. Bona vita.

Opera doctrinæ coniungenda.

Stultum est, scire, & non facere.

Paulus, veri prædicatoris typus.

prædicabat, sic opere præstabat, vt pro typo & exemplari à fidelibus haberi posset. Quod idem Tito commendat cap. 2. cùm ait: *In omnibus teipsum præbe exemplum*; Græce typum, formam & exemplar. Idipsum ab omnibus prælatis obseruari præcipit Petrus 1. suæ epist. cap. 5. cum inquit: *Neque dominantes in cleris; sed forma facti gregis ex animo:* In Græco, facti typi & exemplaria cæterorum.

3. Facundia.

Vt autem propositum sibi finem consequatur, auditoribusq; suis facilius persuadeat prædicator, *facundia* quoq; opus est, non illa, quam Rhetoricæ artis præcepta continent, (prædicatori siquidem Apostolico, inanis sapientia, inanisq; facundia fugienda est) sed solida illa, & viro Euangelico digna, qualem scripturarũ sacrarum esse iudicat, de sacris authoribus loquens lib. 4. de doctr. Christian. cap. 6. D. Augustinus. *Vbi eos*, inquit, *intelligo, non solum nihil eis sapientius, verùm etiam nihil eloquentius mihi videri potest. Et audeo dicere, omnes qui rectè intelligunt, quod illi loquuntur, simul intelligere non eos aliter loqui debuisse: Sicut est enim quædam eloquentia, quæ magis ætatem iuuenilem decet, est quæ senilem: nec iam dicenda est eloquentia, si personæ non congruat eloquentis: Ita est quædam, quæ viros summa authoritate dignissimos, planéque diuinos decet. Hac illi locuti sunt. Nec ipsos decet alia, nec alios ipsa. Ipsis enim congruit. Alios autem quando videtur humilior, tanto altiùs, non ventositate, sed soliditate transcendit, &c.* Quibus verbis, eiusmodi eloquentiam & facundiam viro Apostolico quærendam cupit S. Pater, quæ non ventositatem habeat, sed soliditatem. *Quid enim prodest clauis aurea*, ait idem Augustinus, eiusdem lib. cap. 11. *si apertè quod volumus*

Quænam facundia prædicatori quærenda.

mus non potest? aut quid obest lignea, si hoc potest, &c. Quid, inquam, prodest verbis splendens facundia, si veritatem, si cor hominis Deo aperire nequit? Præstantior erit lignea clauis, hoc est, non adeò accurata, sed ardens dictio, si hoc efficere valet.

3. *Labora sicut bonus miles Christi Iesu.*

Se, licet *ad laborem esse natum, sicut auem ad volandum* (Job. 5. cap.) optimè sciret Timotheus, *& hominis vitam, militiam, sicut eiusdem dies, tanquam mercenarij esse,* (Job cap. 7.) non ignoraret; sæpe tamen & duri laboris, & bonæ militiæ eundem admonet Paulus. Cum porrò, *boni militis* instar, vult Timotheum laborare, tam egregium fortibus factis heroã se exhibeat, admonet, vt cum gregarijs militibus nihil habeat commune, sed ijs omnibus, virtute & cõstantia lucem viriliter præferat. Verum quidem est, quod homo ita natus & damnatus sit ad laborem, nihil vt eximij sine sudore & industria possit comparare, sed potius se beatum existimare, sibiq; benè futurum polliceri debeat, cum *labores manuũ suarum manducauerit;* Psal. 127. vulgaribus tamẽ spiritualem Christiani populi antesignanum non vult esse molestijs & concertationibus contẽtum; sed magna animi contentione, pro Dei honore, pro Euangelij veritate, pro proximi incolumitate, huius etiam vitæ vult adire extremum discrimen. In hoc enim bona ducis Christiani militia & religiosus labor consistit, ne difficultatibus & incommodis se velit subducere, vt desidem duntaxat atq; voluptuariã viuendi rationem consectetur (his enim Psal, 9. im-

Cur ad laborem animetur Timotheum.

In quo sita Christiani ducis militia, & Labor.

precatur Dauid: *Constitue Domine legislatorem super eos, vt sciant gentes quoniam homines sunt*) sed & ardua ne velit eiusdem causa fugere & declinare pericula, desiderat, in cui⁹ terris se causam & negotium agere publicè profitetur. Quasi diceret non esse satis Episcopo & pastori, cum morte cõmuni, cum ærumnis immedicabilibus luctari, dum viuit; nisi etiam multiplici spiritualium armorum præsidio sub Deo duce, contra carnem, mundum, & dæmonem acriter pugnet. *Militia* namque *ipsius arma, carnalia non esse* debet cogitare, *sed potentia Deo ad destructionem munitionum consilia destruentis, & omnem altitudinem extollentem aduersus scientiam Dei.* Nec oneri Ecclesiæ præpositis hoc militiæ genus videri debet, quod ab hominis natura nõ modò alienum non est, sed eiusdẽ vocationi & professioni maximè respondens. Illis namq; in mentẽ venire debet, primos illos Christianę religionis satores, *tanquã oues morti destinatas* mitti solitos ab impijs lupis deuorandos, quemadmodum ipsis eisdem, (ne scandalum paterentur) luculenter prædicens: *Venit*, inquit Dominus, *hora, vt omnis qui interfecit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo*, Joan. 16. Neque Iudæi duntaxat crudeliter mactando & Gentiles olim Euangelij præcones, tanquam legis & religionis euersores, se Deo sacrificium offerre arbitrabantur, sed hodie etiamnum Lutherani, Caluinistæ reliquique Sectarij idipsum sibi persuasum habent. Hic pestilens tam contra Christi discipulos, quàm contra eorum successores Episcopos & martyres zelus, *cum* ex veri Dei, & vnius mediatoris ignorantia veréque Ecclesiæ contemptione

Huius vita militia pastoribus Ecclesiæ laboriosa videri non debet.

Christianis persecutiones à Christo prædictæ.

Ac legitimorum eiusdem pastorum.

ne

ne oritur, ærumnas, tormenta, necemque patientibus insigne consolationis argumentum esse debet, quòd sine culpa aliqua interficiantur; cum præstet sine culpa interfici, quàm cum culpa viuere. Si quod, vt deducit Augustinus, tract. 93. in Joan. pro patria, & parentibus, & amicis gloriosum est mori, quanto gloriosius erit propter Deum, propter virtutem & propter iustitiam, mortem oppetere? Qui sic Euangelij causæ militantes occumbunt, ij demum non modo bonam, sed & gloriosam militiam militant.

Propter Deum mori gloriosum.

Ex quibus conficitur, Ecclesiarum antistites voluptarios stultescere, qui delitiosæ vitæ assueti, *in labore hominum esse nolunt, neque cum hominibus flagellari*, Psalm. 71. cum sancti qui operas suas atque labores Deo locant, illique cum lacrymis & omni humilitate seruiunt, non erubescant assiduos labores & iniurias. Prohibet capite præcedenti Timotheo Apostolus: *Ne velit erubescere testimonium Domini nostri Iesu Christi, neque se vinctum; ob quam causam* (subiungit) *non confundor: Scio enim cui credidi, &c.* quia laboris humani efficacitas & vtilitas pro Christi causa suscepta tanta est, vt cumulatissimam mercedem in cœlo promereatur. Licet enim in alieno solo laboremus & militemus, quia tamen ad Dei gloriam & proximi vtilitatem in hoc mundo incumbimus, rem nostram maximo prouentu agimus; & quo plus laboris impendimus, superimpendimus, obduramus; plus quoq; præmij sumus percepturi: Inde est, quod Lactantius Firmianus, libr. 6. cap. 4.

Voluptuarij Ecclesiæ antistites stultescũt.

Laboribus cumulatissima promissa merces.

Cùm simul, inquit, *proposita sint homini bona & mala, considerare vnumquemque secum debet, quanto satius sit, perpetuis bonis mala praua pensare, quam pro breuibus & caducis bonis mala perpetua sustinere.* Hinc duriter laborãtibus, mundiq; calamitatibus grauiter onustis, ad se vocatis, consolationem, refectioné & quoduis refugij genus pollicetur Dominus; *iugum* interim *suum suaue, & onus suum leue*, molestijs non obstantibus, esse contestans. *Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ: supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur.* Quamobrem, paulò ante citatus Lactantius, eodem lib. 6. cap. 4. *Sicut*, inquit, *in hoc sæculo, cum est propositum cum hoste certamen, prius laborandum est, vt sis postmodum in otio, esuriendum, sitiendum, æstus, frigora perferenda, vigilandum, periclitandum, vt domo & re familiari, & pacis ac victoriæ bonis perfrui possis. Si autem præsens otium malueris, quàm laborem, malum tibi maximum facias necesse est. Vastabuntur agri, diripietur domus, tu ipse interficiere & diripiere. Quæ omnia, ne accidant, præsens commodum differendum est, vt maius longiusque pariatur. Sic in omni hac vita, omittenda est præsens voluptas, ne hostis opprimat: Vigilandum est, stationes agendæ militares, expeditiones obeundæ, fundendus ad vltimum cruor; omnia denique amara patienter ferenda: eo quidem promptius, quod nobis Imperator noster Deus præmia æterna constituit. Certè nullus nobis labor est recusandus, quibus acquiritur, quod nullo modo potest amitti.* Hæc Lactantius. Hinc est, quod apud antiquos dicebatur Deus laboribus omnia vendere, &c.

Omnibus laborandum.

4. Nemo

4. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.*

Huius initij cap. 2. cõtextus, triplicem analogiam videtur continere, qua Timotheum Paulus, ad ferendas Christi causa afflictiones & ærumnas cohortatur; militis, pugilis & agricolæ. Vnde non insciè ex Chrysostomo & Theophylacto obseruat Adamus Sasboüt, tria à Paulo afferri paradigmata, hoc est, obscuras sententias, siue parabolas, quæ iuxta Rhetores, ex dimidio rem aperiunt, & ex dimidio rem coniiciendam relinquunt: Quarum natura cùm sit, vt generatim accipiantur, perspicuum fit, Datiuum *Deo*, hic; *Nemo militans Deo*, redundare. Quod Græcorũ, & multorum Latinorum codicum authoritate confirmatur; vbi relicta hac particula *Deo*, absoluta generalisque à Paulo profertur sententia, ex qua aliquid inferre velit, quod ad rem præsentem pertineat, hoc sensu: Dixi, vt *labores sicut bonus miles Christi*: Porro *bonus miles* non est magnoperè solicitus circa annonam & corporis curam, eiusque voluptates, delicias; sed comedit & bibit, quando & quomodo potest, dormit humi, vestitur magis ferro quàm panno: Igitur Christi militi, rei priuatæ immemori, sui Imperatoris agere negotium duntaxat debenti, nimia circa vitam corporalem cura & solicitudo est abiicienda. Cum enim rerum temporalium possessiones & solicitudines, magnum victoriæ potiundæ in luctâ posito, sint impedimentum, spiritualem luctatorem & insuperabilem pro fide monomachum in certamen descẽsurum instruit Apostolus, vt omnes huius vitæ curas, tanquam maxima ini-

Triplici analogia labores Timotheo commendantur.

Huius loci paraphrasis.

Omnia huius vitæ impedimenta militi Christiano abiicienda.

Syri cum hoste nudi pugnant.

impedimenta velit abiicere. Quasi Episcopum, Syrorum gentem imitari velle videatur, quę, vt author est Origenes, cùm conserendæ sunt cum hoste manus, vestibus conscissis, abiectisque omnibus, nudo pectore sese in medios hostes audacter cõiicit; sicut & aliæ item Barbaræ nationes spoliatæ, tunicisque succinctæ, nudis pectore & humeris, hostes excipiebant: Hoc voluit Apostolus 1. Corinth. 9. cùm ait: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet*, eo quod non nisi nudos in stadium lex certaminis deducat. Hinc illud tritum Gregorij dictum homil. 32. in Matth. 16. & Lucæ 19. *Qui ad fidei agonem venimus, luctamen contra malignos spiritus sumimus. Nihil autem maligni spiritus proprium in hoc mundo possident; Nudi ergo cum nudis luctari debemus: Nam si vestitus quisque cum nudo luctatur, citius ad terram deiicitur, quia habet vnde teneatur. Qui ergo contra diabolum ad certamen properat, vestimenta abiiciat ne succumbat, &c.* Sic ille magnus castitatis athleta Iosephus, in manu voluptatis illum tenere conantis, vestimenta reliquit, nudusque profugit, victoriam triumphumque reportans. Sic & primus homo, dum in stadio consistebat, cum hoste conflicturus, nudus erat: Vbi verò victus est, & è paradiso, tanquam certaminis loco repulsus, indutus est, vt qui nuditatem simul cum certandi virtute reiecisset.

Lex certaminis nudos in stadium deducat.

Sapientis præceptum in certamine seruandum.

In hanc sententiam accommodatur id Salomonis præceptum, Prouerb. 27. *Tolle vestimentum eius, qui spopondit pro extraneo.* Quasi videlicet præciperet ludi, certaminisque magistro Sapiens, vt eius, qui luctaturus cum hoste in arenam descendit, vestimenta, id est, omnia certamini importuna, detrahat.

Vult enim, vt Christi athleta ab hoste prouocatus atque lacessitus, terrenis rebus, vestes abiiciendo, nuntium remittat, diuinæque virtutis oleo perunctus, nudum & corporis integumentis carentem aduersarium, & ipse nudus expectet.

Tametsi vero ad Episcopos & Ecclesiæ pastores hæc documenta duntaxat tradita videri possint; ea tamen non ad hos solum, sed & ad alios omnes fideles spectare putat Chrysostomus; cum omnes, etiam laici, & ipsi reges, Christi se milites esse fateri debeant. Christianorum siquidem omnium vocatio militiæ quoddam genus est, cuius instituta longe difficiliora sunt, quam olim Romanæ militiæ leges suis ipsorum stipendiariis præscriptæ, quorum erat sub *pellibus hyemare*, quemadmodum est apud Vopiscum in Aurelian. Cæsarem libro tertio bell. ciuil. & Liuium 3. Decad. libro tertio, & decad. 4. libro septimo. Oportet enim, inquit Liuius, decad. 1. libro quinto, *militem Romanum in opere & labore, niuibus, pruinisque obrutum sub pellibus durare*. *Pelles* autem pro tentoriis & tabernaculis, tum apud sacros, tum apud profanos authores vsurpantur, cuiusmodi sunt illæ *Salomonis* Cant. 1. quibus in festo Tabernaculorum vtebantur, & *pelles terræ Madian*. Abac. 3. id est, castrensia Madianitarum tabernacula. Christiani etiam milites dum in corpore hoc mortali degunt, sub pellibus & in tabernaculis se degere intelligunt iuxta illud Iob 10. *Pelle & carnibus vestiisti me, &c.* Vnde non valde diuturna ea esse, sed temporaria sibi persuadent, eo quod tabernacula parari ciuibus & indigenis non soleant, quibus domus certæ & fixæ sunt; sed hospitibus, peregrinis, militibus,

Omnes Christiani milites.

Christianis sub pellibus durandum.

bus, pastoribus, quibus nulla est certa & firma statio, sed pro commoditate loci, aut necessitate rei agendæ, perpetuò vagantur, & relicta priori sede alio cõmigrant; sicut apud Ierem. 35. Rechab filiis suis dixit: *Domum non ædificabitis, sed in tabernaculis habitabitis, vt viuatis diebus multis super faciem terræ, in qua vos peregrinamini.* Quasi ad vnum tantum diem aut noctem figi soleat tentorium, iuxta illud Esaiç 24. *Auferetur quasi tabernaculum vnius noctis.* Quare, monent mortales sacræ literæ, dum in corpore sunt, in tabernaculi cuiusdam effigie illos eosdem habitare, quemadmodum apertè docent Petrus 2. epist. 1. & Paulus 2. Corinth. 5. vtrique de corporis sui tabernaculo loquentes; eo quod corporis, sicut & tabernaculi, possessio & inhabitatio sit perbreuis. Nam, *non habemus hic ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus peregrinantes à Domino.* Hebr. 11. *Militant* igitur omnes Christiani *bonam militiam* sub pelle huius corporis; quare illud, vt decet militantis Ecclesiæ bonos milites, frequenter ore atque mente versare & ponderare, & in rem suam conuertere oportet; quod 2. Reg. 11. scriptum est: *Arca Dei Israël & Iuda habitant in papilionibus, & Dominus meus Ioab, & serui Domini mei super faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, & comedam, & bibam?*

Vita humana tabernaculo comparatur.

Per *sæcularia* porro *negotia* hoc loco, neutiquam sunt ea *negotia* intelligenda, quæ Ecclesiastica non sunt, sed victus parandi cura, mercimonia & negotiationes, matrimonij onera, strepitus forenses, priuatæ curæ, proprius quæstus & compendium, &c. Q. d. Miles non est solicitus de victu, nòn cogitat de liberis conquirendis, opibus non occupatur; sed rem

Sæcularia desideria hoc loco, quæ.

rem agit victoriæ, vt *ei, cui se probauit*, id est, Duci & Imperatori exercitus, siue illi qui agit delectum, *placeat*. Hoc enim vnum exigit Apostolus, vt terrenis & caducis rebus præteritis, nullis Diaboli tentationibus succumbant Episcopi & Ecclesiæ pastores, sed orationi rerumque sacrarum meditationi iugiter vacent, Euangelicæ prædicationi instanter incumbant, vt scilicet latissimum Ecclesiæ Christianæ campum, virtutis & probitatis vomere sulcatum, eiusmodi verbi diuini semine conserant, vt magni fructus, prouentusque spiritualis vbertatem in horrea cælestia, suo tempore, possint importare. Ad hoc autem pro dignitate præstandum, strenuum militem agere inprimis necessum est, ita tamen, vt alium militię finem ipse spiritualis, quàm corporalis miles præscribat. Ad hoc præcipuè pugnat miles corporalis, vt cōmunem patriæ hostem victū frangat, fractū comprimat, compressum prosternat. Quod vt feliciter consequatur, cum huius sui consilij impedimēta sibi remouenda prudenter arbitratur, eiusmodi sunt carnis deliciæ, corporis voluptates, pecuniæ studium, & alia id genus, quæ militis animum ab instituto militiæ cursu & potiundæ victoriæ fiducia possent retardare. Militiæ spiritualis cum sit scopus, ea quæ contra Deum sunt supplantata respicere; ideo militi Christiano ab iis temperādum cupit hoc loco Apostolus, quæ vel ipsum ab incæpto distrahant; vel ipsius cogitationes ab iis, quæ Dei sunt, elongant & reuocant. Ea autem sunt sæculares & mūdanæ distractiones, quas fugiendas sæpius admonet Paulus, cum *huic sæculo nequam* ne se *conforment* fideles, cupit, id est, ne vitiis & peccatis, quæ mundus

Temporalis militis officium.

Spiritualis militia scopus, quid.

suggerit, & quibus hæc sæcula sunt obnoxia, obtemperent aut subdantur, cum Christus *semetipsum pro peccatis nostris dederit, vt nos eriperet de præsenti sæculo nequam.* Ephes. 1. Familiare est enim scripturæ, *mundi* siue *seculi* nominibus, malos homines, quibus mundus abundat, appellare Ioan. cap. 7. *Non potest mundus non odisse vos.* Sic, *de mundo*, id est, *sæculo*, Ioan. 17. dicuntur *Apostoli non fuisse*, quia mundi malitiam, incredulitatem & cupiditatem non amplectebantur. Aliud est enim, *esse in mundo*, & aliud, *esse de mundo*, sicut apud Paulum, *viuere in carne*, & *viuere secundum carnem.*

Mundi siue sæculi nomine quid scriptura intelligant.

Fugam igitur sæculi necessariam esse illi dicit Paulus, qui bene & gnauiter Deo seruire affectat, Esaiam fortè imitatus, qui mundi malitiam expendens: *Recedite*, inquit cap. 25. *recedite, exite inde, pollutum nolite tangere; exite de medio eius.* Pugilum enim in certamen iturorum est, trita passim & recepta consuetudo, vt vestibus ante omnia spoliati, tentent an expeditè possint & incedere, & in lucta moueri, sicut Dauid adorsurus Goliat. 1. Reg. 17. Saulis arma grauiora à se abiecit: *Non possum*, inquit, *sic incedere*: Eodem modo, sæculi curas carnisque illecebras abiiciat oportet, qui ritè atque perfectè Dei negotium agere, proximi salutem tractare, & ad Ecclesiæ clauum non sine fructu, sedere cogitat. Sibi enim esse dictum, eiusmodi cogitare debet, Matth. 19 *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.*

Sæculi fuga Christiano militi necessaria.

Porro, curis secularibus omnino renuntiare iis fas non est, qui rebus Ecclesiasticis sunt deputati; cum

Quomodo secularibus curis renunciandũ.

cum multa ad communis vitę rationes, etiam honestas occurrant sæpe, quæ à sæculi curis, cogitationibus & consiliis dependent. Sed aliud est, ait sanctus Thomas, in hunc locum, *sæcularia* exercere, aliud *sæcularibus implicari*. Ille enim iis *implicatur*, cuius cura & solicitudo iungitur circa ipsa: Et tunc propriè hæc ipsa interdicuntur militibus Christi, in quibus ostenditur non esse necesse implicari animum. Item non dicit, simpliciter implicatur, sed dicit *implicat se*, quia quandoque implicatur, & non se implicat. Implicat enim se, quando sine pietate & necessitate assumit, sed quando necessitas officij pietatis, & authoritatis exercetur, tunc *non implicat se*, sed implicatur huiusmodi necessitate. Roman. 26. *Assistatis ei, in quocumque negotio vestri indiguerit.*

Ex quibus fit perspicuum, rectè ab Ecclesia nuptias iis interdici, qui sacris ministeriis militant, eo quod matrimonij lex, multis sæcularibus rebus sit implicata? Ideo antè ordinationem ab Episcopo monentur Subdiaconi, fore, vt si ordinem sacrum suscipiant, non possint amplius ad vota sæcularia, contrahendum matrimonium, forenses strepitus, & ciuilia iudicia reuerti. Hinc Apostolus, capite secundo, Titum Episcopum à coniugio (in quo desideria sæcularia sunt) videtur velle deterrere, cum ait, *apparuisse benignitatem Saluatoris nostri, vt abnegantes*, inquit, *impietatem & sæcularia desideria, sobriè, & iustè, &c.* Diuus item Petrus prima epistola, capite quinto, monens Ecclesiarum Pastores: *Sobrij*, inquit, *estote, & vigilate, &c.* Quibus verbis, alludere

Nuptiæ Clericis rectè ab Ecclesia prohibitæ.

Probatur ex Apostolo.

ad legem continentiæ videtur, qua tenerentur Ecclesiæ pastores: Ideo enim monet vt *sobrij sint*, quo se facilius possint continere. Quemadmodum D. Paulus 1. Corinth. 11. ad eandem etiam legem allusisse videtur, cum præcepit mulieribus, *velare caput in Ecclesia, propter angelos*, inquit, id est, propter sacros ministros, ne alioqui tententur in Ecclesia. Eos enim, aiunt quidam, ab Apostolo ibi nominatos esse *angelos*, iuxta illud Malach. 2. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, &c. quia angelus Domini exercitium est.* Accedit Siricius Pontifex in epistola ad Hymerium Episcopum Taraconensem, sanciens legem de cælibatu, inter cætera in eius confirmationem adducit, quod Christus, inquit, voluit in Ecclesia sua castitatem radicare. Ex quo videtur legem de eiusmodi castitate sacerdotum esse diuinam, quam tamen communior & verior Theologorum sententia tantummodo iuris Ecclesiastici, non diuini esse tenet, vt videre est apud Greg. de Valent. tomo quarto, disputat. 9. quæst. 5. p. 5.

Syricij Pont. sententia.

Lex cælibatus, Ecclesiastici, non diuini iuris est.

5. *Vt ei placeat cui se probauit.*

Sicut qui duci, aut Imperatori nomen dedit, datæ fidei iugiter meminisse debet, vt se reipsa promptum, & paratum ad omnia ipsius iussa, & imperata facienda exhibens, eiusdem ducis gratiam captet, & aucupetur; ita Ecclesiasticus athleta, qui Deo, ad militandum singulariter sese obstrinxit, missa facere debet omnia, quorum exercitio, militaris industriæ executione neglecta, Dei offensam, tanquam perfidus,

Omnibus mundanis Christiano militi renunciandum.

dus, posset incurrere. Ideò mundo eiusque concupiscentijs ei renuntiandum est, qui Christum militando, verè à se amari vult declarare. *Duo enim sunt amores*, ait Augustinus, *Dei & mundi: sed si amor mundi inhabitet, non est, quo amor Dei intret.* Inter se namque pugnant charitas & cupiditas; quia quantum crescit cupiditas, tantum charitas deficit, & è conuerso. Cuius rationem reddens cap. 4. D. Iacobus: *Amicitia,* inquit, *huius mundi inimica est Deo.* Ex quo fit euidens, vno corde atque animo duos repugnantes amores minimè capi posse, quia sicut omnium virtutum origo est charitas, ita ex mundi dilectione perfecta omnium vitiorum fons, est cupiditas. Quòd verò mundi dilectio, *patris charitatem* excludat, 1. Ioan. 2. inde patet, quod *in mundo aliud non sit, nisi concupiscentia carnis concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Rectè proinde conclusit Math. cap. 6. Dominus, *neminem duobus dominis*, contraria scilicet imperantibus, & minimè subordinatis, *posse seruire*, quod vno dilecto, necessarium sit alterum negligi, quemadmodum seruitutum Dei & Mammonæ cómonstrat exemplo. Vbi verbum *Seruiendi*, verbo *implicari*, quo paulò ante vsus est Apostolus, respondet: Sicut enim moderatum negotiorum sæcularium exercitium, Dei seruituti non repugnat; ita diuitiarum legitima possessio & dispensatio, à Dei amore non est aliena. Res sæculares exercebat labore manuum vitam sustentando Apostolus, & tamen amore summo Deum complectebatur. *Iob*, ait Chrysostomus, homil. 22. in Matth. *diues erat, non tamen pecuniæ seruiebat, sed habebat diuitias, eisq; vt congruit, imperabat, nec erat famulus earum, sed Dominus.*

Dei & mundi amores contrarij.

Mundanus amor, diuinum capere non potest.

Diuitiarum legitima possessio diuino amori non repugnat.

Sicut enim alieni patrimonij dispensator, ita illa omnia possidebat, non modo aliena non rapiens, sed propria quoque indigentibus largiens.

Nimia rerum terrenarum solicitudo illicita.

Rerum itaque terrenarum & mobilium implicatio, sicut & nimia diuitiarum solicitudo, sunt, per quæ Deo placere homines non possunt, quemadmodum capite 8. eius quæ est ad Roman. clare exprimit Apostolus: *Qui autem in carne sunt*, id est, carnaliter viuunt, mundoq; militant, *Deo placere non possunt*. Et Gal. cap. 1. *Si hominibus* (impijs & infidelibus videlicet) *placerem, Christi seruus non essem*. Et 1. Cor. 7. cœlibes & continentes in eam curam dicit incumbere, vt *ante omnia Domino placeant*; iunctos verò connubio *quomodo sibi inuicem placeant*.

6. *Nam & qui certat in agone, non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.*

Laboribus corona promeretur.

Quoniam dura & acerba à Timotheo exigebat Apostolus, eorum insignem fructum & vtilitatem hoc loco eidem ob oculos ponit: Quasi diceret, certamine illi opus esse, qui coronari desiderat. *Beatum* enim illum *virum* prædicat capite 1. D. Jacobus, *qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*. Vnde Thobias capite 3. *Hoc pro certo habet omnis, qui colit te*, ait, *quia vita eius si in probatione fuerit, coronabitur. Nisi enim praecesserit pugna* (ait Cyprianus libr. de mortal.) *non potest esse victoria. Cum fuerit in pugna congressione victoria, tunc dabitur vincentibus corona. Gubernator in tempestate dignoscitur, in acie miles probatur, delicata iactatio est, cùm periculum non est. Con-*

flictatio

flictatio in aduersis, probatio est veritatis. Arbor, quæ alta radice fundata est, ventis incumbentibus non mouetur; & nauis quæ forti compage solidata est, pulsatur fluctibus nec perforatur; & quando area fruges terit, ventos grana fortia & robusta contemnunt; inanes paleæ flatu portante rapiuntur, &c. Eodem modo Ambrosius, in capite quarto Luc. *Corona*, inquit, *proposita; subeunda certamina sunt. Non potest nisi, vicerit, coronari, non potest vincere, nisi ante certauerit. Ipsius quoque coronæ maior est fructus, vbi maior est labor. Arcta enim est via, quæ ducit ad vitam; lata verò quæ ducit ad mortem. Et ideò tentationem nunquam timere debemus. Est enim causa victoriæ, materia triumphorum, &c.* Idem libro de Elia & ieiunio, capite 2. *Athletæ*, inquit, *sumus, legitimè certandum est. Multa certamina sunt, & qui hodie victus est, cras se reparet. Ante ad brauium contenditur, postea ad coronam. Progressus ad scamna, id est, caueam, necesse est vt excipias puluerem, subeas æstiui solis flagrantiam. Grauis æstus, sed dulcis victoria; molesta caligo pulueris, sed speciosa tolerantia. Ibi colligitur paluis, vbi palma proponitur. Nemo iterum nitidus coronatur; puluerulentum decet victoria, &c.*

Ad coronam certamine peruenitur.

Notandum autem non *certanti* duntaxat; sed *legitimè certanti*, propositam esse *coronam*, quia militi Christiano ad cælestem gloriæ coronã consequendam, nequamque sufficit, *certare*, sed opus est *legitimè certare*, hoc est, secundum leges agonis à Deo latas. De huiusmodi enim milite *legitimè certante* accipiendum est illud, Prouerb. 21. *Vir obediens loquetur victorias*, quia nimirum, (vt interpretatur eo loci Hieronymus) *dum aliquis per obrdientiam desideria sua*

Legitimè certanti duntaxat corona proposita.

sua vincere satagit, per iustitiam iudicis postea victoriæ palmam percipit. Nec tamen satis est Christiano militi semel, vel etiam sæpius hostes *legitimè certando* deuicisse, nisi semper vincat. Cum enim bellum ipsum continuum sit iuxta illud Iob cap. 7. *Militia est vita hominis super terram;* nunquam abcedendum est ab arena, sed in armis continuò stantum, atque adeò semper vincendum. Id quod videtur fuisse expressum in titulo Psalmi 4. & aliorum, qui inscribuntur *in finem* seu in perpetuum. Significatur enim hoc Psalmorum titulo, victoriarum, de quibus in ijs Psalmis agitur, præconia non conuenire nisi in eum qui perpetuò & vsq; in finem vicerit. In cuius rei figuram, Josue in expugnatione vrbis Haï, *non contraxit manum* quam in sublime porrexerat tenens clypeum in præcepto Domini; *donec interficerentur omnes habitatores Hai,* vt refertur Josue cap. 8. quia videlicet nunquam deponendus est clypeus, donec omnes animæ nostræ hostes omninò profligentur; quod non nisi in extremo vitæ halitu potest contingere. Certaminis autem & victoriæ mentio quidem ab Apostolo fit, nulla tamen hostium deuincendorum, vt intelligant Christi milites, omnia omninò deuincenda, nec aliquem debere esse hostem, cum quo habeant inducias, sed omnibus bellum capitale indicendum. Quare, *certamen legitimum* vult esse Apostolus vt sicut non omnes, sed qui legitimè certant in pugnis sæcularibus coronam accipiunt; sic qui pro immortali corona in spirituali stadio desudarunt, & contendunt, omnes athletarum leges ad vnguem obseruare debent cum &c. cum non satis sit quomodocunque

Christiano militi semper vincendum vsque in finem.

eumq; certare, sed vincere oporteat 1. Cor. 9. *Illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.*

Eiusmodi certamen inire volebat Angelum Smyrnæ Dominus, Apocal. 2. cum ei præcipiebat, vt *esset fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi*, inquit, *coronam vitæ.* Vbi sicut alibi sæpius, æterna fœlicitas non solum *corona*, sed *vitæ corona* nuncupatur. Et quidem, quod attinet ad *coronæ* appellationem Psalm. 102. dicitur: *Qui coronat te in misericordia & miserationibus,* Infra capit. 4. *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* Et 1. Petr. 5. *Cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronã.* Huius autẽ appellationis tres rationes affert Viegas super prædictũ Apocalypsis locum, quarum prima, est D. August. lib. de vnico agone Christiano. Quia nimirum datur certantibus, iuxta hunc Pauli locum. Secunda desumitur à figura, quæ rotunda est, atq; adeò perfectissima & capacissima fineq; omninò carens: Sic enim æterna fœlicitas perfectissima est: gaudia omnia complectitur: finem nunquam est habitura. Quam ob causam, eam fuisse expressam per arcam fœderis, rectè possumus intelligere: Ea namq; arca fœderis habebat *coronam auream per circuitum,* vt refertur Exod. 25. Sic gloria arca est, bonorum omnium thesauros ac diuitias continens: coronamq; habet p circuitũ, quia suo ambitu omnẽ durationem complectitur: Quo sensu D. Hier. illud Psal. 64. interpretatur: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* Tertia ratio est, quia est pretiosissima instar coronæ omnium gemmarum genere exornatæ: quemadmodum patet ex Psal. 20. *Potuisti in capite eius coronam*

Æterna fœlicitas corona vitæ nuncupatur.

Huius appellationis rationes.

1.

2.

3. *Pretiosissimis constat margaritis.*

nam de lapide pretioso. Quarum gemmarum vna est sanitas sine ægritudine. Esai. 25. *Præcipitabit Dominus mortem in sempiternum* 1. Corinth. 15. *Absorpta est mors in victoria.* Altera est plenitudo sine defectu. Esai. 25. *Non esurient neque sitient amplius.* 3. refectio sine fastidio Eccles. 24. *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient.* 4. est scientia sine ignorantia, 1. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Item pax sine perturbatione: Securitas sine timore: Omnium desideriorum adimpletio.

Corona cælestis varia gemma. 1. 2. 3.

Beatitudo, cur corona vitæ dicatur. 1. 2.

Porrò *corona vitæ* dicitur æterna fœlicitas, vel quia iustū est, vt à Deo sancti coronētur æternę vitæ præmio, qui temporalem pro eius nomine prodegerāt. Vel alludendo ad flores, ex quibus gloriæ corona cōtexitur, vt sempiternę glorię duratio significetur; Quo sensu, appellatur *corona vitæ*, quia semper viuent, hoc est, nunquam languescent aut demorientur flores, ex quibus conficitur. Quo videtur allusisse Apostolorum princeps 1. suæ epist. cap. 5. cum eam appellauit *immarcessibilem*: Quam eandem ob causam, status beatorum verno tempori comparatur; quo tempore; campus omni florum genere vestitur, & in gemmas erumpunt arbores, iuxta illud Cant 2. *Iam hyems transijt, imber abiit & recessit, flores apparuerunt, &c.*

Beatorum status verno tempori comparatur.

Et hæc quidem corona beatis omnibus communis est, licet pro diuersa perfectione beatitudinis animæ, futura quoque maior vel minor sit corona. Sicut enim *in domo sui patris*, ait Dominus, *diuersas esse mansiones*; Joan. 14. ita diuer-

Corona beatitudinis, licet omnibus communis, non tamen eadem.

sa sunt etiam diademata, magis, & minus pretiosæ coronæ; & quidem de charitate 1. Corinth. cap. 15. dixit Apostolus. *Stella enim à stella differt in charitate; sic & resurrectio mortuorum; seminatur in corruptione, surget in incorruptione, &c.*

Est autem alia quædam corona particularis; quam Theologi *aureolam*, vel *laureolum coronam*; vocant, qua eorum merita quædam remunerantur, in quibus singulariter victoriæ gloriam de superatis animi hostibus relucet, ex qua singulare quoddam gaudium promanat ob merita illa, quæ singularem laudem cuiusdam victoriæ nacta sunt de singularibus hostibus. Hæc autem *aureola* in animæ quodam gaudio, & splendoris decore peculiariter in corpus redundante consistit, quod decus index & nota est eius gaudij. Harum vna est virginitatis, quoniam per illam integrè seruatam, perfectè superatur caro. Altera est martyrij, qua hæroice mundus, huius amore vitæ contempto & postposito, constanter vincitur. Tertia est eruditionis aliorum ad salutem, qua peculiariter hoc ipso superatur Diabolus; quod, dum quis docet alios ea, quæ salutaria sunt, eripit eos, quantum in ipso est, à Diaboli potestate, à quo solent homines captiui teneri per errorem & mentis cœcitatem. Quæ quidem aureola non ob solam Doctoris dignitatem, siue authoritatem danda censeri debet, sed propter officium ipsum; quo quis in Ecclesia actu alios docet ea, quæ sunt salutaria. *Corona* (enim, inquit S. Thom. 3. part. quæst. 96. artic. 7.) *non debetur habitui, sed pugnæ actuali*; quod quidem colligitur ex hoc Pauli loco, dicentis

Particulares coronæ seu aureola.

In quo aureola consistant.

Triplex aureola.

1. 2. 3.

Corona non habitui, sed pugnæ actuali debetur.

centis eum demum coronandum, qui legitimè certauerit. Vnde illud Daniel. capite 12. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti in perpetuas æternitates.* Sicut & illud Matth. 5. *Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum, &c.* Quæ intelligi debent de his, qui cum aliorum vtilitate fuerint docti, per actuale videlicet ministerium, & officium docendi in Ecclesia, sicut ex seqq. Danielis & Pauli verbis colligitur.

7. *Laborantem agricolam, oportet primum de fructibus accipere.*

Posteaquam Doctoris & prædicatoris munus ideò *militiæ* comparauit, quod ei contra vitiorum illecebras continua sit lucta, hic ob virtutis & bonorũ operum fructus (quos promouere debet Ecclesiæ pastor) eundẽ *agricolæ* similẽ facit, hoc sensu: Oportet agricolam accipere fructus, sed si prius laborauerit. Non enim otiãtes agricolæ de fructibus accipiũt, sed laborantes, sed sudantes, sed multas cœli iniurias patientes. Nam, *qui non laborat, non manducat*, 1. Thess. 4. Aduerbiũ hoc *primum*, cum participio *laborantem* coniungi debet; q. Participium, si Græcæ vocis energiã spectes, non quemlibet, sed arduũ, difficilem, molestum, & durum laborem significat. Ideò enim Episcopi Ecclesiæq; pastores, *agricolis* comparantur, quoniam sicut agricolæ est, magno cum sudore duram aratro terram proscindere, vt illa fructum proferat: ita & cœlestis agricolæ, prædicatoris videlicet, qui in hoc mundo sementem facit, est dura corda verbi diuini aratro perrumpere, vt mollescant, fructusque Deo vberes pariant.

Huius loci sensus.

Cur pastores Ecclesiæ agricolis comparantur.

Egre-

Egregium autem habet prædicator à Deo sibi relictum vomerem, quo vel adamantinam peccatoris duritiem proscindere potest, Christi videlicet crucem, Christique ex cruce pendentis stupendum miraculum siue exemplum: Quo vomere se vsum fatetur Paulus, 1. Corinth. 2. cum ait: *Prædicamus Christum & hunc crucifixum.* Ad hanc vero cum fructu perficiendam arationem, magno ardoris & diligentiæ zelo opus est prædicatori, ne illud audiat, quod Prouerb. 20. scribitur: *Propter frigus piger arare noluit.* Verum, sicut non sufficit agricolæ terram vomere proscidisse, sed illius quoque est semen spargere, & pro fructu orare; Dei autem incrementum, fructumque præbere; Ita prædicatoris est, Dei verbum populo tradere, & pro illo preces fundere, Dei vero ad verbum, fructum producere; iuxta Augustinum, lib. 4. de doctr. Christ. cap. 16. cum ait, *Adiumenta doctrinæ tunc prosunt animæ adhibita per hominem, cum Deus operatur, vt prosint, &c.* Et in Psal. 126. *Nos*, inquit idem, *loquimur foris, Deus ædificat intus; laboramus & nos tanquam operarij, sed nisi Dominus ædificauerit domum, id est, Ecclesiam, in vanum laborauerunt ædificantes eam, &c.* Vnde 1. Corinth. 3. *Neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid*, ait Paulus, *sed qui incrementum dat Deus. Ego plantaui*, subiungit idem, *Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit, &c.* Plantat & seminat, rigatq; prædicator; sed *incrementum dat Deus.* Psal 84. *Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Tũc terra nostra fructum dat, cum *Deus dat benignitatem* & auxilium; absque illo sterilis est. Eccles. 7. *Nemo potest corrigere, quem Deus despexerit, &c.* Hinc Gregor. lib. 11. Moral. cap. 5. *Plerumq; fit*, inquit, *vt cum audien-*

Crux Christi, egregium prædicatoris vomer.

2.

Prædicatoris officium.

Deus incrementum dat.

tis cor exigentibus culpis, Dei gratia non repletur, incassum exterius à prædicatore moneatur: *Quia mutum est os omne quod loquitur, si ille interius in corde non clamet, qui aspirat verba, quæ audiuntur, &c.* Psal. 125. dicitur: *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent.* Seminet igitur noster agricola, non in vento gloriæ vanæ, qui prædicatorum rapit semina: sed in lacrymis, pro iis qui audiunt profusis. Nec dubium est, quin laboris sui iustam mercedem dignumque operis sui stipendium, & in hac & in futura vita reportaturi sint id genus operarij. In hac quidem quoad mentem, spirituale; in corpore verò, temporale. Operis spiritualis fructus, quem recipit, dum hac lucis vsura fruitur, operarius, de actionibus humanis fidei, spei & charitati consentaneis, gaudium est, quorum Eccles. capite vigesimo quarto, memor.; *Flores,* inquit, *mei, fructus honoris & honestatis.* Et Apostolus ad Galatas capite sexto. *Fructus Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, pietas, bona opera, &c.* Cuiusmodi fructus, doctorum & pastorum labores subsequi solent, vt ipsis delectentur. Alij autem ad vitæ temporalis sustentationem fructus, aliaque stipendia spectant; quæ *pro præmio principali,* ait D. Thomas, *non recipiuntur, sed pro quadam compensatione,* de qua ad Galatas capite sexto, sermo est Apostolo, cum ait; *Communicet autem is qui catechizatur verbo, vel qui se catechizat, in omnibus bonis.* Et Dominus Matth. 10. *Dignus est operarius cibo suo.*

Prædicatorum temporale & spirituale stipendium.

Temporalis sustentatio.

Ex quibus conficitur, diuini verbi prædicatores, & qui diuino ministerio sunt mancipati, ex diuina sententia, ab obligatione laboris corporalis esse libe-

Prædicatores à corporalibus laboribus liberi.

liberos. Vnde capite decimo quarto, eius quæ est ad Romanos ait; *Nam, si spiritualium eorum facti sunt participes gentiles, debent & in carnalibus ministrare eis. Quis enim militat*, ait 1. Corinth. 9. *suis stipendiis vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Hæc Paulus, qui ibidem subiicit: *Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt? Et qui altari deseruiunt, cum altari participant. Ita & Dominus ordinauit his qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere.* Vbi vno orationis contextu, Paulus asserit, non solùm prædicatores, sed omnes altari deseruientes, habere hanc potestatem, vt *beati* esse possint, etiamsi non *manducauerint de labore manuum suarum*. Ita enim sentit Augustinus, lib. de oper. monach, capite vigesimo primo, de Massalianis monachis loquens: *Isti autem fratres nostri*, ait, *temerè sibi arrogant, quantum existimo, quod eiusmodi habeant potestatem. Si enim Euangelistæ sunt, fateor habent: si ministri altaris, dispensatores sacramentorum, bene sibi istam non arrogant, sed planè vendicant potestatem.* Hæc Augustinus.

Nec dictis obstat Paulus, cuius prædicatores debent esse imitatores, qui *manibus suis* sibi cibum quæsiuit. Nam hoc Paulus, non ex necessitate aut obligatione fecit, sed ex perfectione & supererogatione. Nam, etiamsi non laborasset manibus suis, sed voluisset ex Euangelio viuere, non peccasset, cum constet Petrũ & alios Apostolos absq; labore manuum, de solo Euangelio victum sibi parasse. Hoc autem ipsemet Apostolus testatur, & 1. Corinth. 9. verbis supra allatis, & 2. Thessal. 3. *Ipsi enim scitis, quidem oporteat*

Obiectionis solutio.

Cur Paulus manibus sibi victum quæsierit.

teat imitari nos, quoniam nõ inquieti fuimus inter vos, &c. Citat epistolam 1. ad Corinth. cap. 9. *Quæ*, inquit, *est merces mea, &c.* Hoc autem; id est, absq; sumptu vllo Euangelium annuntiare, tanti fecit Apostolus, vt *gloriam suam* appellauerit: *Bonũ* (ait) *est mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet. Gloriationẽ suam*, ait Theodoretus, *appellat Apostolus, gratis prædicare & positos terminos transilire, &c.* Quare ne Timotheo hæc scrupulum afferrent, subiungit.

8. *Intellige quæ dico.*

Attentio & intelligentia, prædicatori necessaria.

Declarat Apostolus, attentione & intelligentia ei opus esse, qui Dei verbo eruditur, ne similis sit auditor Iudæis, de quibus dicitur; *Videntes non vident, & audientes non audiunt neque intelligunt*. Hinc, quemadmodum de fructu audiendi verbi Dei sub parabola seminis, deque huius fructus impedimentis, cum Christus dixisset, exclamatione præter morem & consuetudinem suam parabolam conclusit. Lucæ 8. Eodem modo singularis Christi imitator Paulus, cũ Timotheo proposuisset quid miles agat, quid toleret athleta, quos subeat labores agricola; ab eo petit, vt quò hæc spectent, diligenter pependat; nempe Episcopo non esse otiandum, sed laborandum, sed sudandum, sed pericula obeunda: præmium non defuturum ei, si suo prius officio ritè fuerit functus. *Intellige*, ait, *quæ dico*, hoc est, parabolas à me allatas memori mente reuolue, considera quid velint, rumina diligenter quò tendant, expende, pondera quo vocent; te concernũnt, licet in alio militiæ, stadij & agriculturæ genere; quia *auris bona*, ait Ecclesiastes, *audiet, cum concupiscentia sapientiam*. Recte porro ad intelli-

Animus lætũ paraphrasis.

telligentiam prouocat Timotheum Apostolus, quia sicut verè ac propriè Propheta dici, & esse non potest, qui visiones videt, quas non intelligit; ita pastoris Ecclesiastici officio ritè fungi non potest, qui figuras, parabolas, similitudines discutere, reiq; propositæ applicare non potest. Hinc Gregor. illa verba Iob. cap. 13: *Omnia hæc vidit oculus meus, & audiuit auris mea, & intellexi singula;* explanans, hunc in modum scribit lib. 11. moral. cap. 12. *Non satis est,* inquit, *vidisse & audisse; non enim habent vtilitatem dicta, si intellectu careant, proinde subditur: & intellexi singula. Cùm enim aliquid ostenditur vel dicitur, si intellectus non tribuitur, prophetia minimè est. Vidit namque Pharao per somnium, quæ erant AEgypto ventura: sed quia nequiuit intelligere quod vidit, Propheta non fuit. Sic aspexit Baltasar rex articulum manus scribentis in pariete, sed Propheta non fuit; quia intellectum rei, quam viderat, non accepit. Vt igitur B. Iob prophetiæ spiritum se habere testetur, non solum vidisse se & audisse, sed etiam intellexisse omnia asserit.*

Verum Propheta non est qui visiones non intelligit.

Idem, sed enucleatiùs, tradit August. lib. 12. de Genes. ad literam, cap. 9. *Quibus,* inquit, *signa per aliquas rerum corporalium similitudines demonstrabantur in spiritu, nisi accessisset mentis officium, vt etiam intelligeretur, nondum erant Prophetæ, magisque Propheta erat, qui interpretabatur, quod alius vidisset, quàm ipse qui vidisset. Vnde apparet magis ad mẽtem pertinere prophetiam, quam ad hunc spiritum, qui est vis animæ quædam, mente inferior, vbi corporalium rerum similitudines exprimuntur. Itaq; magis Ioseph Propheta fuit qui intellexit, quid significaret visum Pharaonis, quam Pharao, qui illud in somno habuit. Huius enim spiritus informatus est vt videret, illius mens illuminata est, vt intelligeret ac per hoc in illo erat*

S. Augustinus.

b pro-

prophetia, & in hoc lingua, & in hoc rerum imaginatio, in illo imaginationum interpretatio. Minus ergo Propheta est, qui rerum, quæ significantur sola ipsa lingua in spiritu, per rerum corporalium imagines videt, & magis Propheta est, qui solo earum rerum intellectu præditus est: sed & maximè Propheta est, qui vtroque præcellit, vt & videat in spiritu corporalium rerum significatiuas similitudines, & eas viuacitate mentis intelligat, &c. Hactenus Augustinus. De his eodem modo sentiendum est, qui multa Patrum, sapientum & doctorum virorum dicta, sententias, sapientiam voluunt reuoluuntque: si ad rhombum, hoc est, ad scripturæ mentem, Euangelij sensum, fidei illustrationem non accommodentur, intelligentia & consequenter omni fructu atque vtilitate carent. Ideo subdit Apostolus.

9. *Dabit tibi Dominus in omnibus, intellectum.*

Intelligentia à Deo petenda. Subaudi; si à Deo illum eundem petieris. *Si quis* enim *indiget sapientia*, ait Iacob cap. 1. *postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Hanc à Deo petens Regius vates: *Manus*, inquit, *tuæ Domine fecerunt me, & plasmauerunt me: da mihi intellectum, vt discam mandata tua.* Q.d. Cum ego opus tuum sim & factura tua, instrue etiam me, & doce intelligere, atque perficere præcepta tua, quemadmodum par est facturam factoris obedire præcepto. Nam *declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectū dat paruulis.* Cum enim in cordibus simplicium, spiritus tui vnctione & interno tuo magisterioi declaras & manifestas tuos sermones, tunc illuminantur

Locus Psalm. 118. elucidatur.

ipsi

ipsi & accipiunt intelligentiam; sicut tuorũ mandatorum declaratio ea faciat intelligere, quæ superbis & in sua sapientia gloriantibus, clausa manent & abscondita. Hinc est, quod Matth 11. Dominus patri gratias agat, quòd *hæc* (salutis scilicet mysteria) *abscõderit à sapientibus & prudentibus, & reuelauerit ea paruulis; quia ita illi complacuit.* Inde est quod citati Psal. 118. *Oculos suos reuelari* à Deo petat, *vt mirabilia de lege ipsius*, possit *considerare.* Qui namq; illuminatos cordis oculos habent, obseruantibus diuinam legem proposita præmia contemplantur; eandem præuaricantes, acerba supplicia manere intelligunt, &c.

Huius donum intellectus, quod Timotheo precatur Apostolus, fidei effectus est, cuius luce hominis intelligendi vis, sic à Spiritu sancto nobilis redditur ad fidei veritates percipiendas, vt eiusdem fidei cognitione adductus, ipsi Deo prorsus inhæreat, nec ab illo per peccatum, se dimoueri patiatur. Hinc S. Gregorius lib. 1. moral. cap. 32. de hoc dono loquens: *Intellectus*, inquit, *in die suo conuiuium parat, quia in eo quod audit penetrat, reficiendo cor tenebras eius illustrat: Mentem namque in Deo & illustrat & figit, atq; adeo ab iis purificat, quæ à Deo separant; & ad Dei clariorem cognitionem disponens, certiorem intellectum reddit*, quemadmodum lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 9. videtur S. Augustinus obseruasse. *Intellectus*, ait, *congruit mundis corde, tanquam purgato oculo, quo cerni possit, quod corporeus oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit.* Cum ergo fides totius humanæ salutis principium & fundamentum sit, omnia ferè reliqua quæ ad humanam salutem eiusque progressum pertinent, fidei effecta per quandam ex re con-

Donum intellectus, fidei est effectus.

Omnia ferè eius fidei ascribuntur.

sequentiam censeri possunt. Inde est, quod SS. Patres multa, imo omnia ferè fidei ascribant, tanquam radici & causæ, vt S. Cyrillus Hierosolymit. catech. 5. vbi inter cętera de fide dicit: *Oculus omnium illuminans conscientiam est fides, & intelligentiam efficiens: Scutum incorporeum aduersus hostem inuisibilem, quemadmodum Apostolus ait, in omnibus assumentes scutum fidei, in quo omnia tela inimici ignea extinguatis: Obsignat iustitiam & adoptionem, &c.* Hanc, adiungit, *fidem si custodierimus, irreprehensibiles erimus, & omni virtutum genere ornabimur, &c.* Et Augustinus, serm. 10. de verbis Apostoli: *Nulla,* inquit, *sunt maiores diuitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla huius mundi substantia, quam est Catholica fides; quæ peccatores homines soluat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat. Fides iustificat, pœnitentes reparat, iustos augmentat, martyres coronat, virgines, viduas ac coniuges casto pudore conseruat, Clericos ordinat, sacerdotes consecrat, regnis cælestibus præparat; in æterna hæreditate cum angelis sanctis communicat.* Et sanctus Ambrosius, serm. 8. in Psalm. 118. *Vbi,* inquit, *fides est, principium & finem habemus:* (id est omnia) *vbi perfidia neque initium neque finis est. Ecclesia enim principium est primogenitus ex mortuis. Habet & finem, quia ipse est primus & nouissimus. Ipse est enim finis legis ad iustitiam omni credenti.*

Fides, Virtutum omnium fundamentum.

10. *Memor esto Dominum Iesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid.*

D. Thomas, resurrectionis Christi memoriam Timotheo commendari putat hoc loco, vt ipsum ad martyrium constanter subeundum, si fortè instet, Chri-

Cur hoc loco Christi resurrectionis fiat mentio.

Christum imitando, animet, & prouocet. Q. d. Quia null⁹ coronatur, nisi qui in agone positus certauerit, tibiq́ue, ô Timothee, vt bonus miles laborandum esse scias; vt id maiori ac feruentiori animo fiat, tibi semper fixum maneat, *Dominum Iesum* ex patre cœlesti ab æterno, ex regio Dauidis semine in tempore prognatũ, non prius immortalitatis ac resurrectionis gloriam consecutũ, quam cruentã crucis pugnam certauerit. Resurrexit enim, sed à mortuis; priusq́ue mori debuit, quàm resurrexerit.

Licet autem plurima sint in Christo considerãda, *resurrectionis* tamen singularem mentionem facit, tum quia in eo articulo tota ferè fides concluditur; tum quia ex Christi resurrectione, & quæ ad doctrinam spectant, & quæ mores concernunt, discere possumus. Ibi enim mors in redemptionem & salutem, ibi eius diuinitas, ibi eius potestas, ibi Ecclesiæ ædificatio, cæteraq́; creditu necessaria comprӕhenduntur, eoq́; omnia reuocantur, quæ Christianæ religionis statum concernunt. Vnde Rom. 10. *Si confitearis*, inquit Apostolus, *in ore tuo Dominum Iesum Christum, & in corde tuo credideris, quod illum Deus suscitauerit à motruis, saluus eris*. Q. d. si fueris fassus Iesum esse eum, qui sperabatur & promissus erat, & eum tanquam Dominum recipere, & religionem eius profiteri, firmiterq; à mortuis propria virtute resurrexisse; hac viua fide, & confessione cordis & oris vt oportet, salutem consequêre. Nec tantum carnis nostrę resurrectionem ex Christi resurrectione colligimus, vt quia eadem est natura radicis & palmitum eius, ideoq́; si Christus, qui vitis est, & radix nostra resurrexit, nos quoq; qui palmites sumus

In Christi resurrectione fides ferè tota concluditur.

Et moralia & doctrinalia ex Christi resurrectione colliguntur.

resurgere debeamus; (quod ad doctrinam pertinet) verum etiam ex eadem spiritualem nostram resurrectionem à peccatis, totamque vitę nouitatem perspicuè intelligimus, quod ad mores propriè spectat. Hinc Paulus Rom. 4. *Christus mortuus est propter delicta nostra,* (abolenda scilicet) *& resurrexit propter iustificationem nostram,* id est, nouam iustitiam. Cap. 6. apertius: *Christus exsurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur: Ita & vos existimate mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo in Christo* IESV. *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato.* Sic & D. Petrus 1. epist. capite quarto. *Qui passus est in carne, desijt à peccatis, vt iam non desiderijs hominum, sed voluntati Dei quod reliquum est, viuat temporis.*

Phantastica quorundam Hæreticorum opinio.

Nonnulli existimant, Apostolum transire ad Hæreticos, ex impia Simonis magi schola profectos, qui docebat, DEVM non descendisse reuera in carnem, nec Christum verè passum, sed omnia in phantasia contigisse; Quin etiā necdum resurrexisse; sed in extremo iudicij die, prius cum alijs resurrecturū putabant; ex quorum numero fuisse refert Epiphanius, Cherinthium Hæreticum. Contra hæc Hæreseôn monstra, monet Timotheū Apostolus, vt memor veritatis à se acceptæ, eam doctrinæ puritatem de resurrectione retineat, quam ex Euangelio prædicationeq; sua didicit, seq; inuictum Herculem ostendat, veritatem falsitati, etiam cum summo vitæ periculo, opponere non reformidans. Quam sententiam ex subiunctis verbis, *ex semine Dauid, & secundum Euangelium meum*, probabilem reddit Adamus Sasbol-

Christus, verè natus, verè resurrexit.

Sasboldus, hunc sensum faciens: Quicquid dicant isti heterodidascali, tu retine hoc, Christum verè natum, verè passum, verè resurrexisse. Cum enim hic articulus magnam ad fidei nostræ veritatem stabiliendam & salutis nostræ spem fulciendam, virtutem contineat, ideò in eo explicando non minus operæ & studij semper ponendum esse arbitratus est Apostolus, quam in eo euertendo multorum impietas laborârat: Inde contigit, vt non solum fidelibus credenda proponeretur resurrectio, sed multis etiam rationibus confirmaretur. Quamuis enim fide certissima esset, multum tamen proderat exemplis, vel rationibus ostendere id, quod fides credendũ proponebat, à natura, aut ab humanæ mentis intelligẽtia non abhorrere. Hinc quærenti quomodo resurgerent mortui, sic respondit Apostolus: *Insipiens tu, quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur: Et quod seminas non corpus quod futurum est, seminas, sed nudum granum, vt puta* tritici aut alicuius cæterorum: Deus autem dat illi corpus sicut vult. Est ergo quasi dicere vellet Timotheo Apostolus: Quicquid de Christi natura garriant hæretici, tu eam doctrinam de surrectione retine, quam à principio recepisti.

Christi resurrectio, ad fidem stabiliendam plurimum conducit.

Ideò autem *seminis Dauidici* meminit, vt contra eam de phantastica Christi carne assumpta sententiam, naturæ humanæ veritatem in Christo astruat. Vbi sciendum, vocem *seminis* tam pro posteritate quàm prole per Metaphoram, frequentissimè in scriptura sumi; quæ numero singulari multitudinẽ quandã significat, sicut populus, turba, pars & alia collectiua nomina, quemadmodũ ex cap. 12. & 13.

Verba, ex semine Dauid, quid importent

Seminis vox pro posteritate sæpissimè sumitur.

& 13. Genes. colligere est, vbi Deus promittit Abrahæ, se *daturum terram Chanaam & semini eius*. & cap. 15. & 22. vbi promittitur fore, vt *semen Abrahæ multiplicetur super arenam, & obtineat portas inimicorum suorum*. Et cap. 17. in quo narratur, Deum, *circumcisionis præceptum imposuisse semini Abrahæ*. Ex quibus locis constat, vocem *semen*, numero singulari significare multitudinem posterorum. Eodem modo dicit hoc loco Apostolus *ex semine*, hoc est, ex posteritate *Dauid* Christum fuisse prognatum; sicut etiá epist. ad Rom. cap. 1. eundem fuisse *factum* affirmat *ex semine Dauid secundum carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum*. Quasi diceret eum, qui factus est ex semine Dauid secundum carnem, ideoq; fuit verus homo, etiam declaratum & probatum esse verum Dei filium, tribus euidentissimis signis, primò, *in virtute*, hoc est, per admirabilem potentiam, qua tot & tanta edidit miracula: præterea, quia credentibus remittebat peccata, quorum remissio Spiritui sancto solet attribui. Dixit enim Dominus Apostolis Joan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remissa sunt eis*. Postremò idem declaratum est argumento resurrectionis ipsius à mortuis. Nam licet more cæterorum hominum sit mortuus, non potuit tamen à morte detineri, sed potentia sua sibi ipse vitam restituens, surrexit à mortuis. Licet enim pater eum suscitauerit, tamen propria virtute etiam resurrexit, ideò 1. Cor. 15. vocatur *primitiæ dormientium*. Vnde quia magnum & supernaturale opus est Christi resurrectio, efficientem eius resurrectionis causam esse Deum Rom. 8 2. Corinth. 13.

Christus, tribus signis declaratus filius Dei.

Christus propria virtute surrexit.

Corinth. 13. Actor. 2. & Christum vt Deum, Joan. 2.7. sæpenumero testantur sacræ literæ, Quod confirmant Patres, præcipuè Athanasius, epist. ad Epict. dicens; *Corpus mortalis naturæ per verbum quod in Christo erat, supra naturam resurrexisse.* Et S. Leo serm. 1. de resurr. *Deitas*, inquit, *quæ ab vtraq; substantia* (animæ & corporis Christi) *non recessit: quod potestate dimisit, coniunxit.* Sic etiam August. tract. 67. in Ioan. *Mortem*, inquit, *metuitis huic formæ serui? Non turbetur cor vestrum, suscitabit illam forma Dei.* Verum si de instrumentali concursu eiusdem Dominicæ resurrectionis sit sermo, cum duo in resurrectione spectari soleant; & corporis dissolutio, & animæ cum corpore disposito vnitio, dici posse videtur, ad Christi diuinitatem pertinuisse, vt eius anima propriũ corpus disponeret per eam miraculorum potestatem, quam propter verbi præsentiam in modum habitus relictam habebat: Corporis autem pars partem, vel etiam eadem seipsas, ipsam verò vnionem tam corpus, quàm anima effecere. Quę sententia S. Thomæ authoritati nititur, idipsum 3. part. q. 53. art. 4. ad 3. asserentis, licet de instrumentali causa distinctè non loquatur.

Christi resurrectionis causa efficiens, ipse Deus.

Christus instrumentalis sua resurrectionis causa.

Peculiaris autem & scripturæ propria videtur illa huius loci phrasis *resurgere à mortuis.* Nam licet mortuo duntaxat vno & resuscitato, non possit ille dici resurrexisse à mortuis; quia tamen resurrectio ante iudicium non generalis est, sed vnius aut aliquorum, alijs relictis, ideò non mortuorum sed à mortuis est resurrectio. Idem autem valet hic loquendi modus ac corpus resurgere de loco ac statu mortuorum, vel qui mortuis debetur, siue plures

Quomodo Christus dicatur resurrexisse à mortuis.

Resurgere à mortuis, quid

 sint,

sint, siue pauciores, siue vnus, siue nullus antea mortuus sit præter illum, qui postquam mortuus est, resurgit. Vnde Abel, si paulò pòst, quàm eum occidit frater, in vitam rediјsset, is etiam à mortuis resurrexisse dici posset. *Melius* porrò, inquit Hugo Card. in cap. 4. Act. scribens, *dicitur, Christum resurrexisse à mortuis, quam à morte; quia pro omnibus mortuus est, & per eum alij surrexerunt; sed quilibet alius debet resurgere à morte, non à mortuis*; Verum hæc phrasis in scriptura frequentior est, cum de Joanne Baptista eum resurrexisse arbitrans vsurpârit Herodes rex. Matth. 14.

Hugo Card.

11. *Secundum Euangelium meum.*

Christi prædicatio cur Euangelium dicatur.

Christi prædicatio ab his bonis, quæ nuntiat & efficit, *Euangelium* dicitur: Annuntiat enim & suppeditat hominum cum Deo reconciliationem, regni Diaboli dissolutionem, peccatorum remissionem, à mortuis resurrectionem, vitam æternam & regnum cœlorum: viam etiam & modum hæc omnia assequendi exhibet. Meritò ergo dicitur *Euangelium*, id est, bonum nuntium, & quidem Dei authoris & effectoris omnium horum, quia tantorum bonorum causa nulla res creata esse potuit, sed solus Deus. Qui ergo hæc omnia mortalibus prædicat, euulgat, annuntiat beneficia, dicitur *Euangelizare*; & eius prædicatio dicitur *Euangelium* siue *Euangelizatio*. In qua significatione hoc loco vsurpatur, & 1. Thessalonic. 1. *Euangelium*, inquit, *nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed & in virtute & in Spiritu sancto*

ſancto. Et ad Rom. 2. *Iudicabit Dominus occulta hominum ſecundum Euangelium meum.* Roman. 10. *Sed non omnes obediunt Euangelio.* Primus autem *Euangelizandi* verbo in hac ſignificatione vſus eſt in noua lege Angelus, Lucæ ſecundo, qui de Chriſti noua natiuitate, omni timori prius expulſo, dixit: *Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia natus eſt vobis hodie ſaluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid.* Bonum ſanè nuntium illud erat, quod ipſe Euangelizabat, & prædicabat, cum nihil melius, quàm Saluatoris, quàm optatiſſimi Meſſiæ, quàm Domini Dei natiuitas. Vox *Euangelij*, pro re prædicata & ipſa doctrina vſurpatur Marci vltimo. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Matth. 26. *Vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium*, id eſt, hæc res geſta, ſiue hiſtoria. Ex quibus hæc duo; Chriſtus & *Euangelium*; eſſe diſtincta colligitur, vt patet Marci octauo in ipſius Domini verbis: *Qui perdiderit animam ſuam propter me, & Euangelium. Euangelium* ergo Chriſti eſt, non autem Chriſtus. In quam ſententiam capite primo ad Rom. dicit, *Euangelium* fuiſſe *promiſſum* per Prophetas, quaſi Chriſtus non eſſet tantum promiſſus, nempe aduentus eius, & cætera opera natiuitatis, mortis reſurrectionis, &c. ſed etiam prædicatio & euangelizatio eorum in mundum. Eſai. 4. *Quam ſpecioſi pedes euangelizantium bona*, Hierem. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus; & feriam domui Iſraël & domui Iuda pactum nouum.* Pſal. 18. *In omnem terram exiuit ſonus eorum.*

Euangelizandi verbo in noua lege primus vſus eſt Angelus.

Chriſtus & Euangelium, diſtincta.

Circa illa verba, *ſecundum Euangelium meum*,

Varia huius loci sententia. variant interpretes. Quidam enim præsertim veteres, ita exponendum putant, vt quotiescumq; *Euangelium meum* in Paulinis epistolis reperitur, de Lucæ
1. Euangelio intelligatur; eo quod ipsum Lucas, Paulo docente, conscripserit, vt testãtur Eusebius, lib. 3.
2. Eccl. hist. c. 4. Nonnulli existimãt, ideò Paulum, *Euangelium suum* appellasse, vt ipsum discerneret à multis falsis Euangelijs pseudapostolorum, quæ sine vlla
Christi Euangelium cur suum dicat Apostol. certa authoritate circumferebantur; de quibus monuit Timotheum 1. epist. cap. 1. vt *denuntiaret quibusdam* Pseudapostolis Euangeliorum confictoribus, *ne aliter docerẽt*, quàm scil. à maiorib⁹ & veris Apostolis acceperũt. Ab his itaq; Pseudapostolorũ Euangelijs nõ immeritò *suum Euangeliũ* discernit Apostol⁹, verũ scilicet, indubitatũ & in Cõcilio Hierosolymitano ab omnib⁹ Apostolis approbatũ Gal. 1. & 2. Alij,
3. Christi *Euangeliũ*, *suum* à Paulo nominari volunt, ex feruenti amore & studio, quo in illud ferebatur, *in eo* videlicet, vt subiungit, *vsq; ad vincula laborando*, & pro eo varias contumelias, verbera, carceres &c. æquo ac patienti animo tolerando. Quod n. impẽse & supra modũ quis amat, hoc *suum*, licet omnib⁹ commune, vocare non dubitat, vt fusè cap. 1. docuimus.

Nec desunt, qui dicant, Apostolũ per *Euangelium*
4. *suum*, nihil aliud intellexisse, quam Euangelicam doctrinam à se viua voce prædicatã: Et ita suam fidei p̃dicationem vocauit Apostolus *suum Euangelium*, vt declaret, fideles cum obediunt fidei, etiam doctrinæ acceptæ in & ab Ecclesia obedire, q̃a doctrina fidei, est doctrina Ecclesiæ, sicut Euangelium Christi, fuit
Fidei & Ecclesiæ doctrina eadem. Euangelium Pauli; quia non nudus minister, sed legitimus testis & Doctor necessarius fuit doctrinæ

quam

quam attulit. Ideo autem & legitimus testis & Doctor necessarius, quia illius quasi fidei concredita, & commissa erat doctrinæ veritas. Vnde Christus Ioan. 17. oraturus pro omnibus futuris fidelibus, rogat Patrem pro his, qui per verbum Apostolorum credituri sunt in eum. Quamobrem sequitur non alios in medio fidelium à Saluatore haberi, nisi qui per verbum Apostolorum, id est, Ecclesię magistrorum, credituri sunt in eum: Quod adeò verum esse Augustinus docet, tract. 109. in Ioan. vt propterea ipsius Pauli prædicatio *non ab homine, sed per reuelationem* accepta, debuerit tamen cum Apostolis conferri, vt & verbum eorum esse appareret. Quare verbum fidei & verbum Apostolorum, idem esse concludit idem Augustinus, lib. 7. cap. 2. nec aliter per Christi orationem in vnitate cõseruari fideles, nisi per verbum Apostolorum, id est, Ecclesiæ, crediderint in Christum. Vnde fit euidens, *verbum Domini* non esse aliud, quàm prædicantis Ecclesiæ verbum, primo ab Apostolis, postea ab eorum successoribus perpetuo annuntiatum; ideoque *in æternum permanens*, iuxta principis Apostolorum sententiam: *Verbum Domini permanet in æternum.* *Verbum Domini, quod?*

12. In quo laboro vsque ad vincula, quasi malè operans.

Laborandi hoc loco verbum, cognatæ significationis est, idem valens quod affligi & dura perpeti, *Laborare* siquidem apud Paulum, omnis commiserationis expertem plenamque contemptu, & contumelia abiectionem complectitur; ita vt, sicut verbum *Laborandi verbum hoc loco, quid importet.*

 bum

bum miserendi, omnem beneuolentiam & profusum fauorem, gratiam, charitatem affert, sic *laborandi* siue affligendi verbum, omnia his contraria. Duo enim Euangelicæ prædicationis causa sustinebat Apostolus; afflictiones quoad corpus, (vinculis enim detinebatur constrictus) & opprobria, calumnias & maledicta, quoad animum audire cogebatur. Seditiosus enim, maleficus, seductorque appellabatur. Nam sicut Dominus, cum sceleratis reputatus & inter latrones crucifixus fuerat Esaiæ 53. ita & eius discipuli, facinerosi, & nefarij homines, Gentium & Iudæorum sententia reputabantur; quemadmodum eis Dominus Ioan. 16. futurum tempus prædixerat, ne his euenientibus, *scandalum paterentur: Absq; synagogis*, inquit, *non solum facient vos*, hoc est, expellent vos suis commerciis, conuersationibus, & congressibus; *sed & hora venit, vt omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo*. Quasi diceret tempus aliquando futurum, vt qui necem eis intentarent, arbitraturi essent Deo se sacrificium offerre, eique rem facere gratissimam. Volens nempe prædicere, eos tanquam Dei aduersarios & legis, religionisq; peruersores aliquando interficiendos. *Et hæc*, subiicit Dominus, *facient vobis, quia non nouerunt patrem neque me*. Quasi, suorum verborum interpres, dicere vellet: Zelus eorum interfectorum ex ignorantia proficiscetur. *Si enim*, inquit, *nouissent Christum, non interfecissent discipulos eius*; quod si Christum non nouerunt, nec nouerunt Apostolos; ignorantesque quinam essent, occiderunt eos; magnæ consolationis argumentum Apostolis esse debuit, quod absque sua culpa non modo interficerentur, sed

Duo Euangelij causa perpessus Apostolus, & afflictiones & contumelias.

Contumelia ab Apostolis perpessa.

Iudæorum crudelitas ex ignorantia profecta.

sed & grauissimas contumelias & distractiones perpeti cogerentur. Si enim pro patria & parentibus gloriosum est mori; quanto magis pro Deo & Christo eius, non tantùm mortem, sed contumelias proferre gloriosum erit, vt rectè deducit August.tract. 33. in Ioan.

Pro Christo pati gloriosum.

Neque tamen putandum est ignorantiam hanc Iudæorum & Gentium, ex qua Christi discipulos affligebant, & martyres occidebant, excusasse eos à grauissima culpa & peccato. Ipsi enim discipuli, sufficientissimum præbebant testimonium illis; quo audito potuere Christum, Christique patrem agnoscere. Verùm, eam ob causam *beatos* eosdem futuros idem Dominus prædicabat, *Cum vos*, inquit, *oderint homines, & cum separauerint vos, & exprobauerint, & eiecerint nomen vestrum tanquam malum propter filium hominis, &c.* Quamobrem beatos illos pronuntiat Dominus, qui maledicta, opprobria, contumelias, cæteraque huiusmodi perferunt, etiamsi vita minimè priuentur; eo quod, vt ait Augustinus, epist.61. *Pœna non faciat martyrem, sed causa*; quæ pœna propter Christum eiusq; Euangelium tolerata, contemnenda est, vt probat Hieronym. in cap. 5. Matth. quod beatitudinem creet, quod falsò maledicentis ore proferatur. Vnde Dominus definit eam beatam maledictionem aduersus suos falsè prolatã, *quæ*, inquit, *propter me profertur:* Quæ tamen *beata maledicta* (vt appellat Hieronymus) vult Dominus non patiente duntaxat, sed etiam exultante animo esse ferenda, iuxta illud Pauli Roman. 5. *Gloriamur in tribulationibus.* Hanc autẽ exultationem, gaudiumq; parit in ipsa persecutione, cælestis gloriæ consideratio,

Iudæorum ignorantia à peccato eos non excusat.

Beata maledicta, quæ propter Christum perferuntur.

ratio, præmiumq; & merces iis, qui persecutionem, opprobria, &c. pro Christo tolerant proposita. Vnde Chromatius: *Quam gloriosa est*, inquit, *persecutionis huius tolerantia, cuius mercedem Dominus repositam esse dicit in cælis. Et idcirco propositæ gloriæ præmium considerantes, ad omnem tolerãtiam passionis parati esse debemus; vt consortes gloriæ esse mereamur.* Et author imperf. *Qui concupiscit quæ in cælo sunt; opprobria non timet in terris; nec cogitat quid loquantur homines propter ipsum; sed quid iudicet Deus de ipso, &c.*

Cur laboribus contumelias adiungat Paulus.

Perpessis autem Euangelij causa laboribus, toleratas etiam pro eodem contumelias ideo adiunxit Apostolus, quia sæpenumero (vt ait Origenes in catena Iob) *qui corporis cruciamenta tolerauit, non passus est verba. Nihil* enim, teste Ambrosio lib. 2. de interpell. Iob, *sic penetrat animam, sicut sermo fucatus; nihil iterum sic mordet, vt durior sermo:* Cui accedens Chrysostomus, homil. 15. in Matth. *Nescio*, inquit, *quomodo omnibus pene rebus, amarius solent mordere maledicta; cũ certè multi etiam ad laqueum conuolarint, famæ opprobria non ferentes.* Hinc est, quod, vt idem obseruat Chrysostomus, in aliis octo beatitudinibus indefinitè dictum sit à Christo; *Beati pauperes, &c. beati misericordes, &c.* ad Apostolos verò sermonem dirigens, dixerit: *Beati estis, cum exprobrauerint vobis homines, & dixerint omne malum verbum aduersus vos.* Videlicet, ostendens, illorum hoc esse præcipuum super alios omnes; istud Doctorũ esse proprium & quod, nisi quis illis, quas superius posuisset, armatus sit virtutibus, ad hęc nequaquam prodire possit certamina. Certè, Paulus Hebræis scribens, cap. 10. *magnum certamen* esse testatur, cum quis opprobriis spectaculum fit, id est,

Contumelia, toleratu difficilis.

Contumeliis affici, magnum certamen.

est, publicè & cunctis spectantibus, opprobriis oppetitur. *Magnum* autem *certamen* vocat, quod multum, aut multiplex ex proprietate græcæ vocis dicere possis; quod ingens est contumeliæ exaggeratio: Quasi cum multis hostibus confligat is, qui cum vna contumelia depugnat. *Contumeliam* enim *perferre*, (vt dixit Origenes) *magni est viri*. Vnde Sara illa filia Raguelis, virago quidem, sed non vir, cum septem illius sponsos interfecisset Asmodæus, nihil peculiare in luctu & mærore fecisse dicitur: *Cum* autem *audiuit improperium ab vna ex ancillis; tribus diebus & tribus noctibus non manducauit, neque bibit: sed in oratione persistens, cum lacrymis deprecabatur Deum, vt ab isto improperio liberaret eam.* Tob. 3. In quam rem, à Sapiente dictum est, Prouerb. 16. *Ferrum ferro acuitur, & homo exacuit faciem amici sui.* Durus enim amici sermo atterendo animum & eius obtundendo aures, animi etiam sensum atque dolorem acutiorem reddit; quin etiam audientis indignationé & iram concitat & exacuit, sicut scriptum est Prouerb. 15. *Sermo durus suscitat furorem:* Nimirum flammæ instar suscitatur audientis indignatio, si quis cõtumeliosis verbis, veluti follibus insufflet.

In contumeliarum autem, siue conuitiorum tolerantia, tres gradus distinguit Ambrosius, lib. 2. de interpell. Iob, *tacere, ridere, & benedicere.* In primo, Dauidem regem constituit, qui cum summa petulantia malediceretur à Semei, 2. Reg. 16. tacitus & elinguis, plorans licet & gemens, excipiebat conuitia. Ad secundum, & eum quidem superiorem, ascendit Iob, qui ridebat, Iob 19 Euangelicæ perfectionis æmulator, & illius beatitudinis particeps, de

In contumeliarum tolerantia, triplex gradus distinguitur.
tacere.
ridere.
benedicere.

qua scriptum est, Matth. 5. *Beati estis, cùm maledixerint vobis homines: Gaudete & exultate.* In tertio tandem constitit Paulus, qui *benedicebat*, sicut ipse testatur 1. Corinth. 4. *Maledicimur & benedicimus.* Est autem in singulis his gradibus difficultas ingens & ardua ad superandum. Nihil enim magis procliue, quam petulanter gannienti & conuitianti inimico respondere, cum sint conuitia veluti calcaria adhibita effreni per se & præcipiti equo, linguæ videlicet auditoris, quæ est, vt, Iacobus ait, suæ epist. cap. 3. *Inquietum malum, quod nullus hominum domare potest.* Continendus igitur indomitus equus intra carceres, exemplo Dauidis, Psalm. 104. precantis: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Nihil deinde tristius contumelia & improperio, cum scriptũ sit Eccles. 22. *Pungens oculum deducet lacrymas, & qui pungit cor profert sensum.* Cum enim sedes tristitiæ cor sit, cor punctum contumelia, lacrymis vbertim manat; quæ incredibilis mœroris testes sunt. Quantum igitur, & q̃ pręclarum facinus, non modò non lacrymari corde aut oculis in contumeliis, sed *gaudere*, Matt. 15. *exultare*, Act. 5. & *ridere*, Iob 19. *Non ex miraculis*, inquit Chrysostomus, homil. 14. in Act. *Declararunt Apostoli Dei virtutem, sed ex gaudio in contumeliis.* Nihil denique magis Christiano homine dignum, q̃ maledicta benedictionibus compensare. Hanc profecto esse vocationem Christianam, tanquam perfectissimam, designauit Petrus, 1. epist. cap. 3. cum ait: *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed contrario benedicentes; quia in hoc vocati estis.*

Peculiaris horum graduum difficultas.

Difficile, conuitianti non respondere.

Contumelia, nihil tristius.

Christiana vocatio est, maledicta benedictionibus compensare.

13. Sed verbum Dei non est alligatum.

Rectè ac sapienter in mediis calamitatibus, vinculis compressum non esse Dei verbum profert Apostolus, licet arctissimis ipse vinculis constrictus detineatur. Non enim nisi patienti viro, loquendi & dicendi facultas inest: Nam, *qui non est tentatus, quid scit?* Ecclesiast. 34. Qui nihil sciat, quid loqui possit? Sane sapientem & verba faciendi peritum, efficiunt verbera & ærumnæ toleratæ: Propterea Ambrosius super id Lucæ 4. *Consummata omni tribulatione, &c.* de patienti, variisque tribulationum generibus probato Iobo loquens: *In tentatione*, inquit, *S. Iob mysteria loquitur, &c.* Et lib. 2. de interpell. Iob, cap. 2. *In stercore*, inquit, *sedens, in tantis vibicibus, & saui doloris vulneribus mysteria loquebatur, nec acquirēdi propriæ remedium ægritudinis, sed sacris vacabat sermonibus. Fortiores itaque sermones ægri hominis quam illorum, qui non ægrotabant. Ideo ergo carnis gemitus & corporis infirmitates, sed voces spiritus loquebatur, quibus vrgeret nō quidem cederet, &c.* In hanc sententiam Sapiens, dum per totum cap. 2. Ecclesiast. ad tolerātiam laborum hortatur; tandem hoc quasi proposito præmio, adiicit: *Qui timetis Dominum diligite illum, & illuminabuntur corda vestra:* Quasi diceret; Deum inflictis licet plagis in vos animaduertentem colite, reueremini, amate: Fugat enim depellitque flagello ex humana mente ignorātiæ tenebras, atque clarissimum quoddam ad diuina cognoscenda, lumē præfert. Hinc est, quod ij qui castigari renuunt, loqui quoque de diuinis prohibeantur Psal. 49: *Peccatori dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum; tu*

Tribulationes, dicendi facultatem subministrant.

Tribulationes ignorantiæ tenebras depellunt.

verò odisti disciplinam, &c. id est, castigationem & cor-reptionem, eam videlicet, de qua Ierem. 2. *Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperũt.* Hanc di-sciplinam libenter susceperat Ioseph, cuius in seruũ venundati manus, licet *in cophino* siue laboribus *ser-uirent*, eius tamen *lingua* non desistebat *loqui sapien-tiam;* cuius ope, auxilio & professione eo vsque pro-uectus est, vt totius Ægypti *Saluatoris* titulum & di-gnitatem meruerit. Certè lacui leonum inclusus Daniel, sic carceris compedibus detinebatur, vt ta-men inter feras, Dei laudes non taceret, sed eius po-tius æquitatem & iustitiam, adhibito etiam hymno, prædicaret, annuntiaret, proferret. Quamobrem, rectè & sapiẽter dicit Chrysostomus, *vinciri,* sancto-rum videlicet ob iustitiam, *manus, sed liberam manere linguã, quam nemo ligare possit, nisi formido sola atque infi-delitas.* Verorum enim Ecclesiæ magistrorum & cõ-cionatorum videtur proprium, salutem proximo-rum & subditorum, etiam dum laboribus premun-tur, curare, quemadmodum docet Gregorius Ma-gnus, lib. 3. Moral. cap. 12. his verbis: *Habent hoc iusti proprium, vt in dolore positi tribulationis suæ, curam non deserant alienæ salutis; Et cum de se aduersa patientes do-lent, aliis necessaria docentes prauident: & quasi percussi quidam magni medici ægrotant. Ipsi tolerant scissuras vul-neris; & aliis proferunt medicamẽta sanitatis.* Sane Chri-sti præcursoris corpus, quamuis carcere mancipatũ esset, non tamen eius lingua erat alligata, non vox, non verbum, non calamus, cum vinculis obstrictus ex carcere discipulos suos ad Christum misit, vt ex eo quærerent, an is promissus in Lege & Prophetis verus esset Messias, Matth. c. 11. Quamobrem Chry-sosto-

Veri Ecclesiæ magistri, etiam dum laboribus premũtur, sub-ditos curant.

Vincto corpore, Verbum Dei non vincitur.

sostomus in hæc verba Joannis 1. *Venite & videte*: *Si quis*, inquit, *agricolam alliget, sementem impedit, nam manu ille serit: Doctorem si ligaueris, verbum Dei impedire non vales: lingua quippe, nõ manu seritur verbũ, quæ nullis subiacet vinculis. Nam licet vincti simus, verbum Dei solutum est, & liberè currit*. Non est alligatum verbum Dei tempori, non horæ, non loco: quocumque tempore, hora, loco, de diuinis rebus loquendum est, atq; cogitandum, iuxta illud Psalm. *In lege eius meditabitur die ac nocte*. Eiusmodi sanè erat Paulus, cuius corpus licet vinculis esset constrictũ, eius tamen nec lingua, nec vox, nec manus vllis loci vel temporis, vel occasionum angustijs ita stringebantur, vt ab Euangelij prædicatione ipse prohiberetur.

Frequẽter porrò vincula, carceres, maledicta persecutiones inculcat vt Timotheo calcar ad paria pro Christo subeunda addat. Inde est, quod Chrysostomus ad illa verba Pauli Ephes. cap. 4. *Ego vinctus in Domino*: *Nihil est æque præclarum, atque vincula propter Christum, & catenæ sanctis illis manibus impositæ. Vinctum esse propter Christum est præclarius, quàm esse Apostolum, quàm esse Doctorem vel Euangelistam. Non tam splendidum facit caput, vitra ex gemmis composita, ei imposita, quam caput catena ferrea propter Christum. Me pudet conferre diuitias, & mundum aureum cum vinculis. Si quis me faceret vnum de potestatibus, quæ sunt circa cœlos aut circa Thronos: aut talem vinctum; potius optarem magis esse vinctus. Nihil est melius, quam male pati propter Christum. Mihi optabilius est & magis eligendum, male pati pro Christo, quam honorari à Christo. Hoc magnus est honor, hoc est gloria, quæ omnia exuperat. O beata vincula,*

Vincula & carceres cur sæpius Timotheo inculcentur.

Nihil optabilius aut præclarius quam vinciri propter Christum.

ô beatas manus quas illa ornauit catena. Hæc & alia Chrysostomus.

14. *Ideò omnia sustineo propter electos.*

Inuictum Pauli animi robur.

Hoc inuicti animi sui robur non verbis duntaxat iactasse, sed & reipsa probasse Apostolum, 2. Corinth. 11. & 12. perhibet scriptura. *Cum enim ea animi fortitudo debeat intelligi*, ait Prosper, lib. 3. c. 20. de vita contempl. *quæ non solum diuersis pulsata molestijs inconcussa permanet, sed nullis etiam voluptatum illecebris resoluta succumbat*, tum acerba & terribilia quæq; ita constanter patiebatur Apostolus, vt (quod est apud Philosophũ 2. Eth. c. 6. & 3. Ethic. c. 31.) *neq; praue timendo, neq; temerè audendo propter illa, nec ab officio rectæ rationi consentaneo*, nec ab Euangelij prædicatione desisteret, sed illis superatis, ab ijs animo dimoueri non posset. Si namq; dici vir fortis debet, non modo qui circa mortem præclaram; se impauidum esse viriliter commonstrat; sed circa ea, quæ mortem, cum proxima sunt, afferunt; fortissimus sanè erat Apostolus, qui morte ipsa pro Deo obita, immobilem fidei veritatem, in omnibus virtutum operibus bene & gnauiter testatam faciebat.

Vir fortis quis dicendus?

Mortificamur, inquiebat, *tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.* Q. d. se propter nominis diuini confessionem non aliter morti iugiter esse expositum, ac oues, quæ quotidie in macello detinentur, occisioni seu mactationi destinatæ, quemadmodum explicat Irenæus, libro secundo capite 38. Et quamuis duo sint, propter quæ mors non minus fortiter quàm laudabiliter à Christi

sti cultoribus suscipiatur, Dei honos & proximi salus, hoc tamen loco se dicit, *omnia sustinere propter electos*, quia quæcumque bona fiunt, ad electorum spiritualem vtilitatem procurandam (quæ Dei gloriam pariter respiciunt) singulariter reuocantur. Rectè enim *omnia* dicitur *sustinere*, quem ita vrit charitatis vehementissimus ignis, vt *nec angustia, nec tribulatio, nec fames, nec nuditas possint ab ea charitate, quæ est in Christo Iesu separare*, qui se *& omnibus omnia faciens, vt Christum ipsum lucretur, Græcis & Barbaris debitorem esse confitetur.* Neque enim pœnam, sed causam facere martyrem testatur Augustinus, concione secunda, in Psalm. 34. quemadmodum ibidem verbis eiusdem Psalmi confirmat: *Exurge*, inquit, *Domine, & intende iudicio meo, Deus meus & Dominus meus in causam meam.* Non inquit Augustinus, *in pœnam meam, sed in causam meã. Non in id quod mecum habet latro commune, sed illud, quo beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam* Matth. c. 5. *Hæc enim causa discreta est: Nam pœna communis est bonis & malis.* Et epist. 50. ad Bonifacium Comitem: *Dominus*, inquit, *cum latronibus crucifixus est: sed quos passio iungebat causa seperabat. Ideò in Psal. 42. Vox illa intelligenda est verorum martyrum, volentium se discerni à falsis martyribus: Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta. Non dixit; discerne pœnam meam. Potest enim esse impiorum similis pœna: sed dissimilis est martyrum causa.*

Omnia bona ad salutem electorum reuocantur.

Causa non pœna facit martyrem.

Magna sanè & omnibus imitanda Apostoli charitas, quæ & nobis omnibus amplectenda sequendaque est, studentibus conseruare puritatem doctrinæ

Summa Pauli charitas.

propter

propter electos. Charitatis huius modũ Joan. 15. declarauit Dominus, cum nullam fingi posse maiorem dilectionem dixit, ea qua aliquis pro eo, quem diligit, *animam suam ponens*, mortem subit. Volens enim Dominus discipulos suos secum & inter seipsos vnire, vt scilicet singuli eorum saluti studerent incumbere, tanquam futuri Doctores, & salutis animarum medici, ijsdem seuerè præcipiebat, vt *se inuicem* ita *diligerẽt*, quo pro alterius tuenda & conseruanda salute, quando opus fuisset, nulli periculo, nulli persecutioni, nulli temporali malo cederent; Quasi suos Apostolos sic esse præparatos vellet Dominus, vt mundo salutem annuntiaturi, huic negotio ea diligentia intenderent, vt nec morte, quæ omnia mala temporalia superat, nec mortis vllo genere, licet acerbissimo, ab hoc officio retardarentur: Cuius imitationem dilectus Christi discipulus 1. Epist. cap. 3. explicans: *In hoc*, ait, *cognouimus charitatem Dei: quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere*. Quod si enim aliquis ita diligit alterum, vt res temporales dilecto postponat, potiusq; eas, quàm amicum dimittere sit paratus; multum diligere dicendus est: is sanè qui non solum res temporales, sed honorem etiam proprium & vitam illi postponit, maximè diliget. Quò enim amicus pluribus aut paucioribus præponitur; eo plus aut minus diligitur, & dilectio maior aut minor æstimatur.

In quo ea charitas consistat.

Quis censendus sit multum diligere.

Hoc loco obseruandum est, non ita intelligendum esse illud quod Apostolus dicit, *omnia se sustinere propter electos*, quasi propter electos duntaxat prædicauerit, laborauerit, contumelias, verbera, carceres

Paulus, non tantum propter electos laborauit & quomodo.

carceres, &c. perpessus fuerit; cum suas curas & labores etiam circa plurimos non electos versatas fuisse testetur ipse 1. Corinth. cap. 11. cum ait: *Instantia mea quotidiana solicitudo omnium Ecclesiarum.* Quare ita intelligendũ erit id, quod *omnia sustinuerit*, præcipuè & efficaciter propter electos, licet etiam propter non electos idipsum, inefficaciter scilicet & minus præcipuè præstiterit. Quemadmodum enim vniuersos cœli motus, seu tempus huius sæculi propter implendum numerum electorum protendi testatur scriptura Apocalyp. 6. Roman. 8 & tamen idem ad propagandos etiam *non* electos se extendit: Et quemadmodũ Christus Dominus *pro ouibus suis*, id est, electis animam suam posuit, & tamen eandem mortem pro totius mundi peccatis fuisse dicit Joan. capite secundo, suæ 1. epistolæ: Ita Paulus *propter electos* se plurima, imò omnia (efficaciter scilicet) perpeti dicit, licet propter omnium hominum salutem idipsum præstaret. Sic Joannis vltimo, Petrum suæ Ecclesiæ supremum pastorem constituturus videtur locutus Dominus, cum eidem Petro oues suas (electos scilicet, *oues enim meæ*, ait Joan. 10. *vocem meam audiunt*) pascendas committens, dixit: *Pasce oues meas.* Non enim hoc dixit quasi ad solos electos Petri præfectura pertingeret, & per consequens, vel soli electi ouilis Dominici oues & Ecclesiæ membra essent, vel non totius Ecclesiæ pastor Petrus esset constitutus, sed quia soli electi efficaciter Petro committebantur, licet omnes eius curæ & regimini sufficienter commissi essent. Præcipuus ergo ex omnibus pascendi actibus, finale videlicet & efficax

pascendi opus Petro commissum fuit, quod tamen generalem pascendi functionem non excludit, sed necessariò includit, sicut vniuersum quoddam, suas omnes partes, & finis sua omnia media, vel vt principale aliquid, cætera minus principalia.

15. *Vt & ipsi salutem consequantur, cum gloria cœlesti.*

Ratio cur Paulus omnia patiatur.

Cur acerba quæque patiatur Apostolus, causam reddit, vt *electi* scilicet, nõ quamuis sed *æternam* cœlestem & immortalem *salutem* per Christum partam *consequantur.* Licet enim *copiosa* per Christum *facta sit* apud patrem æternum, pro peccatis totius mundi redemptio, miseriarum tamen Pauli sustinentia, electorum saluti proficiebat ad perseuerãtiam in fide, prębẽdo ad multas tribulationes electis exemplum, quo deinde fidei eiusdem veritas, longè lateque extensa mirificè confirmaretur, cuius luce hominum mentes irradiatæ, ad fœlicitatem sectandam inducerentur.

Pauli passiones, iustis ad salutem proficua.

Ex quibus fit euidens, Pauli passiones, electorũ saluti tam præsenti (quæ peccatorum remissionem & gratiæ iustificantis donum complectitur) quàm futuræ, (quæ laborum iusta electis in cœlo merces est reposita, Matth. c. 5.) fuisse cooperatas. Quo sensu, pro Colossensibus cap. 1. dicit se *gaudere in passionibus, & adimplere ea quæ desunt passionum Christi in carne sua pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Non quod Christi passio minus fuerit sufficiens pro nobis; sed quod afflictiones corporis mystici Ecclesiæ, id

Passiones Christi quomodo sancti adimplere dicantur.

est,

est, sanctorum martyrum, Christi afflictiones dicantur, quas ille suas ducit, dicens; *quod fecistis vni ex minimis istis, mihi fecistis.* Vbi Photius; *adimplere defectum, & reliquias passionis Christi, nihil aliud* esse interpretatur, *quam pro Christo pati, sicut ille pro nobis est passus. Christus* enim *pro nobis passus est*, inquit Petrus, *vobis relinquens exemplum; vt sequamini vestigia eius.* Cum ergo pro nobis Dominus sit passus, reliquum est, vt illi compatiamur & coaffligamur; quod qui facit, adimplet id, quod deërat afflictionibus Christi, non ex parte Christi, sed ex parte sua. Quamquam enim redimendis hominibus sufficiētes fuerint Christi afflictiones vt notat Gagnæius) ex parte tamen nostra vnum dëest, vt scilicet, pro Ecclesia & nobis inuicem patiamur; *Per multas enim tribulationes oportet ingredi in regnum cælorum.* Q. d. Apostolus; quod superest, scilicet nobis faciendum post ipsius Christi afflictiones, vicem ipsius Christi impleo in carne mea per tam longas & graues afflictiones pro corpore ipsius, ipsa videlicet Ecclesia.

Cælestis gloria, periphrasis est æternæ fœlicitatis, summi boni & beatitudinis, quæ in essentiæ diuinę contemplatione renidens, in empyreo cœlo & beatorum domicilio, iustis & beatis hominibus apparet, quam *nec oculus in hac vita vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit*; *cuius gloriæ* cum lumen illo in lumine visum apparuerit, tum demum animi nostri satiabuntur iuxta Psalmistam, Psal. 35. & 16. *Æternæ fœlicitatis paraphrasis.*

16. *Fidelis sermo.*

Hac formula in vtraque ad Timotheum & ea quæ

est ad Titum, duntaxat vsurpata, ad præterita iuxta Græcos relata, rem certam & indubitatam esse asserit Paulus, quod electi per vnicum Christum salutem consequantur: Si futura respiciat, redundante particula per pleonasmum (*Nam*) confirmat ea, quæ subijcit, nempe certam esse bonorum in cœlis remunerationem, & malorum in inferno punitionem.

Duplex huius loci expositio.

17. *Nam si commortui sumus, & conuiuemus.*

Triplex modus cum Christo moriendi.
1. per Baptismũ

Trifariam contingit, hominem cum Christo *mori* & à morte suscitari. Primo in Baptismo, *commorimur* Christo. Quamuis enim per Christi mortem, nostra peccata mortem causantia, in cruce deleta sint, & *vetus homo noster crucifixus sit*, mortis tamen huius fructus non applicatur, nisi quando baptizamur. Tunc enim ipsius morti similes effecti, ipsi Christo non solum commorimur, sed & per baptismum ipsi cõinserimur, quemadmodum author est Paulus cap 6. eius quæ est ad Romanos, vbi ad insitionem plantæ alludit, cui corporis ipsius cõmunio respondet. Quemadmodum enim surculus ex arbore suo decerptus, particeps fit eius arboris humoris, cui inseritur; ita qui per baptismum inseruntur in corpus Christi, bonorum eius compotes & resurrectionis eius fiunt consortes: *Omnes enim planta*, ait Origenes, *post hyemis mortem, resurrectionem veris expectat.* Et Christo fuit hyems tempus passionis & mortis, ver autem tempus resurrectionis. Nos quoque Christo complantati in hyeme huius sæculi, præsentis vitæ peccatis morimur,

vt futuro resurrectionis Vere, inueniamur digni fructus iustitiæ ex Christi radice proferentes. Neque enim peccati macula ex actu peccati derelicta animoque inhærens duntaxat; sed & peccandi consuetudo (quæ velut necessitatem quandam affert peccandi) & peccati fomes, ex primi parentis peccato proueniens, (quæ vetus homo & peccati vetustas à Paulo sæpe vocantur) dicuntur cum Christo crucifixa per Baptismum, in quo, virtute mortis Christi, reatus culpæ & peccati macula prorsus aboletur, vt ad nouitatem vitæ homo tandem resurgat, in qua moriens vitam consequatur æternam.

Baptismi effectus.

Dicitur alio modo ille mori, qui *spiritu facta carnis mortificat:* Et de hac morte hunc Pauli locum interpretatur D. Ambrosius. Quod vt facilius intelligatur, obseruat serm. 30. in Cantic. D. Bernardus, duplex esse martyrij genus, vnum quo neci pro Deo corpus offertur, alterum quo animi cupiditates trucidãtur. Cui B. Augustinus, serm. 32. de Sanctis consentiens: *Tota vita Christiani hominis*, inquit, *si secũdum Euangelium viuat, crux est, atque martyrium.* Et serm. 28. de tempore: *Nemo*, ait, *dicat, quod tẽporibus nostris martyrum certamina esse non posint. Habet enim & pax nostra martyres suos. Nam iracundiam mitigare, libidinem fugere, iustitiam custodire, auaritiam contemnere, superbiam humiliare, magna pars martyrij est, in quo sui abnegatio toties à Christo commendata consistit.* Hoc martyrij genus inferre nobis ipsi possumus, & sæpe tenemur, cum nostras cupiditates affigere cruci iubemur. Nam, qui Christi sunt, *carnem suam crucifixerunt cum suis vitiis & concupiscentiis.* Galat 6. Vnde B. August. serm. 32. de diuersis: *Conuenit*, ait, *nostræ deuotioni, vt qui Do-*

II. Per mortificationem.

Duplex martyrij genus.

Tota Christiani hominis vita martyrium.

Christiani suas cupiditates crucifigere iubentur.

ad sui exemplum prouocans: Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Immortalitatis namque fores morientibus pro Christo statim patent, quemadmodum de sancto Stephano patet Act. 7. *Ecce video*, inquit, *cælos apertos.* Et bono Latroni Christum in cruce confitenti dicitur: *Hodie mecum eris in paradiso.*

18. *Si sustinebimus & conregnabimus.*

Probat Apostolus à pari proportione; q. sicut glorificationis diuinæ, & nostræ redemptionis meritũ, nõ tam in prædicatione aut operibus misericordiæ, quã in passione sua Dei filius constituere voluit; ita salutis nostræ & efficacitatis suæ passionis rationem, non tam in aliarum virtutum imitatione, quàm in passionis tolerantia collocauit. Vnde illud Pauli Hebr. 10. *Patientia vobis necessaria est, vt reportetis promissionem.* Et cap. 16. ibid. *Non segnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui in fide & patientia hæreditarunt promissiones.* Cruci namq; & passioni gaudium esse propositum ibidem cap. 12. docet, vbi dicit, Christum *proposito sibi gaudio sustinuisse crucem.* Et 2. Cor. 10. *Momentaneum & leue tribulationis nostræ æternũ gloriæ pondus operatur in nobis.* Inde est, quod Lucas cap. 24 dicat ex Domini sententia; *Oportuisse Christum pati & ita intrare in gloriam suam. Decebat* enim eum, ait Paulus Hebr. 2. *propter quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum Christum Iesum per passionem consummare.* Q. d. Decebat Dei Patris prouidentiam atq; sapientiam, qui principium est & finis omnium, sic vltimi finis consecutionem disponere in sua Ecclesia, vt qui multos filios in regnum cæleste

Salutis nostræ ratio passionis tolerantia collocatur.

Locus ad Hebr. explicatus.

cæleste adducendos prædestinarat, Christum etiam ducem agminis, per passionem consummaret, simulque per gloriam & præmium suæ passionis perficeret, vt dum consumptus consummatur, fiat exemplar nostræ consummationis, & gloriæ per patientiam, & passionum tolerantiam.

Tribulationis prius, quàm regni oportet esse particeps.

Ex quibus fit liquidum, neminem cælestis regni fieri posse participem, qui tribulationis non prius fuerit consors, quemadmodũ obseruat Rupertus, explicans illa verba Apoc. 1. *Particips in tribulatione. Hoc,* inquit, *ius legale est apud cælestē regem: Ait enim Lucæ 22. Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meā in regno meo.* A quo legali iure nec ipse Christus fuit exemptus, quemadmodũ docet Apostolorũ princeps, 1. Petri 1. *Scrutātes,* inquit, *in quod vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi, prænuntians eas, quæ in Christo sunt, passiones & posteriores glorias: Posteriores* inquam, id est, præcedentibus tribulationibus comparatas. Quod ipsum Tertullianus docet libro de coron. milit. cap. 14. expendens illud quod dicitur de Christo post resurrectionem, quod *fauum mellis comederit; Christus,* inquit, *fauos post fella gustauit, nec antea rex gloriæ à cælestibus salutatus est, quàm rex Iudæorum præscriptus in cruce, minoratus primũ à patre modicum quid citra angelos, & ita gloria & honore coronatus.* Atq; in huius rei figurã, quemadmodũ obseruauit idem Tertullianus, libro de Baptismo, cap. 8. Iacob Patriarcha benedictionem filiis Ioseph, *decussatis manibus,* hoc est, in crucis formam positis impertiuit Genes. 48. vt scilicet intelligeremus benedictionem nõ nisi per crucẽ haberi posse.

Exemplo Christi ostenditur.

In

In cuius etiam typum, vt notat in cap. 1. Apocal. Blasius Viegas, in superiora Salomonis templi tabulata per cochleam ascendebatur; quod idem de Ezechielis templo cap. 41. dicitur: *Platea erat in rotūdum ascendens sursum per cochleam, & in cœnaculum templi deferebat per gyrum.* Quo significabatur, in cælum non nisi per tortuosam laborum viam esse ascendendum.

Eius rei typus in Veteri Testamento.

Atque inde est, quod passim scriptura significet hominibus iustis admodum fuisse familiare, vt pro clade accepta, velut pro ingenti beneficio, Deo gratias agerent. Quod ipsum reipsa facit Paulus infra cap. 4. cum ærumnis suis & duris laboribus feliciter exantlatis, hymnum Deo concinens: *Cui gloria*, inquit, *in sæcula sæculorum, Amen.* Quare idem Paulus Philip. 1. eiusdem Dei donum vocat, *non solum in Deum credere*, sed etiam *pro illo pati*; Vbi videtur vtrũque beneficium simul coniungere, *vocationis*, atque *patientiæ*, acceptarumq; ærumnarum, quod vtrumq; simul initio nascentis Ecclesiæ conferretur à Deo. Nam qui ad Christi Euangelij seruitutem accedebant, *stabant in timore, & præparabant animam suam ad tentationem.* Hoc vtrumque beneficium D. Petrus beatitudinem appellat: *Beati*, inquit, *eritis*; *quoniam tribulationes videntur esse pignora futuræ gloriæ.* Eadem beneficia vocat Ioannes, *lucra & bonorum omnium opportunitatem*; Quid enim aliud existimas significare, cum ait Apocal. 1. *Tempus prope est*; quam calamitates & persecutiones, quæ multorum sunt præmiorum atque ingentium bonorum amplissima occasio, & vt Arethas exponit, beatitudinis consequendæ (siue regni cælestis futuri) commoda, idoneaque opportunitas? Pro huiusmodi beneficiis Deo summa animi

Iusti pro tribulationibus acceptis, gratias agunt.

Tribulatio, beatitudo dicitur.

f liber-

Iob, pro tribulationibus gratias agit.

libertate gratias agens Iobus, cap. 1. *Dominus*, inquit, *dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum*; sicut scriptum est Isaiæ 18. *Deferetur munus* (gratiarum nempe actionis & laudis) *à populo diuulso & dilacerato*. Volens significare Propheta, nos cum terremur, bonisque & fama spoliamur, cum humi prosternimur & proterimur, cum laboribus & calamitatibus pro Deo frangimur, nos illi afferre oportere *vitulos labiorum nostrorum*, nominique eius dare gloriam & honorem, & in templo eius omnes dicere debere huiusodi gloriam, huiusmodique gratias agentes hymnum concinere, Psalm. 28. *Dominus diluuium inhabitare facit, & sedebit Dominus rex in æternum*; Nimirum diluuium immittit & ærumnarũ pluuiam, quibus impios puniat, pios exerceat. *Dominus virtutem populo suo dabit*, hoc est, sua virtute corroborabit, ne cedant malis; sustinebit, ne fluctibus superentur, ne frangantur laboribus, ne metu calamitatum consternantur; sed bene iis cedat tempestas. *Dominus benedicet populo suo in pace*, hoc est, laborum sustinentiam ingenti bonorum omnium amplissimorumq; præmiorum mensura abundanter cumulabit, & regni cælestis hæreditate ditabit, hoc enim est q, ab hoc loco Paulus, Christo patienti nos cõregnaturos pollicetur. Semper enim patiẽtiæ proponi solet in scriptura præmium atque corona. Hinc gratias agunt viginti quatuor illi seniores, per laborum perpessionem ad regni gloriam & coronam euecti, Apocalyp. 1. dum procidentes dicunt Agno: *Fecisti nos Deo nostro regnum* (Reges ex Græco) *& sacerdotes, & regnabimus super terrã*. Vbi scholia Græcanica;

Pro Deo eiusque iustitia.

Patientia semper proposita corona.

canica; *Per tolerantiam*, inquiunt, *afflictionum regni victoria corona insignitos.*

Qui ergo cum rege suo regnare cupit, sustinendum illi est, vt in domo Iacob regnet in æternum; Iacob enim supplantatorem significat; Cui ergo regi suo in domo Iacob, id est supplantatoris, corregnare in animo est, sit vitiorũ omnium, sit Diaboli voluptatumque supplantator. *At quis ex nobis est*, ait Bernardus, homil. 4. supra Missus est, *qui, iuxta interpretationem nominis Iacob, supplantet Diabolum de corde suo? Luctetur cum vitiis & concupiscentiis suis, vt non regnet peccatum in suo mortali corpore, sed regnet in eo Iesus. Ego*, inquis, *quantum valeo, resisto, renitor quantum possum, Dominum meum Iesum reclamo, ipsi me defero, quia ipsius iuris me esse cognosco. Iesum mihi Deum, ipsum mihi Dominum teneo & dico; non habeo regem, nisi Dominum Iesum, &c.*

Cum Christo regnaturus, cum eodem sustineat.

19. *Si negauerimus, & ille negabit nos.*

D. Augustinus, tract. 113. docet, non solum negari Christum, quando aliquis negat eum esse Christum, sed quando se quispiam esse Christianum inficiatur; in quo latum est discrimen; illud enim est cõtra fidem, hoc contra fidei confessionem, quemadmodum D. Petrus, cum Christum negauit, non fidem, quasi non crederet esse Christum negauit, sed confessione sola defecit: Dixit enim se non esse eius discipulum, se non nouisse eum, cuius verè discipulus erat, & quem verè nouerat: & hac ratione dicitur: *Christum negasse.* Hoc esse veritati consentaneum, fieri perspicuum potest ex eo, quod ait Paulus cap. 10. ad Rom. *Corde ad iustitiam credi, ore autem fieri confessionem ad salutem*; quia fide quidem iustificamur,

Duplex modus negandi Christum.

Fidei confessio, ad salutem necessaria.

hæc tamen, sicut conseruari iustitia non potest, ita nec æternam vitam assequi, nisi exterius eam quis confiteatur & profiteatur, quam in corde retinet. Oris namque confessio, sicut cum Deo hominem remisso peccato, non reconciliat, ita nec iustum pronuntiat, sed fides interior. Fide tamen iustificati palam tenentur eadem profiteri, vt salutem consequantur æternam, & in eadem iustitia permanentes, eam etiam augeant. Quamobrem author Imperfect. homil 25. *Nec valet*, inquit, *oris confessio sine fide cordis: nec fides cordis sine confessione oris.*

Christus, se negantes, negat.

Proponit ergo præmium constantibus Apostolus, supplicium verò timidis, *qui negauerint*. Q. d. Christum confessurum confitentem; negaturum negantem. *Confessio* autem *coram hominibus*, dicitur confessio publica, non cordis solum, sed eitam oris siue operis. In quam sententiam, Lucæ 9. dicit: *Qui erubuerit me & sermones meos, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua.* Volens dicere, quod qui ipsum Christum coram hominibus formidabit confiteri, futurum quoque, vt in extremo iudicij die, illum coram angelis confiteri ipse erubescat. q. d. Qui me negauerint, illos ego negabo, dicens: *Nescio vos.*

Quid sit negare Christum aliquem.

Negare porro *Christum* aliquem, est eum *nescire*, scientia videlicet approbationis, vt 1. Corinth. 14. *Qui ignorat, ignorabitur.* Ex quo loco argumentatur D. Hieronymus super Amos 3. *Deum non omnes cognoscere, sed eos, qui eius cognitione sunt digni.* Quare post miracula, ad se quibusdam venientibus, dixit Dominus, Lucæ 13. *Recedite à me omnes operarij iniquitatis,*

tis, nescio vos. Et Matth. 25. dicitur fatuis virginibus; *Amen dico vobis, nescio vos.* Immò vsque adeò perhibetur Dominus reprobos *ignorare*, vt ne nominum quidem eorum memoriam habere dicatur, quemadmodum Christus ipse, in Dauidis persona testatur, Psal. 15. *Non congregabo conuenticula eorum nec memor ero nominum eorum per labia mea.* E diuerso *cognoscere* in scriptura nihil aliud est, quam approbare, quemadmodum Psal. 1. *Nouit Dominus viam iustorum.* Et Psal. 36. *Nouit Dominus dies immaculatorum.* Et Prouerb. 4. *Vias quæ à dextris sunt, nouit Dominus; peruersæ verò sunt, quæ sunt à sinistris.* Inde etiam est, quod sanctorum nomina *scire* dicitur Dominus, & *oues suas vocare nominatim*, Joan. 10.

Deus, impios penitus ignorat

Quid sit, Deũ cognoscere iustos.

20. *Si non credimus, ille fidelis permanet.*

Diuinarum promissionum aliquæ dicuntur à Theologis absolutæ, & omninò implendæ, de quibus, capit. 3. eius, quæ est ad Rom. loquens Apostolus, ait *iniquitatem hominum, non euacuare fidem & promissiones Dei*, nullumque decretum rescindere, vel retractare. Aliæ sunt promissiones & commi-nationes Dei non præcisè factæ, sed conditionales, quæ, vt adimpleantur, adesse conditio aliqua ex parte hominum debet; Quarum habetur exemplũ & testimonium apud Hierem. cap. 18. *Dixit Deus; repentè loquar aduersus gentem, & aduersus regnum, vt eradicem & destruam & discindam. Si egerit pœnitentiam gens illa, pœnitentiam agam & ego, super malo quod locutus sum*; Et hæ dicuntur à Theologis, iuxta comminationem pronuntiatę: Et in illis intelligendum est, incredulitatem & hominum demerita *non*

Diuinarum promissionum distinctio

Promissio absoluta.

Promissio siue comminatio conditionalis.

Huius promissionis exemplũ.

euacuare fidem Dei, quoniam in illis solum habet locum fides Dei, quãdoquidem illa sola dicit Deus ex se. *Quæ* etenim *Deus comminando, & promittendo, secundum merita hominum*, ait Caietanus, *pollicetur, mutabilia, ea non dicit secundum se, sed secundum illa merita, & propterea mutatis illis meritis, Dei veritas non mutatur.* Simpliciter ergo loquendo, verè dixit Apostolus, quòd tametsi Deum aliquis neget, negationem illam, aut Dei promissa non irritare, aut eius veritatem non tollere; quamuis quandoque tollat executiones, quæ erant futuræ secundum eorum merita: vt pœnitentia Niniuitarum, quæ sustulit prædictam subuersionem Niniues. Quantumcunque ergo Deus ab homine negetur, vel offendatur, *non est Deus quasi homo, vt proinde mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur.* Exemplo sit lex naturalis, qua Deus pro sua sapientiâ, genus humanum voluit obligatum; ea adeò homines immobiliter constringit, vt in Decretis, distinct. 5. sub init. sit dictum; *Naturale ius non variari tempore, sed immutabile semper permanere.* Cui consentiens Isidorus libro quinto, Etymologiæ capite quarto. *Ius naturale esse commune omnium nationum, eo quod vbique instinctu naturæ, non constitutione aliqua habeatur. Dominus Deus* enim, *miserator & misericors, patiens, multa misericordia & verax est, imò fidelis & absq; vlla iniquitate.* Deut. 3. cuius *dona & vocatio sunt sine pœnitentia* Rom. 11. quia quicquid semel promisit, certo certius implebit; nec eum aliquando promissi pœnitebit; cum semel destinata, mutatis etiam hominum voluntatibus, minimè commutet, sed immota apud eundem valeant.

Deum negans, Dei promissum non irritat.

Deus absolutè fidelis & immutabilis.

Ius naturale immutabile.

leant, tanquam absolutè volita, quemadmodum Psal. 50. authoritate cap 3 ad Rom. confirmat Apostolus dicens: *Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.* Q. d. Si tu Domine, licet à me grauiter offensus, nihilominus tamen parcens peccatis, præstiteris mihi, quæ antea promisisti, eò fiet, vt vincens hominum iudicia (qui iudicant, propter peccata mea, te non seruaturum mihi promissa) clarius appareat iustitia tuorum sermonū, id est, quàm sis fidelis, & verax, seruans promissa tua, etiam ijs, qui te vehementer offenderunt. *Deus, immotè promissa seruat*

Ex his, primo fit liquidum, quæ Deus dicit & affirmat, semper esse vera, etiamsi ea vel non credamus, vel certè non intelligamus. Propterea Ioan. 3. inuestiganti & admiranti regenerationis modum Nicodemo respondebat Dominus; *Quod scimus loquimur, & quod vidimus, testamur.* Q. d. quamuis quæ dico, non intelligas, aut credas, non ea tamen propterea vera non sunt; quod enim scio loquor, & quod vidi, testor. Eodem modo Capharnaitæ non intelligentes Eucharistiæ mysterium, Joan. 6. sunt à Domino repulsi & conuicti. *Coroll. 1.*

Secundo sequitur esse quædam quæ ne Deus quidem ipse facere possit, quia si posset, omnipotens non esset, vt ait August. 22. cap. de Ciuit. cap. 15. sicut ad Hebr. cap. 6. dictum est, *impossibile esse Deum mentiri*, quod mentiri defectum quendam importet. *Coroll. 2.*

21. *Hæc commone: testificans coram Domino.*

Quæ hactenus tradidit, à Timotheo sic alijs incul-

inculcanda cupit Apostolus, vt Dei timore interposito, contemptores terreat, si præceptis ipsius non paruerint, cum Luc. 10. scriptum sit: *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Erant tandem discipuli legati, Ecclesiæq; moderatores in spiritualibus, & in his omnibus, quæ ad hominum salutem pertinent, iuxta illud Pauli 2. Corinth. 5. *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo per nos exhortante:* Ideò ipsi, & eorum successores, vt Christus ipse, erant audiendi, nisi Dei indignationem vellent incurrere. Quamobrem. D. Bernard. tract. de præcept. & disp. *Siue Deus, siue homo vicarius Dei, mandatum quodcumque tradiderit pari profectò obsequendum est cura, pari reuerentia deferendum; vbi tamen Deo contraria non præcipit homo.* Et D. Cyprianus, epist. 69. ad Florentium: *Ad Apostolos* (inquit) *dicit Christus ac per hos ad omnes præpositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt; Qui vos audit, me audit, & qui vos, &c.* His igitur, qui eorũ obedire dictis renuerint, timorem, qui Deo debetur, ob oculos positum cupit, si fidem Dei dono habeant, doctrinam Christi audiant, miracula cernant, tartareas flammas, easq; æternas credant; pœnitentiam non agentes, mores non emendẽt, quantumuis. Væ illis, quia, si Ethnicis simulachrorum cultoribus, si Mahometanis, & Judæis ipsis, Christus eiusmodi fidem donasset, cæteraq; auxilia quæ illis donat communicasset, vitam, moresq; correxissent: Quibus tamen remissius erit, quam eiusmodi Christianis, quoniam *seruus, qui nouit voluntatem Domini sui, & non fecit, vapulabit multis; qui autem non nouit, vapulabit paucis.*

Christi discipuli, veri Dei Legati.

Discipulis, vt Deo obediendũ.

Inobedientes, Dei timore coercendi.

Alij,

Alij, præsentia verba ad hunc modum interpretantes, ideò Deum in testem à Timotheo vocandũ volunt; vt intelligant subditi, quis ipsos sit iudicaturus, si prælatum & pastorem suum fuerint aspernati. Hoc enim est propriè *testificari*, ait Chrysost. in 20. cap. Act. *liberè loqui, quamuis non attendant, quibus loquâre.* Quo pacto, Moyses quoque testificabatur cœlum & terram, Deuteron. 32. Hoc modo Actorum 20. cum suam solicitudinem & animi promptitudinem probasset Apostolus, (quam in ijs, ait Chrysostomus *qui præsunt exigit*) *testificabatur Iudæis, atque Gentilibus, in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum*, cum prælatus propter importunitatem, docendi munus defugere non possit, si animam suam saluam velit. Atq; hic loquendi modus, quem loco citato vsurpat Apostolus, testificandi vim exprimit, cum ait: *Vos scitis, à prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, quomodo nihil subtraxerim vtilium, quo minus annuntiarem vobis, & docerem vos publicè, &c.* Circa quæ verba primum ait Chrysostomus: *Auditorum testimonium affert, ne putes superba esse verba vel quod mentiatur, estque Doctoris virtus, quando suorum operum testes habet discipulos.* Etiam à suis, quos gubernauerat Samuel, testimonium exigit 1. Reg. 12. cum dixit: *Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius testificando, &c.* Hæc enim verba *coram Deo* siue *Domino*, quandam iurandi formulam exprimunt quam non vno loco interponit Apostolus, cum suum animum ab omni sceleris labe constanter volens vindicare.

Alia huius loci expositio.

Quid propriè sit testificari.

Coram Domino *vocalis iuramenti formula exprimitur.*

g addit

addit *coram Domino*, iuramento videlicet execratorio, Deum suæ innocentiæ testem adducendo ad Galat primo, Primæ ad Timotheũ quarto iuxta quam significationem, secundo Reg. 3. dicitur, *Mundus ego sum apud Dominum*, quod ex Hebræo vertitur *coram Domino*, id est, Deo teste. Sic hoc loco, inculcaturus Timotheo pastoralis officij sui se fuisse memorem, nec quicquam præterijsse, quod ad ipsius instructionem pertineret, Deum adducit in testem: vt & ad sui imitationem ipse Timotheus, vbi munus suum fuerit executus, vicissim coram suis auditoribus protestetur se nihil eorum omisisse, quæ ad illorum salutem spectassent.

22. *Noli contendere verbis.*

Diuersa Latinorum & Græcorum huius loci lectio.

Hunc locum aliter à Græcis, aliter à Latinis distingui & explicari, inter alios annotat Adamus Sasboũt. Et Græci quidem, Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius & alij, huius loci sententiam præcedentibus ita iungendam putant, vt à Participio *testificans*, siue *contestans* dependeat, vt non Timotheum doceat Apostolus à verborum contentione abstinere, sed alios ad id vitij procliues, à Timotheo velit, Deo in testem assumpto, moneri, hoc sensu: *Hæc admone testificans coram Domino*, ne verborum pugnas sequantur. Hanc Græcorum lectionem, vulgatæ præponens (cum dubio tamen) recentiorum quidam, in talem suspicionem adducitur,

tur, vt velit Latinum Interpretem, non *Noli* (vt nos habemus) sed *Non* conuertisse: sic: *Non contendere verbis* (hic enim est, inquit ille, verborum ordo in libris omnibus Manuscriptis) eo quod minimum differant *Non* & *Noli*, in scriptis præsertim minori charactere libris, & facilè id mutet, quod non intelligit audax imperitia. Cæterum Augustinus, libro primo contra Cresconium, Ambrosius, vulgo Hieronymus, & Latinorum plerique, pro nostra vulgata lectione faciunt, cum & Imperatiuum *Noli*, retinent, & vt nouæ sententiæ caput accipiunt.

Contendendi porrò verbo, non studium, seu conatum honestum, aut orationis ex contrarijs compositæ vim prohibet Apostolus, cum Lucæ decimo tertio, omnes adhortetur, Dñs vt contendãt *intrare per angustam portam*; sed omnẽ alteractionem verborum cum proximo, contra veritatem, ad eam impugnandam intelligit. Quæ cum ex superbia, vel inani gloria nascatur, (sicut Lucæ vigesimo secundo, dicitur inter Apostolos, *factam esse contentionem, quis videretur esse maior*) mirum non est, si frequenter in scriptura damnatam, ab Episcopo remotam esse hoc loco velit Apostolus, tanquam peccatum grauissimum. Ad Romanos primo, *Plenos inuidia, homicidio, contentione*. Ad Galatas 5. sub vocabulo *dissentionum*, inter opera carnis numeratur. 1. Cor. 1. *Sitis autem perfecti*, (per charitatẽ nimirum) *in eodẽ sensu, & in eadẽ sententia; significatum est autem mihi, quoniam contentiones sunt inter vos;*

Contendendi verbum, quid hoc loco significet.

Contentio ab Episcopo removenda.

quæ scilicet, vt ait Glossa super cap. 1. ad Roman. impugnant veritatem cum confidentia clamoris. Quod trifariam potest contingere; Vel cum quis contendit aduersus agnitam veritatem, id quod ait Caietanus, esse *Formaliter* impugnare veritatem; Vel, cùm quis rem propositam, qualiscumque sit, ita oppugnat, vt non curet, verane sit an falsa; id quod ait idem Caietanus, esse oppugnare *Virtualiter* veritatem, quia scilicet vult eam oppugnare, etiamsi sit vera: Vel denique, cùm quis potest & debet scire, veram esse rem propositam, quam oppugnat: quo modo veritatem fidei oppugnant Hæretici. Nam sic etiam censetur quis facilè & virtualiter veritatem oppugnare vel voluntariè.

Trifariam veritas impugnatur.

1.

2.

3.

Quamobrem amicis secum sermocinantibus: *Respondete* (inquit Job) *obsecro absq; contentione, & loquentes id, quod iustum est, iudicate.* Q. d. Nihil per contentionem, aut iniquum contradicendi studium à vobis dicatur aut statuatur, eo quod nihil iniquius sit, quàm veritatem oppugnare. Nam si ille iniustus est, qui *veritatem detinet*, Roman. 1. quid de eo sentiendum, qui illam opprimit, lacerat, conuellit? Inde est, quod ad Roman. 1. *contentionem* cum iniquitate coniũgat, perstringens garrulos Judæos veritatis impugnatores: *Qui sunt*, inquit, *ex contentione, qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati.* In quibus verbis, *malitiam voluntariam* significari, obseruauit Chrysostomus, quam sicut olim in Gentibus & Judæis, ita hodie in hæreticis est reperire, qui non coăcti, sed sponte veritatem respuunt, & iniustitiam amplectuntur.

Iniquum est, contentionibus veritatem oppugnare.

Hæretici, veritatis oppugnatores.

Magno

Magno enim est, contentionis vitium mentibus hominum impedimento, ne veritatem amplectantur. Vnde 1. Cor. 11. *Si quis videtur esse contentiosus, nos talem consuetudinem non habemus.* Et ad Rom. 13. *Non in contentione & æmulatione.* Cum enim veritas, ad recta & legitima dogmata credendorum & agendorum hominis animum deducat; Hæretici porrò veritati non acquiescant, nec obtemperent, cum eam sua culpa deserant, nec assequantur: tum ij maximè sunt *contentiosi* & pertinaces, quos suo proprij cerebri cupiditas rapit & affectus impellit, vt quod ratio recta, aut disciplina ordinata dictat, non amplectantur. Vnde mirum non est, *quod iniquitati credant* siue *acquiescant*, & se dedant iniustitiæ, hoc est, omnibus vitiis & peccatis, quemadmodum in hodiernis Sectariis est videre, quos tam dictis quam scriptis contentiosos, tribulatio manet & angustia, cum *Domini manum non sint euasuri.* Rom. 2. His enim ferè semper consuetum est, vt inter disputandum, ad dicteria & scommata, siue dicenda, siue regerenda potius se conuertant, quam vel ad rem agendam, vel veritatem persequendam: Cum tamen è diuerso Catholici Christianæ modestiæ memores, de sola veritatis indagatione sint soliciti. Exemplum Ioram regis Israel sequuntur, qui de salute sua solicitus, cum rogaturus de belli euentu adiisset Helisæum, acerbius ab illo exceptus est: *Dixit autē Helisæus ad regem Israel; Quid mihi, & tibi est? Vade ad Prophetas patris tui & matris tuæ.* Nihil ad hæc respondit Ioram, sed in rem suam intentus, dixit: *Quare* (inquam) *congregauit Dominus Deus tuus reges hos, vt traderet eos in manus Moab?* Exardescente iterum Helisæo, atque dicente; *Viuit*

Contentio, veritati inimica.

Contentiosis Sectariis tribulatio nō decrit.

Contentio, Sectariis propria.

Catholicorum modestia.

hæc tamen, sicut conseruari iustitia non potest, ita nec æternam vitam assequi, nisi exterius eam quis confiteatur & profiteatur, quam in corde retinet. Oris namque confessio, sicut cum Deo hominem remisso peccato, non reconciliat, ita nec iustum pronuntiat, sed fides interior. Fide tamen iustificati palam tenentur eadem profiteri, vt salutem consequantur æternam, & in eadem iustitia permanentes, eam etiam augeant. Quamobrem author Imperfect. homil 25. *Nec valet*, inquit, *oris confessio sine fide cordis: nec fides cordis sine confessione oris.*

Christus, se negantes, negat.

Proponit ergo præmium constantibus Apostolus, supplicium verò timidis, *qui negauerint*. Q. d. Christum confessurum confitentem; negaturum negantem. *Confessio* autem *coram hominibus*, dicitur confessio publica, non cordis solum, sed etiam oris siue operis. In quam sententiam, Lucæ 9. dicit: *Qui erubuerit me & sermones meos, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua.* Volens dicere, quod qui ipsum Christum coram hominibus formidabit confiteri, futurum quoque, vt in extremo iudicij die, illum coram angelis confiteri ipse erubescat. q. d. Qui me negauerint, illos ego negabo, dicens: *Nescio vos.*

Quid sit negare Christum aliquem.

Negare porro *Christum* aliquem, est eum *nescire*, scientia videlicet approbationis, vt 1. Corinth. 14. *Qui ignorat, ignorabitur.* Ex quo loco argumentatur D. Hieronymus super Amos 3. *Deum non omnes cognoscere, sed eos, qui eius cognitione sunt digni.* Quare post miracula, ad se quibusdam venientibus, dixit Dominus, Lucæ 13. *Recedite à me omnes operarij iniquitatis,*

tis, nescio vos. Et Matth. 25. dicitur fatuis virginibus; *Amen dico vobis, nescio vos.* Immò vsque adeò perhibetur Dominus reprobos *ignorare*, vt ne nominum quidem eorum memoriam habere dicatur, quemadmodum Christus ipse, in Dauidis persona testatur, Psal. 15. *Non congregabo conuenticula eorum nec memor ero nominum eorum per labia mea.* E diuerso *cognoscere* in scriptura nihil aliud est, quam approbare, quemadmodum Psal. 1. *Nouit Dominus viam iustorum.* Et Psal. 36. *Nouit Dominus dies immaculatorum.* Et Prouerb. 4. *Vias quæ à dextris sunt, nouit Dominus; peruersæ verò sunt, quæ sunt à sinistris.* Inde etiam est, quod sanctorum nomina *scire* dicitur Dominus, & *oues suas vocare nominatim*, Joan. 10.

Deus, impios penitus ignorat

Quid sit, Deū cognoscere iustos.

20. *Si non credimus, ille fidelis permanet.*

Diuinarum promissionum aliquæ dicuntur à Theologis absolutæ, & omninò implendæ, de quibus, capit. 3. eius, quæ est ad Rom. loquens Apostolus, ait *iniquitatem hominum, non euacuare fidem & promissiones Dei*, nullumque decretum rescindere, vel retractare. Aliæ sunt promissiones & comminationes Dei non præcisè factæ, sed conditionales, quæ, vt adimpleantur, adesse conditio aliqua ex parte hominum debet; Quarum habetur exemplū & testimonium apud Hierem. cap. 18. *Dixit Deus; repentè loquar aduersus gentem, & aduersus regnum, vt eradicem & destruam & discindam. Si egerit pœnitentiam gens illa, pœnitentiam agam & ego, super malo quod locutus sum*; Et hæ dicuntur à Theologis, iuxta comminationem pronuntiatę: Et in illis intelligendum est, incredulitatem & hominum demerita *non*

Diuinarum promissionum distinctio

Promissio absoluta.

Promissio siue comminatio conditionalis.

Huius promissionis exemplū.

euacuare fidem Dei, quoniam in illis solum habet locum fides Dei, quãdoquidem illa sola dicit Deus ex se. *Quæ* etenim *Deus comminando, & promittendo, secundum merita hominum*, ait Caietanus, *pollicetur, mutabilia, ea non dicit secundum se, sed secundum illa merita, & propterea mutatis illis meritis, Dei veritas non mutatur.* Simpliciter ergo loquendo, verè dixit Apostolus, quòd tametsi Deum aliquis neget, negationem illam, aut Dei promissa non irritare, aut eius veritatem non tollere; quamuis quandoque tollat executiones, quæ erant futuræ secundum eorum merita: vt pœnitentia Niniuitarum, quæ sustulit prædictam subuersionem Niniues. Quantumcunque ergo Deus ab homine negetur, vel offendatur, *non est Deus quasi homo, vt proinde mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur.* Exemplo sit lex naturalis, qua Deus pro sua sapientiâ, genus humanum voluit obligatum; ea adeò homines immobiliter constringit, vt in Decretis, distinct. 5. sub init. sit dictum; *Naturale ius non variari tempore, sed immutabile semper permanere.* Cui consentiens Isidorus libro quinto, Etymologiæ capite quarto. *Ius naturale esse commune omnium nationum, eo quod vbique instinctu naturæ, non constitutione aliqua habeatur. Dominus Deus* enim, *miserator & misericors, patiens, multa misericordia & verax est, imò fidelis & absq; vlla iniquitate.* Deut. 3. cuius *dona & vocatio sunt sine pœnitentia* Rom. 11. quia quicquid semel promisit, certo certius implebit; nec eum aliquando promissi pœnitebit; cum semel destinata, mutatis etiam hominum voluntatibus, minimè commutet, sed immota apud eundem valeant,

Deum negans, Dei promissum non irritat.

Deus absolutè fidelis & immutabilis.

Ius naturale immutabile.

leant, tanquam absolutè volita, quemadmodum Psal. 50. authoritate cap 3 ad Rom. confirmat Apostolus dicens: *Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.* Q. d. Si tu Domine, licet à me grauiter offensus, nihilominus tamen parcens peccatis, præstiteris mihi, quæ antea promisisti, eò fiet, vt vincens hominum iudicia (qui iudicant, propter peccata mea, te non seruaturum mihi promissa) clarius appareat iustitia tuorum sermonũ, id est, quàm sis fidelis, & verax, seruans promissa tua, etiam ijs, qui te vehementer offenderunt. *Deus, immotè promissa seruat*

Ex his, primo fit liquidum, quæ Deus dicit & affirmat, semper esse vera, etiamsi ea vel non credamus, vel certè non intelligamus. Propterea Ioan. 3. inuestiganti & admiranti regenerationis modum Nicodemo respondebat Dominus; *Quod scimus loquimur, & quod vidimus, testamur.* Q. d. quamuis quæ dico, non intelligas, aut credas, non ea tamen propterea vera non sunt; quod enim scio loquor, & quod vidi, testor. Eodem modo Capharnaitæ non intelligentes Eucharistiæ mysterium, Joan. 6. sunt à Domino repulsi & conuicti. *Coroll. 1.*

Secundo sequitur esse quædam quæ ne Deus quidem ipse facere possit, quia si posset, omnipotens non esset, vt ait August. 22. cap. de Ciuit. cap. 15, sicut ad Hebr. cap. 6. dictum est, *impossibile esse Deum mentiri*, quod mentiri defectum quendam importet. *Coroll. 2.*

21. *Hæc commone: testificans coram Domino.*

Quæ hactenus tradidit, à Timotheo sic alijs incul-

inculcanda cupit Apostolus, vt Dei timore interposito, contemptores terreat, si præceptis ipsius non paruerint, cum Luc. 10. scriptum sit: *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Erant tandem discipuli legati, Ecclesiæq; moderatores in spiritualibus, & in his omnibus, quæ ad hominum salutem pertinent, iuxta illud Pauli 2. Corinth. 5. *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo per nos exhortante:* Ideò ipsi, & eorum successores, vt Christus ipse, erant audiendi, nisi Dei indignationem vellent incurrere. Quamobrem. D. Bernard. tract. de præcept. & disp. *Siue Deus, siue homo vicarius Dei, mandatum quodcumque tradiderit pari profectò obsequendum est cura, pari reuerentia deferendum; vbi tamen Deo contraria non præcipit homo.* Et D. Cyprianus, epist. 69. ad Florentium: *Ad Apostolos (inquit) dicit Christus ac per hos ad omnes præpositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt; Qui vos audit, me audit, & qui vos, &c.* His igitur, qui eorũ obedire dictis renuerint, timorem, qui Deo debetur, ob oculos positum cupit, si fidem Dei dono habeant, doctrinam Christi audiant, miracula cernant, tartareas flammas, easq; æternas credant; pœnitentiam non agentes, mores non emendēt, quantumuis. Væ illis, quia, si Ethnicis simulachrorum cultoribus, si Mahometanis, & Judæis ipsis, Christus eiusmodi fidem donasset, cæteraq; auxilia quæ illis donat communicasset, vitam, moresq; correxissent: Quibus tamen remissius erit, quam eiusmodi Christianis, quoniam *seruus, qui nouit voluntatem Domini sui, & non fecit, vapulabit multis; qui autem non nouit, vapulabit paucis.*

Christi discipuli, veri Dei Legati.

Discipulis, vt Deo obediendũ.

Inobedientes, Dei timore coercendi.

Alij,

Alij, præsentia verba ad hunc modum interpretantes, ideò Deum in testem à Timotheo vocandũ volunt; vt intelligant subditi, quis ipsos sit iudicaturus, si prælatum & pastorem suum fuerint aspernati. Hoc enim est propriè *testificari*, ait Chrysost. in 20. cap. Act. *liberè loqui, quamuis non attendant, quibus loquâre*. Quo pacto, Moyses quoque testificabatur cœlum & terram, Deuteron. 32. Hoc modo Actorum 20. cum suam solicitudinem & animi promptitudinem probasset Apostolus, (quam in ijs, ait Chrysostomus *qui præsunt exigit*) *testificabatur Iudæis, atque Gentilibus, in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum*, cum prælatus propter importunitatem, docendi munus defugere non possit, si animam suam saluam velit. Atq; hic loquendi modus, quem loco citato vsurpat Apostolus, testificandi vim exprimit, cum ait: *Vos scitis, à prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, quomodo nihil subtraxerim vtilium, quo minus annuntiarem vobis, & docerem vos publicè, &c.* Circa quæ verba primum ait Chrysostomus: *Auditorum testimonium affert, ne putes superba esse verba vel quod mentiatur, estque Doctoris virtus, quando suorum operum testes habet discipulos.* Etiam à suis, quos gubernauerat Samuel, testimonium exigit 1. Reg. 12. cum dixit: *Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius testificando, &c.* Hæc enim verba *coram Deo* siue *Domino*, quandam iurandi formulam exprimunt quam non vno loco interponit Apostolus, cum suum animum ab omni sceleris labe constanter volens vindicare, addit

Alia huius loci expositio.

Quid propriè sit testificari.

Coram Domino vocalis iuramenti formula exprimitur.

addit *coram Domino*, iuramento videlicet exe-
cratorio, Deum suæ innocentiæ testem adducendo ad Galat primo, Primæ ad Timotheũ quarto iuxta quam significationem, secundo Reg. 3. dicitur, *Mundus ego sum apud Dominum*, quod ex Hebræo vertitur *coram Domino*, id est, Deo teste. Sic hoc loco, inculcaturus Timotheo pastoralis officij sui se fuisse memorem, nec quicquam præterijsse, quod ad ipsius instructionem pertineret, Deum adducit in testem: vt & ad sui imitationem ipse Timotheus, vbi munus suum fuerit executus, vicissim coram suis auditoribus protestetur se nihil eorum omisisse, quæ ad illorum salutem spectassent.

22. *Noli contendere verbis.*

Diuersa Latinorum & Græcorum huius loci lectio.

Hunc locum aliter à Græcis, aliter à Latinis distingui & explicari, inter alios annotat Adamus Sasboüt. Et Græci quidem, Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius & alij, huius loci sententiam præcedentibus ita iungendam putant, vt à Participio *testificans*, siue *contestans* dependeat, vt non Timotheum doceat Apostolus à verborum contentione abstinere, sed alios ad id vitij procliues, à Timotheo velit, Deo in testem assumpto, moneri, hoc sensu: *Hæc admone testificans coram Domino*, ne verborum pugnas sequantur. Hanc Græcorum lectionem, vulgatæ præponens (cum dubio tamen) recentiorum quidam, in talem suspicionem adducitur,

tur, vt velit Latinum Interpretem, non *Noli* (vt nos habemus) sed *Non* conuertisse: sic: *Non contendere verbis* (hic enim est, inquit ille, verborum ordo in libris omnibus Manuscriptis) eo quod minimum differant *Non* & *Noli*, in scriptis præsertim minori charactere libris, & facilè id mutet, quod non intelligit audax imperitia. Cæterum Augustinus, libro primo contra Cresconium, Ambrosius, vulgo Hieronymus, & Latinorum plerique, pro nostra vulgata lectione faciunt, cum & Imperatiuum *Noli*, retinent, & vt nouæ sententiæ caput accipiunt.

Contendendi porrò verbo, non studium, seu conatum honestum, aut orationis ex contrarijs compositæ vim prohibet Apostolus, cum Lucæ decimo tertio, omnes adhortetur, Dñs vt contendāt *intrare per angustam portam*; sed omnē altercationem verborum cum proximo, contra veritatem, ad eam impugnandam intelligit. Quæ cum ex superbia, vel inani gloria nascatur, (sicut Lucæ vigesimo secundo, dicitur inter Apostolos, *factam esse contentionem, quis videretur esse maior*) mirum non est, si frequenter in scriptura damnatam, ab Episcopo remotam esse hoc loco velit Apostolus, tanquam peccatum grauissimum. Ad Romanos, primo, *Plenos inuidia, homicidio, contentione*. Ad Galatas 5. sub vocabulo *dissentionum*, inter opera carnis numeratur. 1. Cor. 1. *Sitis autem perfecti*, (per charitatē nimirum) *in eodē sensu, & in eadē sententia; significatum est autem mihi, quoniam contentiones sunt inter vos*;

Contendendi Verbum, quid hoc loco significat.

Contentio ab Episcopo remouenda.

Magno enim est, contentionis vitium mentibus hominum impedimento, ne veritatem amplectantur. Vnde 1. Cor. 11. *Si quis videtur esse contentiosus, nos talem consuetudinem non habemus.* Et ad Rom. 13. *Non in contentione & æmulatione.* Cum enim veritas, ad recta & legitima dogmata credendorum & agendorum hominis animum deducat; Hæretici porrò veritati non acquiescant, nec obtemperent, cum eam sua culpa deserant, nec assequantur: tum ij maximè sunt *contentiosi* & pertinaces, quos suo proprij cerebri cupiditas rapit & affectus impellit, vt quod ratio recta, aut disciplina ordinata dictat, non amplectantur. Vnde mirum non est, *quod iniquitati credant* siue *acquiescant*, & se dedant iniustitiæ, hoc est, omnibus vitiis & peccatis, quemadmodum in hodiernis Sectariis est videre, quos tam dictis quam scriptis contentiosos, tribulatio manet & angustia, cum *Domini manum non sint euasuri.* Rom. 2. His enim ferè semper consuetum est, vt inter disputandum, ad dicteria & scommata, siue dicenda, siue regerenda potius se conuertant, quam vel ad rem agendam, vel veritatem persequendam: Cum tamen è diuerso Catholici Christianæ modestiæ memores, de sola veritatis indagatione sint soliciti. Exemplum Ioram regis Israel sequuntur, qui de salute sua solicitus, cum rogaturus de belli euentu adiisset Helisæum, acerbius ab illo exceptus est: *Dixit autē Helisæus ad regem Israel; Quid mihi, & tibi est? Vade ad Prophetas patris tui & matris tuæ.* Nihil ad hæc respondit Ioram, sed in rem suam intentus, dixit: *Quare* (inquam) *congregauit Dominus Deus tuus reges hos, vt traderet eos in manus Moab?* Exardescente iterum Helisæo, atque dicente; *Viuit*

Contentio, veritati inimica.

Contentiosis Sectariis tribulatio nō deerit.

Contentio, Sectariis propria.

Catholicorum modestia.

Dominus exercituum, in cuius conspectu sto, quod si nō vultum Iosaphat regis Iudæ erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem. Expectauit nihilominus Ioram patienter responsum. Quid enim tunc curaret verba grauiora; meliora curans.

23. *Nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium.*

Cur non contendendum.

Causam reddit; cur nudis verbis Timotheum nolit contendere; quia pugnæ verborum, inquit, nihil aliud quàm discordias serunt, & animorum generant circa boni verique indagationem, dissentiones, cum certa & indubitata fidei dogmata suis altercationibus, magno audientium offendiculo incerta reddunt & ambigua; Ideo non tam steriles, & inanes esse ad fidelium instructionem verborum diatribas affirmat Paulus, quam perniciosas & scandali plenas; quas ideo Galat. 5. inter opera carnis sic enumerat, vt *qui talia agunt, regnum Dei non consecuturos* dicat. Et sane moraliter loquendo, quid stultius, non tam ex simplicis veritatis asserendæ studio, atque ex sincera amicitia disputare; quàm verborum strepitu ad rixas & contentiones prouocare. Qui namque non tam humanitate quadam animi & infirmitatis proximorum compassione, quam vel contendendi, vel suæ existimationis tuendæ cupiditate disserendo ducuntur; nimis timere videntur ne, si quippiam de suæ disputationis seueritate, aut de suæ reprehensionis minis remittant: aut si is, cum quo controuersia illis est, permittatur liberè pro se dice-

Contentio, inter opera carnis numeratur, Nihil contentione stultius.

dicere, vel melius, vel æqualiter respondere ad ea, quæ ipsi obiiciunt, in detrimentum sui honoris redundet. Hoc modo Ionas, capite quarto, dedecori & ignominiæ sibi existimabat, quod Deus non subuertisset Niniuen, etiam ante impletum illum 40. dierum numerum. Sic enim scribitur: *Afflictus est Ionas afflictione magna, & iratus est. Scio enim quia tu es Deus clemens. Et nunc Domine, tolle quæso, animam meam à me, quia melior est mihi mors quàm vita.* Quibus verbis, salutem Niniuitarum sibi futuram putabat ignominiosam. Quo pacto, zelantes sæpe commouentur, cùm vel ex metu, vel ex ira, vel ex suspicione alicuius mali, & cum zelo quodam atque æmulatione ob alterius bonum indignantur. Longè sane æquius loquebatur Micheas, capite secundo dicens; *Vtinam essem vir non habens spiritum, & mendacium potius loquerer. Diem hominis, diem contritionis, diem infirmitatis, vel doloris non desideraui.* Mirum, vt ambitio & contentio disputandi soleat interdum amicorum animos abalienare, inter ipsos fratres disseminare discordias, & velut intestino & ciuili bello, infensos reddere sibi inuicem filios & discipulos parentibus atque magistris, seniorésque adolescentioribus, & in eadem Republica, & in eadem familia, & domo inuicem prouocantes, inuidentes. Hæc enim videtur illa inuidiæ, iræ, & contentionis acies, quæ aliquid crudelitatis & indignationis sonat, & fratres in sese mutuo armat, de qua scriptum est Prouerbiorum vigesimo septimo: *Ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici sui.*

Contentiosi Ionæ Prophetæ comparantur.

Contentio, discordiarum fatrix.

Vnde

Vnde idem Sapiens Prouerb. 6. *Sex sunt quæ odit Dominus*, ait; additur septimo is, *qui seminat inter fratres discordias*, de quo ibi dicitur: *Et septimum detestatur anima mea.* Cuius ratio, tum ex eius causa, tum ex effectis peti potest: Nam ex superbia & inani arrogantia, vel etiam in inuidia, ortus sui principium trahens, plurima, teste Domino, mala parit, animorum dissensio & discordia, Matth. 12. *Omne regnum in se diuisum desolabitur.* Vbi Hieronymus; *Quomodo*, inquit, *concordia res paruæ crescunt, sic discordia maximæ dilabuntur.* Et Nazianzen. in orat. 3. de Pace, loqués de Antichristo: *Neque enim*, inquit, *sanos aggreditur, nec charitate septos atque firmatos, sed regnum in seipsum prius diuidi necesse est, ac tunc vasa diripi, nobisque eadem accidere, quæ nunc hosti nostro accidisse perspicimus.* Et in orat. de moderat. in disputat. habenda: *Quid*, inquit, *in nostra doctrina præstantissimum est? Pax; addam etiam vtilissimum. Contrà, quid turpissimum & perniciosissimum? Voluntatum disiunctio.* Ac licet etiam huius vitij damna, & turpitudinem cognoscere ex illo eius habitu, descripto per Petronium:

Contentio, plurimorum malorum parens.

Poëtica discordiæ descriptio.

------------scisso Discordia crine
Extulit ad superos stygium caput: huius in ore
Concretus sanguis: contusaque lumina flebant.
Stabant irati scabra rubigine dentes,
Tabo lingua fluens, obsessa draconibus ora,
Atque inter toto laceratam pectore vestem
Sanguineam tremula quatiebat lampada dextra.

Subuertendi verbum, quid importet.

Scite admodum *subuertendi* verbo, illam mutationem & transitum significauit Apostolus, quam efficit gladius diuidendo vel scindendo, vel quam res ipsa patitur, quæ mutatur. Illa igitur mutatio, quam

quam suis litibus & diatribis efficiunt elati Doctores, aptissimè *subuersionis* nomine significatur; quo verbo cap. 11. Iob est vsus: *Si subuerterit* (Deus) *omnia, vel in vnum coarctauerit*, hoc est, si euerterit, delere, succidere, diuidere, & separare voluerit, quæ suapte natura iungi & vniri nata sunt. Eodem verbo vsus est idem Iob cap. 12. volens ostendere, omnia creata, Dei prouidentia, diuinæque sapientiæ moderatione indigere, quæ velut in recto fræno, præcipitem rerum omnium impetum, certa lege atque ratione moderetur: *Si continuerit aquas*, inquit, *omnia siccabuntur, & si emiserit eas, subuertent terram*, hoc est, inuoluent, obruent, perdent terram, & priori deleta facie ac pulchritudine, aliam inducent turpiorem, confusam, &c. id est, *vertet maledictionem eius in benedictionem*. Deuteron. 23.

Has porro verborũ pugnas cap. 6. 1. ad Timoth. epistolæ damnabat Apostolus, cum diceret: *Si quis non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei, qui secundum est pietatem doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languens circa pugnas verborum; ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes*; quemadmodum fuerit videre in Corinthiis 2. Corinth. 1. cum alter Pauli, *alter Christi, alter Apollinis se esse* diceret. Et ex epist. ad Galat. Hæreticis enim non est satis, vt Christianos atque Catholicos perniciosis doctrinis à grege Christi abducant, suosque faciant discipulos, qui Ecclesiæ fuerant; (quemadmodum ait Paulus Actor. 20. vt *abducant discipulos post se*, id est, post sensum & Spiritum suum) sed vt seipsos prædicent, veritatis regulam deprauantes, prout scripsit Irenæus, lib. 3. cap. 2.

Verborum pugna.

Hæreticorum agendi modus.

Haeretici nouitatum studiosi.

Nam à communi & recepta fidei regula, *profanis vocum nouitatibus*, & sermonum dulcedine abductos, ad sua noua particularia dogmata pertrahāt. *Veniunt* enim *in nomine suo*, vt Christus dixit, Ioan. 5. de suo sensu & spiritu loquūtur; denique vt Diabolo Christus dixit Ioan. 8. *ex propriis loquuntur*. Itaque, ad se & sua dogmata propria, alienas oues, Ecclesiæ Catholicæ videlicet, furātur: Paganos & infideles ad Christi fidem non conuertunt, sed oues Christi rapiunt, illas mactant & perdunt.

24. Solicitè autem cura teipsum probabilem exhibere Deo.

Graci verbi σπȣ́δαζον, varia interpretationes.

Verbū Græcū σπȣ́δαζον variè hinc inde ab Interpretibus versum, annotat Adamus Sasbōut, dicens illud esse studij & diligentiæ. Nunc enim per verbum *satagere* exponitur 2. Petri 3. quasi Timotheum commonefaciat, vt bene operando satagat, & bene studioseque laboret. Nunc per verbum festinare, quemadmodum ad Hebr. 4. Quasi vellet Timotheum Apostolus vt festinaret nunc aliter & aliter *se Deo probare*, hoc est, ita in officij sui functione gerere, vt eius sincera intentio, honestum studium, & pius labor à Deo approbentur, cuius scientiæ latitudo eò se extendit, vt etiam singulares hominum quascumque actiones norit, singulaque etiam securissima, nutu suo scrutetur, abditos animi recessus inuestiget ac perquirat, vt quem latere nihil possit, adeò, vt (quod 2. Corinth. 4. scriptum est) *non qui seipsum commendat, probatus sit; sed quem Deus commendat*, qui scilicet, hominum *corda & renes scrutatur*, vnde homi-

hominum cogitationes & studia proficiscuntur. Q. d. Si de veritate disserendum est, ante omnia vide, quo zelo aut fine id facias. Si enim vt vicisse duntaxat videâre, hanc prouinciam susceperis, superbiæ & inanis gloriæ notam non effugies: Si verbis nudis, non attenta puræ veritatis defensione contendes, contentiosus dicêris: si exercitij causa moderatè, tam ad fidei illustrationem, quàm ad proximi ædificationem disputabis, rem laude dignam efficies. Neque satis est de fidei momentis & religionis dogmatibus acutè disserere, nisi quæ religionis norma tradit atque amussis ostendit, reipsa effectui operando, mandentur. *Huius sententia paraphrasis.*

Ideo subdit: oportere Episcopum *operarium* esse *inconfusibilem:* Quòd duobus modis exponi potest: Vno, quasi se ministrū debeat Episcopus talem exhibere, qui non erubescat, id est, quem nullus pudor in vlla re impediat, quo minus quæ vera, rectaq; sunt edisserat, libéterque, quod sentit, profiteatur. Quod Paulus addidit, ratione sui temporis, quo Iudæi scādalum patiebantur, & Gentiles ridebant, quòd in homine crucifixo salutis æternæ spem exitiique solatium mortales reponerent; quæ tamen religio Christiana liberè tradebat, & publicè profitebatur, quemadmodum testatur Apostolus 1. Corinth. 1. *Iudæi,* inquit, *signa petunt, & Græci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentilibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis, Christum Dei virtutem & Dei sapientiam, quod stultū est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* *Operarij inconfusibilis, duplex expositio.*

Secunda expositio. Altero modo potest exponi, quasi res exigui sit momenti de fidei veritatibus & præceptis Christianæ professionis disserere & altercari, si quæ dicuntur, non mandentur effectui, & opere non compleantur; cum fides sine operibus sit mortua, & *ex operibus* vera *fides* commonstretur, Iacob. 3. Ex quibus fit euidens, Lutheranos ad probandum, posse hominem se exhibere Deo *operarium probabilem* per solam fidem, nequiter hæc duo vocabula *probabilem*, & *operarium* disiunxisse, vnumque ab altero separasse, cùm tamen, secundum Apostolum, nemo Deo probetur sine opere, vnde operarius est aliquis & dicitur.

Lutheranorum fraus.

25. *Rectè tractantem verbum veritatis.*

Græcum Participium, quid hoc loco significet. Participium ὀρθοτομοῦντα, non *tractantem*, sed rectè scindentem & diuidentem significat; Quasi Paulus à Timotheo cuperet, vt in prædicando veritatis verbo, inutilia, & aliena, ac superuacanea rescindat. Est autem sumpta Metaphora, vel à coriariis, qui superflua resecant; Vel à cocis, quorum est rectè diuidere: quo sensu, Plato dialectices imperitum, alicubi *malum cocum* appellat: Vel à gladio illo ancipiti, cui ipsum veritatis verbum comparatur, vt scilicet eodem ipso veritatis Verbo recte secetur & diuidatur prædicatio, resecando superflua, leuia, ridicula, minus grauia, & omnia, quæ cum prædicandi muneris maiestate non consentiunt: Vel denique à dentibus, quibus Ecclesiæ Doctores & Pastores varias ob causas, vt videre est apud S. Bernard. serm. 63. comparantur. Sicut enim dentes præcipuè conferunt ad comminuendum & conterendum cibum, sine quo attritu

Vnde nam desumpta huius loci Metaphora.

Ecclesiæ Doctores, varias ob causas dentibus comparantur.

attritu non posset is postea bene concoqui: ita sacræ doctrinæ cibum frangere, terere, & quasi præmansum in os audientium ingerere debet prædicator; non quidem eundem eodemq; modo confectum, & comparatum præbere omnibus, sed accommodatè ad singulorum habilitatem atq; captum. Quibusdam enim solidior, alijs tenerior ac mollior, quibusdam copiosior, alijs parcior & scindendus & tribuendus est cibus. Hinc Beda, Cant. capit. 4. locum; *Dentes tui sicut greges tonsarum, &c.* explicans: *Solent*, inquit, *nutrices particulas panis dentibus conficere, & inter lactandum in paruulorum faucibus minuta mansa immittere, donec eos paulatim abstractos à lacte, ad esum panis perducant; sic sancta mater Ecclesia habet Doctores, qui instar vberum lac doctrina mollioris accipientibus ministrent: habet eosdem non ignaros bene proficientibus panem verbi fortioris porrigere.* Huc pertinet illa, apud Prophetam comminatio, 1. Thren. 4. *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.*

Pastores ad auditoris captum sua accommodent.

Sciendum est autem, primo triplicem in Euangelio *veritatem* contineri, &c. Prima *veritas* est res ipsa per vmbras & figuras significata; sicut canit Ecclesia: *Vmbram fugat veritas*: Altera est, promissionum complementum, vt Psal. 88. *Neque nocebo in veritate mea.* Tertia, diuinorum ad salutem necessaria cognitio: sic Joan. 19. *Veni vt testimonium perhibeam veritati*; quam Dominus Joan. 17. expressit dicens: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.*

Triplex in Euangelio veritas continetur. 1. 2. 3.

Sciendum secundò Euangelici verbi prædicationem *non esse in sapientia verbi* (quemadmodũ scribit Apostolus 1. Corinth. 1.) id est, non inniti aut elo-

Prædicatio Euangelica quibus nitatur.

quétię, aut humanæ rationi, aut Philosophiæ vlliue scientiarum naturalium (ea enim omnia complectitur verbi significatio, quod Græcè est λόγος) & eam fundamenti, radicis, aut principij rationem denotat præpositio *in*, *vt non euacuetur crux Christi*: Si videlicet crux constaret externo illo splendore & humana vi; esset Dei virtute, atque illo thesaurorum sapientiæ & scientiæ Dei pondere vacua. Quare subiungit Paulus, *verbum crucis pereuntibus* (qui, internis & spiritualibus rebus neglectis, externa duntaxat vident & sapiunt) *stultitiam* quidem; ijs autem qui salui fiunt, *virtutem esse*.

Quinam veritatis verbum rectè tractent.

His positis, rectè *veritatis* verbum *tractat*, qui cum Paulo ad Romanos decimo quinto, apud se studiosè expendit, primùm, *quæcumque scripta sunt, ad nostram vtilitatem doctrinamque esse scripta*: quia *Deus* (in scripturis sanctis suis) *docet nos vtilia*. Isaiæ quadragesimo octauo. Hinc non solum melli, non solum auro, argento, gemmis pretiosissimis, quæ ad gustum & splendorem pertinent, sed ijs quoque, quæ vtilia & necessaria sunt mortalium vitæ ac incolumitati comparatur veritatis verbum, vt notat Pineda capite decimo, præfatione in Job, pani scilicet, vino, æquæ, pinguibus, quæ *deuorare* Ezechielis secundo, *& comedere* Apocalyp. 10. iubemur, in nostramque vtilitatem conuertere. *Sacri quippe tractator eloquij*, ait Gregorius in præfatione Job, capite secundo, *morem fluminis debet imitari; fluuius quippe dum per alueum defluit, si valles concauas ex latere contingit, in eas protinus sui impetus cursum diuertit, cumque illas sufficienter impleuerit, repente se in alueum refundit*:

Scripturæ vtilitas.

Gregorius, S. scripturæ tractatorem fluminis comparat

dit: sic nimirum, sic diuini verbi esse tractator debet; vt cum de qualibet re disserit, si fortasse iuxta positam occasionem congruæ ædificationis inuenerit, quasi ad vicinam vallem linguæ vndas intorqueat, & cum subiectæ institutionis campum sufficienter infuderit, ad sermonis propositi alueum recurrat. Hæc Gregorius.

Non ergo veritatis verbum ritè *rectéque tractant* ij, qui eius efficacitatem, fructum, virtutem non explicant, vel aperiunt; sed potius occultant & abscondunt, quemadmodum faciebant, de quibus secundæ Corinthiorum secundo loquitur idem Paulus: *Non sumus*, inquit, *sicut plurimi, adulterantes verbum Dei sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur.* Illi namque *adulterant* & *cauponantur verbum Dei*, qui frigida miscent & diluunt, atque efficacitatem (quod in se est) retundunt, neque eo modo nobis propinant, quo sibi à Deo traditum est, purum atque sincerum; videlicet, cum vel inutilibus, aut mollioribus facetijs aut fucatis potius, quàm solidis vtuntur in verbo Dei tractando rationibus: quæ omnia Paulus, aquæ adulterium, id est, frigida appellat, sicut scriptum est, Isa. 1. *Vinum tuum mistum est aqua.* Propterea sponsus Cant. 7. sponsæ *ventrem*, id est, animam & cogitationem Doctorũ, & veritatis verbi tractatorũ (quæ frequenter *ventris* nomine significatur) comparat *aceruo tritici*, deiectis inutilibus paleis, vallatam lilijs. Nihil enim debet admittere Doctoris & diuinarum scripturarum tractatoris mens, quod inutile, aut sine fructu sit; quanquam quæ dicit scribitue vtilia & salutaria, cum iucunditate & suauitate quadam condire debeat.

Quinam, veritatis verbum non rectè tractent.

SS. Scripturam adulterantes qui?

Vtilia solummodo prædicatori sectanda.

Hanc

Hancautem *rectè tractandi verbũ veritatis* regulam, ex ipso Paulo peti posse aduertit Turrianus, libr. 3. pro epist. Pontif. capit. 17. qui ad Philipp. scribens cap. 3. admonet, vt *si quid aliter senserimus, ita à Deo reuelatum esse credamus, vt tamen idem sapiamus, ad quod prius venimus.* Quod magis adhuc declarat, subiungens: vt in *eadem regula permaneamus.* Et cum infra cap. 3. scribit: *Tu autem permane in his, quæ dedicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris.* Certè Lutherani, cum in his non permaneant, quæ per Patres & maiores suos didicerunt, nec quæ tradunt, aliunde quam ex suo Propheta Luthero didicerint, *Verbum Dei*, (vt ait S. Polycarpus, in sua epistola) *circumueniant potius, quàm rectè tractent necesse est*; Siquidem vt non haberent successores vllos Apostolorum, ex ijs, qui ea nobis tradidère, quæ ab ipsis Apostolis per successiones in Ecclesijs acceperant, neq; Doctores vllos antiquos, quos DEVS *dedit Ecclesiæ, ne circumferantur homines omni vento doctrinæ*; sectarij, *in astutia*, vt loquitur Apostolus, *ad circumuentionem erroris* omnia dogmata nostra sibi non consentanea, quæ in antiquis illis patribus legunt, næuos & corruptelas & inclinationes doctrinæ esse confixerunt. Tantum igitur abest, vt *veritatis verbum* rectè *tractẽt* sectarij, vt omninò Pauli præcepto expresse contrauenient. Nam vnum *rectè tractandi verbum* innuit, quæ vtilia sunt auditoribus tantum proponenda esse, quæ inutilia resecanda: vt verbum Dei à Doctore interpretatum nihil aliud faciat, quam quod *Pater* ipse *reuelans*, & Christus Jesus docens & prædicans efficiendum esse voluerunt, videlicet, vt *omnis qui audit & discit, veniat ad filium Dei.* Quasi omnis sapientia,

Certa, rectè tractandi verbum veritatis, regula.

Lutherani taxantur.

Sectarij verbũ veritatis non rectè tractant.

pientia, sacra præsertim, quæ deriuatur ab ipso primo capite & fonte Deo, debeat nos ad illum conuertere, & deducere, media mandatorum obseruatione. *Omnis enim sapientia, à Domino Deo est, & est ante æuum. Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis, & ingressus illius mandata æterna.* *Sapientia diuina effecta.*

26. *Profana autem & vaniloquia deuita.*

Obseruat Adamus Sasboüt, hic non agi, ne vocibus vtamur nouis, siue Græcis aut Barbaris à nobis aut alijs confictis, modò res significent, de quibus scriptura tractat, (has enim à scholasticis Theologis ad veritatem facilius explicandam rectè repertas nemo negauerit) sed ne nouas & inauditas voces inducamus, res profanas significantes, quales fingebant Scholæ Simoniacæ discipuli, de quibus, in eorum hæresi quæ est numero 40. copiosè tractat Epiphanius. *Vaniloquium*, à nomine Græco κενοφωνία deriuatum, interpretatur Olympiodorus in commentario in Job capite trigesimo secundo, cum aliquid dicitur, quod intelligi non potest neque probari, vtrum sit ita: quemadmodum promittebat Eliu, ibidem apud Job dicturo se, quæ illi tres amici Job intelligere possent, quod erat loqui vsque ad eos, vt ipse loquitur. Quare, cum in Catholica nostra Ecclesia nihil tradatur, quod ab omnibus intelligi non possit, & ab eo qui tradit demonstrari ita esse, quia sic acceperit in Ecclesia, & sic in omnibus Ecclesijs doceatur; impudenter suo more mentiuntur Lutherani, cum hanc Pauli prohitionem Catholicis conuenire volunt. Si quis namque Catholicorum *Euangelizet præter id quod accepit*, & Ecclesiæ traditum est, sit anathe-

Vaniloquium quid

Nulla vaniloquia, in Catholica Ecclesia.

Inquisitio Catholica.

anathema. Si quis Ecclesiæ suspectus est inquiritur in eum, & exploratur fides eius; ita vt neque *profana vaniloquia*, neque sermo vllus corruptus, tanquam cancer ad impietatẽ proficiens inter nos Catholicos, aut serpat aut serpere possit. Est hæc n. necessitas & vtilitas inquisitionum nostrarum, quæ Ecclesijs apud maiores nostros nunquam defuère. Sed omni cura & diligentia peractas semper fuisse intelligi potest ex lib. 3. Originis contra Celsum, in quo eorum ordinem obseruare licet, qui de vita & fide aliorum, ad eijciendum infames, inquirebãt. Sic enim ait Origenes: *Apud eos, qui pro viribus ostenderũt propositum sibi esse, nihil aliud velle, quam quæ Christianis viderentur, fuisse quosdam constitutos, ad sciscitandum de vita & conuersatione cuiusq; vt si qui facerent aliquid infame, cœtu cõmuni & cõsortio Christianorũ prohiberentur.*

Inquisitionis vtilitas.

Erant igitur primitiuæ Ecclesiæ Christianis, inter infamia profana & vaniloquia ea, quę nostri temporis sectarij nunc præter sensum cæterorum Christianorum, & sanctarum Ecclesiarum consuetudinem abstruere volũt, vt non obseruare dies ieiuniorum, non dies festos Sanctorum, non orare pro mortuis, non habere religioni vota, non abstinere à nuptijs sacrarum virginum, non confiteri sacerdotibus, nõ sacrificare, non venerari sanctas imagines, & alia eiusmodi, ne omnia enumerem, in quibus, qui erãt deprehensi, ex cõmuni congressu ac consortio Christianorum (nulla enim grauiori in eos pœna animaduerti licebat, ob Imperatores & magistratus Ethnicos qui id passi non fuissent) ante mille trecentos annos & amplius eijciebantur.

Sectariorum dogmata olim vaniloquia habita.

Manifesti hæreticorum errores.

Verum apud Lutheranorum magistros, *qui gratiam*

tiam Euangelij in luxuriam, vt de huiusmodi scribit D. Judas, & in licentiam *transtulerunt*, nullus huic inquirendi officio præest; nullum apud eos exercetur de vaniloquijs profanis, quæ populis traduntur, judicium; ideò tot sunt apud eos *profana & vaniloquia*, vt inter cætera, est illorum dogma de iustificatione, cum hominé sola & nuda fide iustificari tradunt. *Si enim iustus*, sicut scriptum est, *ex fide viuit*, & *qui non diligit manet in morte*, ait Joannes; nihil sanè profanius, aut vanius excogitari posse videtur, quam vt qui *manet in morte*, viuat. Nec minus est *profanum* & *vaniloquum* id, quod in sui defensionem quidam adducunt, fidem illam scilicet, cui totam iustificandi vim tribuunt, nunquam esse sine charitate; cum Apostolus de quibusdam dicat, *confiteri nosse Deum, factis autem negare.* Si enim *confitentur se nosse Deum*, fidem procul dubio habent; quam *factis negare* dicuntur, eo quod charitatem non habeant. Quare, sicut *Hymenæus* & *Philetus*, quorum *vaniloquia* hoc loco *deuitanda* cupit Apostolus, *resurrectionē* iam factam esse aiebant antequã fieret; sic & Lutherani secundum vaniloquium suum, iustificationem scilicet, quæ est quædam vita ex mortuis, factam esse tradunt, antequam fiat, cum nudæ fidei eam asscribunt.

Nulla fidei inquisitio apud Lutheranos.

Lutherani vaniloquij manifestum exemplum.

Sola fide homines iustificari, Lutheranorũ hæresis.

Solicitus admodum fuit Apostolus circa doctrinæ tradendæ puritatem, vt eius sermonis vsus obseruaretur ab Ecclesiæ doctoribus, qui nec pietati repugnaret, nec cum inanibus fabulis, nugisque similitudinem haberet vllam. Multum enim refert, non solum non opere implere, sed neque nominare, neque loqui, vel quæ impia prauaque sunt ad consensum vllum, siue ad delectationem, vel gar-

Doctrina puritas in Ecclesia semper magni habita.

riendo ſcriptura ſacra ad ludicra & profana, turpiaque abuti; quod à ſe longè fuiſſe affirmans Regius vates Pſal. 16. dicebat, *Vt non loquatur os meum opera hominum*, qualia ſunt, quæ Pſalm. 11. exprimitur: *Vana locuti ſunt vnusquisque ad proximum ſuum labia doloſa in corde & corde, locuti ſunt.* Atque eam ob cauſam ſuos Epheſios admonebat Apoſtolus, *ne fornicatio & omnis immunditia, aut auaritia in ipſis nominarentur, ſicut*, inquit, *decet ſanctos.* Et primæ Corinthiorum decimo quinto: *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.*

27. *Multum enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum vt cancer ſerpit.*

Pernicioſa Hæreticorum doctrina.

Doctrinam illam, quam prioris epiſtolæ c. 6. *ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti repugnantem, ſuperbam, pietati contrariam, languentem*, nominauerat, hic *profanam & vaniloquã* appellat Apoſtolus; addẽs, tum impietati maximũ afferre præſidium, tum non in vna, vel altera impietatis ſpecie conſiſtere, ſed totius religionis, virtutis, & iuſtitiæ cultui exterminando iugiter ſtudere. Quod eleganti ſerpentis *cancri* ſimilitudine, appoſitè comprobat, non ſolum, quia, vt vult Theophylactus, cancer morbus eſt, qui omnia circumiecta depaſcitur, ſed etiam, quia igne tantum curari poteſt: Sic enim hæreſis, ſui contagio omnia inficit, vt propterea Pſal. 1. *Cathedra peſtilentiæ* vocetur, quæ non tantum ſedẽtes, ſed vicinos quoſque, etiam graſſante in dies ac ſerpente lue corripit.

Hæreticorum doctrina cur cancro comparetur.

Hæreticorum peſtilens conſortium.

Quamobrem, optandum eſſet, vt ſicut Samaritanis olim non coutebantur Iudæi, tam diligenter hodie hæreticorum conſuetudinem vitarent Orthodoxi, cum

eum periculosius sit cum hæreticis, quàm cum gentilibus, quàm cum Iudæis & Mahometanis conuersari. Scriptum est enim Ecclesiast. 11. quod *à scintilla vna augeatur ignis, & ab vno doloso augeatur sanguis.* Vt igitur cancer locum, quem occupauit depascitur, & inde ad vicina serpit eaq; inficit; sic profani & vaniloqui impostores, non vni religionis Catholicæ veritati, aut sententiæ nocuisse solent esse contenti, nisi totius etiam pietatis euersa supellectile, orthodoxæ fidei œconomiam, mille eorum laqueis irretierint, falsisq́ue dogmatibus obfuscarint, donec Ecclesiam veri sedem, & magistram perturbatam pessundent. Tanto enim hæreseos peruersitas cæteris omnibus sceleribus atque flagitiis est grauior; quanto communibus morbis magis est formidolosa & metuenda pestis.

Hæreseôn peruersitas.

Hæresis, peste horribilior.

Duo siquidé sunt, quæ pestem præ cæteris morbis merito horrendam terribilemq́ue efficiunt. Vnum, ipsa summa celeritas, venenum suum ad cor ipsum diffundendi, hominemq́; paulò ante sanum pene in mométo téporis extinguédi. Alterũ, celeritas alios inficiédi, ita vt cũ vnũ interficit, centũ alios inficiat & lóge lateq; celeriter serpat, vt si domũ vnã hodie inuaserit, breui ciuitaté totã cadaueribus repleat. Nõ aliter sanè agit in animis hoĩm hęresis; q̃ in corporib⁹ pestis. Ea siq̃ dé cor animæ illius qué inuaserit, cõtinuò petit, & primũ cordis reuiuiscétis motũ primũq́; vitæ spiritualis sensũ, fidé scilicet, ita adimit, vt oia gratiæ munera penit⁹ extinguat, nec vllũ vitæ diuinæ ac cælestis fulgoré accensum relinquat. Nec sibi soli nocet hæreticus, sed cõtinuo venenum suũ lóge lateq́; diffundit, eiusq; verba nõ aliter, q̃ cãcer (vt hoc loco verissime scribit Apostolus) serpunt

Duo pestem horridam reddentia.

1.

2.

Hæresis eadem effecta, quam pestis.

Hæreticus omnia de populatur.

Lutherana pestis, totum fere orbem peruasit.

quorũ testis locupletissimus est nostra hæc ætas. Lutherana siquidẽ pestis, vt notat Bellar. præf. in tom. 1. Cõtr. in Saxonia paulò ante exorta, mox Germaniã pene totã occupauit; inde ad Aquilonẽ & Orientem ꝓfecta, Daniam, Norueg. Suet. Gotth. Pannoniam Hungariam absũpsit; tũ ad Occidentẽ & Meridiem pari celeritate delata, & Galliã, Angliã, Scotiam, florẽtissima quondam regna breui tẽpore populata: ad extremũ alpes transcẽdit, & in Italiã vsq; penetrauit.

Hæreticorum libri & colloquia iure prohibita.

Quare sicut ij qui peste laborãt, ne cæteros inficiãt, ab aliorũ cõsortio meritò excludũtur, & neq; domos illorũ ingredi, neq; aliquid, quod ipsorũ fuerit, cõtingere audemus: sic etiã hæreticorũ libros, cõgressus, colloquia, cõuiuia iã inde à primo Ecclesiæ ortu sapientissimo consilio fidelib⁹ oĩbus maiorũ nostroũ authoritas interdixit. Hinc Cypr. in ep. 3. lib. 3. *Nulla, inquit, cũ talib⁹ cõmercia copulẽtur nulla cõuiuia, vel colloquia misceantur; simusq́, ab eis tam separati, quã sunt illi de Ecclesia profugi.*

Cur hæreticorum colloquia vitanda.

Huius prohibiti Hæreticorũ colloquij ratio hæc reddi posset, quod Impiis, iisq́; qui Deo nõ adhęrẽt, quicquid in buccã venit, nõ modò solenne sit, pro summã prauitatẽ & nequitiã effutire, sed cũ Euãgelicæ doctrinæ authoritate, magistratus prudẽtia, & humanis rationibus cõuicti fuerint, nequius & impudẽtius, impietatis itinere ardẽter suscepto, p̃uaricari soleãt: sicut de Achaz dictũ est, 2. Paral. 28. *Tempore angustiæ suæ auxit cõtẽptũ in Domino*; quã illius impietatis ingẽs amplificatio est.

Quid sit pietas.

Quemadmodũ n. pietas aliquid diuinũ est, quo homo rẽcte & iuste agit, habetq́; se sancte erga Deum & hoĩes, qua vitæ & morũ similitudine, Deo similes efficiũtur; qua Deum peculiari ratione & familiariori sciẽtia cognoscũt; ita impietas à boni totius fonte hæreticos hoĩes *abire secũdũ desideria cordis eorũ dimittit,*

Hæreticorum impietas, multorum malorum causa.

tit, vt in adinuētionibus suis inambulent, q a vt talpæ cæci sunt ducesq; cæcorũ. Vnde non mirũ est, si & ipsi, & ij q b⁹ ducatũ pbēt, *in foueam cadant*. Quãobrē sapientissimus Salomon, de fornicaria hæresi scribēs Prouerb. 5. *Lõge*, inq t, *fac ab ea vias tuas, & ne appropinques foribus domus eius:* Vbi vult Sapiens, ne *appropinquare* q dē, hoc est, fugere ab ea; eo q,, vt ipse adiungit, *oēs q ingrediũtur ad eã non reuertantur: nec apprehēdãt semitas vitæ*. Hæc est n. illa spelunca latronũ, de qua verè possis dicere: *Vestigia cerno. Omnia se aduersum spectãtia, nulla retrorsum*. Hæc est illa Circe, hi Sirenũ cantus, ad q̃ euitãda, obturatis aurib⁹ pternauigãdũ est. Hi sunt n. illi, de q b⁹ Apostolus Rom 16. ait: *Rogo fratres vt obseruetis eos, q dissensiones & offendicula faciunt, præter doctrinã, q̃ didicistis, & declinate ab eis*. Declinandi sunt, & non omnino accedendi; cuius ratione periculi certissimam adiungit, cum ait; *Huiusmodi enim per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium*. *Periculosa Hæreseon Circe vitanda.*

Acrius verò adhuc præcipit D. Ioannes 2. Ioan. *Si quis*, inquit, *venit ad vos* (veniunt enim alieni isti, non mittuntur) *& hanc doctrinam non adfert* (veterem videlicet, Apostolicam, & iam receptam) *nolite recipere in domum, nec Aue ei dixeritis*. Est enim Sectariis natura comparatum, vt plurima de Deo, licet à Deo recesserint, deque diuinis rebus, temere, impudenter audacterque pronuntient, cum tamen recta ratione præcipiat Eccles. cap. 5. *Ne quid temere loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo*, id est, de Deo, vt eo loco Hieronymus & Nyssenus opusc. de beatitudine cap. 6. interpretantur. Cũ enim in cælo Deus sit, id est, à nobis longissime distet, plurima à nobis de diuinis rebus ignorari necesse est; ideo subiungit: *Deus enim in cælo, & tu super terram,* *De Deo multa loqui, Hæreticorũ proprium.* *Fane de Deo loquendum.*

ram, idcirco sint pauci sermones tui. Quasi orationem de Deo tardam, bene cogitatam, & non cum linguæ volubilitate ex proprio cerebro interpretatam esse habendam vellet. Cuius contrarium Sectariis hodierni temporis in vsu esse, quis non videt? Omnibus enim vtriusque sexus hominibus fas est, non solum Biblia legere, interpretari, explanare, commentari, sed & de grauissimis fidei controuersiis disserere, decertare, disputare, concionari; quod tamen ab Ethnicis religioni ductum fuisse, vnus Seneca testis locupletissimus esse potest, qui lib. 7. natural. quæst. ex Aristotele adducit, nunquam nos verecũdiores esse debere, quàm cum de Deo loquimur: *Si intramus,* inquit, *templa compositi, si ad sacrificium accessuri, vultum submittimus, togam adducimus, si in omne argumentum modestiæ fingimus; quanto magis hoc facere debemus, cum de sideribus, de stellis, de deorum natura disputamus, ne quid temere, ne quid impudenter aut ignorantes affirmemus, aut scientes mentiamur? Nec miremur tam tardè erui, quæ tam alte iacent.*

Hæreticorum impietas.

Verùm aliquando sancti, ardente & concitato spiritu ardenter & concitatè de diuinis loquuntur, variis etiam linguis: Quem loquendi ardorem *animalis homo, qui non percipit quæ sunt spiritus Dei;* non spiritui qui loquitur, sed ebrietati, stultitiæ, garrulitati tribuit. Act. 2. Sic Marci cap. 3. *Cum audissent sui* Christum Iesum loquentem, *exierunt tenere eum; dicebant enim: Quoniam in furorem versus est.* Et Ioan. 10. *Dissensio facta est inter Iudæos propter sermones hos: Dicebant autem multi ex ipsis: Dæmonium habet & insanit, quid eum auditis? Alij dicebant: Hæc verba non sunt dæmonium habentis.* Non dissimile Paulo contigit Act. 26. cùm, illo ardentius disputante de diuinis, Festus magna

Sancti à Deo instigati de eo loquuntur.

voce

voce quasi admirabundus dixit: *Insanis Paule, multæ te literæ ad insaniam conuertunt*: Inuitus etiam & nolens multas literas, magnamque sapientiæ vim fatetur inesse Paulo; Quod verò ipse non intelligit, furori & insaniæ tribuit, non aliter quàm illi, qui Apostolos diuino spiritu plenos audiebant, ac musto madere reputabant.

28. *Ex quibus est Hymenæus & Philetus: qui à fide exciderunt.*

Huius *Phileti*, (qui aliter dicitur *Phigellus*) in fine cap. 1. meminit Apostolus, aitque eum fuisse ex Asiaticis vnum, à quo fuisset ipse desertus: Hymenæi etiam prioris epistolę cap. 1. mentionem fecit: Quorum vtrumque de eorum fuisse numero hic dicit, qui *exciderint*, vel (vt interpretatur Erasmus) *aberrauerint à fide*, sumpta Metaphora à collimantibus ad scopum, & collimando aberrātibus. Ex quibus locis geminam à fide periclitandi occasionem licet elicere: Vnam; curiosiorem rerum diuinarum indagationem, siue Euangelicæ veritatis ex humani sensus inflatione profectam subtilitatem. *Qui* namque *scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria*. Prouerb. 24. *Et intellectus* credituro *obedientiæ fidei, ante omnia captiuandus est in obsequium Christi.* Alteram verò causam esse insinuat, quod fidem non æquè optimis vitæ moribus fouerint: cum vix reperire sit à fidei veritate declinantem hæreticum, qui non prius aliorum peccatorum sordibus fuerit inquinatus. Eiusmodi fuere ij, quos primæ suæ epist. cap. 2. dicit B. Ioannes, à fidei Catholicæ vnitate recessisse. Licet enim in numero membrorum corporis Ecclesiæ censerentur,

A fide excidendi occasiones. 1. Curiositas.

2. Impietas.

Non nisi impij, fiunt Heretici.

non tamen de eodem, vel merito vel sacramentorũ perceptione, vel charitatis communicatione erant, quia non erant ex prædestinatorum & electorũ catalogo Nam *si fuissent ex nobis*, ait ibid. S. Ioannes, *permansissent vtiq; nobiscum*, hoc est, in fidelium consortio; & in Christianorum sancta societate vsque ad finem perseuerassent, *vt salui fierent*: sed propterea iusto Dei iudicio permissi sunt à veritatis professione excidere, vt *manifestè fierent, quoniam non omnes sunt ex nobis*, ait idem, qui scilicet prius latebant, quos quia fratrum indutâ per hypocrisin laruâ, simplicibus incautis ac innocentibus confratribus & collegis poterant actu imposuisse, ideo eos permisit Deus Ecclesiæ finibus, tanquam indignos; attamen nocentes & damnatos exire. Qui namq; semel à veritatis amussi sciens & prudens defectionem fecit, non sibi solùm, sed & vicinis & conciuibus certum exitium parat, præsentemque totius impietatis, mendacij ac vanitatis perniciem aliis molitur, quemadmodum subdit Apostolus *Hymenæum & Philetum subuertisse quorundam fidem.* Eiusmodi namq; impostores cum impiis Deo videntur, à fide discendendo, dixisse *Recede à nobis*: Quo indicatur vitæ genus impiorum omni scelerum labe atque Numinis ac pietatis obliuione corruptissimũ, Dei præsentiam auersantium, & fastidientium scientiam: Sed si quando impij ardentibus votis expetũt, vt recedat ab illis Deus, quid illis reliquum quam ad extremum, interitus? Recedit enim ab illis veritatis splendida lux, ita vt in tenebris ambulantes, iugiter cæcutiant; recedit ab illis omne præsidium omnis bonitatis & vitæ fons, & *longè sit ab illis salus*. Psal. 118. Quis enim plerosq; hodier-

Et sibi & aliis, nocet Hæreticus

Impiæ Hæreticorum Voces.

diernos Sectarios ita viuere non animaduertit, quasi sibi ipsis semel sufficerent, ac sine Deo & esse, & viuere, ac fælices esse possent, cum ita se abalienatos à vita *Dei per ignorantiam Dei, quæ est in illis*, Ephes. 4. ostendunt, vt omnem Numinis ac religionis mentionem abalienato, infenso & fastidienti animo excipiant, nec ab iis plus fiat Deus, & religionis cultus, quàm res omnino infructuosa & inutilis. Certè vsus docet, post inuectum Lutheranismum, homines diuitiis & temporalibus bonis parandis fruendisq; intentos quærere; quem fructum capere possint ex Deo. Quærunt nimirũ temporalia, quæ videri possunt, ad fruendum: neq; spiritualia futuraq; curant. Hæc enim est illa vox Lutheranorum & infinitorũ stultorum: *Quis ostendit nobis bona?* Quod illi apud Malach. c. 8. dicebant: *Vanus est qui seruit Deo, & quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius:* Quibus tamen respondet Deus ipse: *Conuertimini & videbitis quid intersit inter iustum & impium, & inter seruientem Deo, & non seruientem.*

Impia Sectariorum vita.

Post Lutheranismum homines lucro solummodo intenti.

29. *Dicentes Resurrectionem iam esse factam.*

Exemplum ponit Apostolus eorum *vaniloquiorum*, quę deuitanda ante monuerat, *Hymenæi* scilicet, & *Phileti*, qui, vt volunt Epiphanius, in hæresi Archonticorum, quæ apud ipsum est 40. Theodoret. Ambrosius, ac Græcorũ scholia, *resurrectionem* profanè interpretabantur successiones liberorum; quasi liberi ab vnoquoque generante prognati, parentes suos repræsentarent, ipsosque defunctos, veluti viuos exhiberent; in qua exhibitione, resurrectionis I.

Vaniloquij exemplum.

Resurrectionē iam factam dicentes, quid resurrectionis nomine intellexerint.

 vim

2. vim esse sitam aiebant. Vel, vt alij volunt, *resurrectionis* nomine eam intelligebant, cuius Mathæus cap. 27. meminit, dicens, *multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexisse*; atque illa iam expedita, nullam in-
3. posterum aliam esse exspectandam: Vel, vt alij referunt, ea ad *resurrectionem* animæ reuocabant, quę sub resurrectionis nomine passim in scriptura vsurpatur, qua scilicet quis à peccato ad statum gratiæ resurgit, quæ iam facta esse perhibetur Coloss. cap. 3. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, &c.* De qua S. Augustinus, lib. 20. de Ciuit, cap. 6. & 7. videtur locum illum Apocal. cap. 20. interpretari: *Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima:* cum tamen *resurrectio prima* dici debeat gloria animæ, quemadmodum intelligitur ex eo, quod subiungit Ioannes de iis, quibus contigit *prima resurrectio*, eos nimirum immunes & liberos esse à *morte secunda. Beatus*, inquit Ioannes, Apocal. 20. *& sanctus, qui habet partem in resurrectione prima; in his enim mors non habet potestatem.* Quod non potest in eos conuenire, qui à peccato sæpius resurgunt; in quos tamen postea potestatem habeat *mors secunda*, id est, æterna damnatio.

Resurrectio prima, quæ dicatur.

Alia opinio.

Nonnulli aiunt, hos vaniloquiorum inuentores, fuisse interpretatos *resurrectionem*, ipsam cuiusq; remunerationem, vt testatur D. Cyrillus, qui disputationem scripsit aduersus eos, qui ideo dicebāt iam factam esse remunerationem cuiusque pro meritis, quod non dixisset Dominus in Euangelio, cum de diuite epulone & mendico loquitur; *Mendicus quidam*, sed Lazarus, vt ipsa, inquiunt, proprij nominis appellatione demonstraret, iam esse factam re & veritate remunerationem.

Mel-

Melchior Canus, arbitratur hos resurrectionem interpretatos, hominum in carne mortali ad iustitiam resipiscentiam, cuius hæc sunt verba, lib. 4. de locis Theolog. cap. 2. *Non verisimile fit in eam hos amentiam incidisse, vt astruerent corporum resurrectionem iam esse factam: sed falsa absolutæ sanctimoniæ persuasione imbuti, vitam in carne mortali asserebant similem ei, quam iusti cum angelis post resurrectionem, immortales habituri sunt, ab omni videlicet fragilitate & imperfectione alienam, Idcircò vas electionis Apostolus, eos asseruisse ait resurrectionem iam esse factam.* Hæc Canus, *Melch. Cani sententia.*

Verùm probabilius esse videtur, hos duos vaniloquos in tantas tenebras, per apostasiam, fuisse demersos, vt resurrectionem iam esse factam dicentes, de resurrectione illa intellexerint, quam in fine mundi futuram credimus & expectamus; de qua in symbolis: *Carnis resurrectionem.* Et; *Expecto resurrectionem mortuorum:* occasione videlicet sumpta ex scripturis malè intellectis, in quibus dicitur passionis Christi tempore, *multa corpora, quæ dormierant, resurrexisse:* Et hortatur Apostolus, vt *si cum Christo resurrexerimus, quæ sursum sunt quæramus, &c.* Et hoc ideò dixisse putandi sunt, quo plures *mulierculas*, id est, homines fragiles, nec in fide bene fundatos, *peccatis, oneratos captiuos ducerent*, omnem peccandi libertatem & impunitatem hoc modo pollicentes. Hæreticorum enim est proprium, vt cum sapientissimi mortalium haberi velint, ea interdum dicant, ea proferant in medium, ea pro Euangelio venditent, quæ somnia & deliramenta esse, etiam pueri & deliræ decrepitæque anus intelligere possent. Extincto quippe in corde ipsorum fidei lumine, vm- *Probabilior sententia.* *Hæretici extincta fide, meras tenebras consectantur,*

brasinanes & phantasmata consectantur hæretici, nesciunt quò vadant; & quo magis currunt, eo longius à via veritatis recedunt, & tenebris densioribus semper inuoluuntur, donec à tenebris interioribus, quas in animo patiuntur, ad exteriores illas, quæ sunt in gehenna, perueniant.

30. *Et subuerterunt quorundam fidem.*

His qui Deo dixerunt, *Recede à nobis, viam scientiarum tuarum nolumus*, Job 21. hoc est, qui animo soluto & vacuo nullaq; molestia impedito, & mentis, siue conscientiæ sensu penitus obscurato, palam à Deo abalienati viuere decreuerunt; familiare est, vt sibi inprimis mali, alijs non solũ noceant, sed etiam iugiter à Christianę veritatis via alios seducere simul studeant. Huius rei exemplũ ponit in duobus apostatis Hymenæo & Philetho, quos aliorũ *fidẽ subuertisse* testatur hoc loco Apostol⁹; *subuertẽdi* verbũ pro auertere, destruere, seducere, à veritate abducere, Act. 20. *accipiens*. Huiusmodi n. sapiẽter furib⁹ similes facit Dñs Joan. 10. vt q *non veniãt, nisi vt furẽtur & mactẽt & perdãt*. Nã furantur alienas oues, vt mactent q̃ vixerint, vt ꝑdant quæ inuentæ fuerũt, id est, vt iam Christianos atque Catholicos hæreticis doctrinis à grege Christi abducãt, suos faciãt discipulos, qui Ecclesiæ fuerãt. Quo sensu Paulus, Act. 20. dixit eosdẽ *abducere discipulos post se*, id est, post sensum suum & Spiritum. Cui subscribens libro tertio, capite secundo. Irenæus dixit, *omnes hæreticos seipsos prædicare, veritatis regulam deprauantes; cum à communi & recepta fidei regula auersos, ad sua noua particularia dogmata pertrahant. Veniunt enim in nomine suo, quemadmodum*

Hæreticorum est, non tantum sibi, sed aliis nocere.

Hæretici, fures.

dum dixit Christus, Ioan. 5. *& ex propriis loquuntur*, Ioan. 8, cũ & se & sua propria dogmata, alienas oues Catholicæ videlicet doctrinæ, furantur. Paganos & infideles ad Christi fidem non conuertunt, sed potius *subuertunt*. Quod inde fit euidens, quòd cùm omnis veræ Ecclesiæ *potestas data sit ad ædificationem, non ad destructionem* secundæ Corinthiorum decimo, è contra, hæreticorum potestas permissa & præsumpta est ad subuersionem: Et cum *pastores in Ecclesia à Christo dati sint ad consummationem sanctorum*, Ephesios quarto, secus tamen omninò faciunt Hæretici, ad subuersionem auditorum, circa caulas Ecclesiæ grassantes, vt destruant, quæ fuerant ædificata, eaque dissipent, quæ fuerant vnita.

Hæretici tantum ad subuersionem intenti.

Et sanè, hanc impostorum proprietatem scite admodum videtur descripsisse Hier. cap. 17. dicens: *Fouit perdix quæ non peperit, congregauit faciens diuitias non suas*: vel, vt alij posteriora verba legunt, sine iudicio. In quem locum D. Hieron. *Aiunt*, inquit, *scriptores naturalis historiæ Aristoteles, Theophrastus, Plinius Secundus, hanc perdicis esse naturam, vt oua alterius perdicis furetur, & eis incubet, foueatque. Cumque fœtus adoleuerit, auolare ab eo, & alienum parentem relinquere. Hoc ad hæreticorum personam referendum est: quod perdix ista Diabolus clamauerit per principes Hæreticorum & congregauerit quæ non peperit, & deceptorum sibi multitudinem collegerit, quæ postea dimittet eum; vt omnium iudicio iustissimus comprobetur.* Sic etiam, idque clarius & vberius Augustinus lib. 13. contra Faustum c. 13 *Congregant*, inquit, *Hæretici quæ non pepererunt. Christianos*

Hæreticorum proprietas ex perdicis natura describitur.

Hæretici vera perdices.

Christianos enim quos maximè Christi nomine seducunt, iam per ipsius Christi Euangelium natos inueniunt, & faciunt illos diuitias suas: non sanè cum iudicio, sed cum temeritate inconsiderata. Non enim intelligunt ibi esse veram & salubrem, & quodammodo germanam atque radicalem Christianorum societatem; vnde istos separauerunt, quos ad suas diuitias congregauerunt. Hæc ille.

Vnde D. Hieronymus, illud ad Gal. cap. 5. explicans, *Modicum fermentum totam massam corrumpit: Doctrina*, inquit, *peruersa ab vno incipiens, vix duos aut tres primum in exordio refert auditores; sed paulatim vt cancer serpit in corpore, & iuxtà vulgare prouerbium, vnius pecudis scabies totum commaculat gregem. Igitur* (subiungit S. Pater) *& scintilla, vbi apparuerit, extinguenda est, & fermentum à massa vicina submouendum; secandæ putridæ carnes & scabiosum animal à caulis ouium repellendum, ne tota domus, massa, corpus & pecora ardeat, corrumpatur, putrescat, intereant. Arrius in Alexandria vna scintilla fuit; sed quia non statim oppressa est, totum orbem eius flamma populata est.* Horum subuersorum patefacto exemplo, hæreseôn luem cum repétis cancri catagiosa serptione & repentina erosione, similitudine comprobat Apostolus; quibus infra cap. 3. *Iannem* & *Mambrem* pares facit: *Hi*, inquit, *resistunt veritati, corrupti mente reprobi circa fidem, &c.*

Parua hæreseos scintilla magnum imitare solet incendiũ.

31. *Sed fundamentum Dei stat.*

Tacita cuiusdam obiectionis Paulina solutio.

Rectè ac sapienter cuidam dubitationi tempestiue occurrit Apostolus, vt religionis Christianæ ædificium ita stabile & immobile esse confirmet, vt perfidiæ licet procellis, ventisque apostasiæ hinc inde impellatur, ruinæ tamen periculum neutiquã

sit

sit illi metuendum. Cum enim multorum subuersa fide, aliqui charismatibus spiritus etiam abundantes apostatarent; poterat aliqs existimare Ecclesiæ Christianæ fundamentum breui ruiturum, Christo tam abominabiles hæreses initio plantatæ religionis suæ exsurgere permittente. Huic siue suspicioni, siue cogitationi occurrens, affirmat Apostolus, *firmum* & immutabile permanere Dei *fundamentum*. Verùm, quid *firmi fundamenti* nomine sit intelligendum, non vna est Interpretum sententia. Quidam enim eo nomine, rationem & consilium de dispensatione salutis humanæ intelligunt; quod quia primum est humanæ salutis initium, *firmum fundamentum* vocetur, id est, firmiter munitum & stabilitum, quod nec obrui, nec dimoueri, nec subuerti possit. Licet enim veniant prauorum hominum flumina, flentque hæreseôn venti, & irruant in illam sapientiæ & dispositionis diuinæ domum; non tamen subuertetur. Quid verò causæ? qa huius diuinæ dispositionis firmitas immutabilitate nititur, quæ est ita immobilis, vt nulla vis ei inferri possit, q̃ omni incursui resistens, nulli cedit vi, aduersitati, motui, &c. In eam sententiam coincidere videntur illi, qui eodem *fundamenti* nomine intelligunt, vel promissiones, siue prædictiones de eodem consilio in scriptura, comprehensas; vel etiam ipsum Euangelium, quatenus eo, consilij diuini fundamentum explicatur.

Firmi fundamenti nomine, quid hoc loco intelligendum.

I.

Diuinum consilium, immutabile.

2.

3.

D. Ambrosij commentarius, per hoc *fundamentum*, ipsam Dei fidem intelligit, quam in promissis seruat; Q. d. *Sed firmũ fundamentum Dei stat*, id est, non impedietur Dei promissum, quò minus

Alia huius loci expositio.

certò præstet, quòd promisit, licet iam multi à fide apostatent. Firmum enim Dei fundamentum est illa fides, quæ Dei promissa continet, quia perfidorum & hæreticorum commentis infringi non potest, eo quòd signaculum promissionis diuinæ sit, quæ Dei verba reddit firma.

Firmum fundamentum est fides.

Nonnulli *firmum Dei fundamentum* accipiunt pro *fide Catholica*, fundata super firmam petram *aduersus quam portæ inferi*, id est, prauorum hominum, hæreticorum & dæmonum conatus, *præualere* non possunt. Huius autem fidei firmitas ex duobus videtur consistere; ex interno videlicet Spiritus sancti, & externo Ecclesiæ Catholicæ testimonio; quemadmodum declarauit Dominus, Ioannis decimo quarto, cum hæc duo inter se connectens, & quasi nexa semper indiuidua copulans, dixit: *Ille* (Spiritus sanctus) *testimonium perhibebit de me, & vos* (Apostoli Ecclesiæ formam gerentes) *testimonium perhibebitis de me, quia ab initio mecum estis.* Quare conscientiæ cuiusque id satis non est, quod se quis dicat, hoc, vel illud credere ex Spiritus sancti instinctu vel testimonio, (quemadmodum faciunt Sectarij externum Ecclesiæ testimonium, vel negligentes, vel reijcientes) sed ad fidei securitatem & firmitatem, vtque certò constet ex Spiritus sancti instinctu quempiam credere, & rectam de Christo habere fidem, Catholicæ quoque Ecclesiæ testimonium & authoritas concurrere oportet. Verbum enim Dei & verbum Ecclesiæ, pro vno eodemque accipi, testatur ipse Dominus, cum in postremo sermone ad discipulos habito, orat Patrem pro Apostolis & fide-

Alia interpretatio.

Fides Catholica, firmum fundamentum

Eius firmitas in duobus sita.

Ecclesia cum diuino testimonio iungendum.

Verbum Dei & Ecclesia, pro vno habetur.

& fidelibus illis, qui per verbum illorum credere didicerunt. Ait enim Joannis decimo septimo. *Non pro eis* (Apostolis) *rogo tantum, sed & pro illis, qui per verbum illorum credituri sunt in me.* In quæ verba, tractat. centesimo nono, scribens Augustinus, prolixè probat verbum Dei & verbum Apostolorum, credere Deo & credere Ecclesiæ prorsus eadem esse. Ex quibus colligi potest, quam firmum sit fidei Catholicæ fundamentum, cum immutabili diuinæ authoritatis fundamento innitatur.

Huic tamen loco aptior videtur illa D. Augustini varijs locis tradita, aliorumq; expositio, qui *firmi fundamenti* nomine, Ecclesiam electorum ad vitam æternam præordinatam intelligunt, *quorum* videlicet *nomina scripta sunt in libro vitæ*, de quo Apocal. 20. scriptum est: *Qui non inuentus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Et est quasi diceret Apostolus: Licet subuerterint Pseudapostoli illi quorundam credentium fidem, non est propterea desperandum de subuersione totius Ecclesiæ, quia *firmum fundamentum Dei stat*, id est, electi, quos Deus ad vitam elegit, stant permanentq́ue firmi & stabiles in fide, alijs interim deficientibus & apostatantibus, iuxta illud Domini, Matthæi decimo quinto: *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur.* Et Matth. 7. *Venerunt flumina, & venti, & non corruit* fides electi ac vitam; *fundata n. erat super firmã petram.* Hanc diuinam ad vitam electionem, firmũ fundamentum ideò vocat Apostolus, quia nulla vi labefactari potest, cum sit impossibile prædestinatũ perire, iuxta illud Domini, Joan. 15. *Non peribunt* (oues pdestinatæ) *in æternũ, & nec rapiet eas quisquã de*

Vera huius loci interpretatio.

Huius loci paraphrasis.

non tamen de eodem, vel merito vel sacramentorũ perceptione, vel charitatis communicatione erant. quia non erant ex prædestinatorum & electorũ catalogo Nam *si fuissent ex nobis*, ait ibid. S. Ioannes, *permansissent vtiq; nobiscum*, hoc est, in fidelium consortio; & in Christianorum sancta societate vsque ad finem perseuerassent, *vt salui fierent*: sed propterea iusto Dei iudicio permissi sunt à veritatis professione excidere, vt *manifesti fierent, quoniam non omnes sunt ex nobis*, ait idem, qui scilicet prius latebant, quos quia fratrum indutâ per hypocrisin laruâ, simplicibus incautis ac innocentibus confratribus & collegis poterant actu imposuisse, ideo eos permisit Deus Ecclesiæ finibus, tanquam indignos; attamen nocentes & damnatos exire. Qui namq; semel à veritatis amussi sciens & prudens defectionem fecit, non sibi solùm, sed & vicinis & conciuibus certum exitium parat, præsentemq́ue totius impietatis, mendacij ac vanitatis perniciem aliis molitur, quemadmodum subdit Apostolus *Hymenæum & Philetum subuertisse quorundam fidem*. Eiusmodi namq; impostores cum impiis Deo videntur, à fide discendendo, dixisse: *Recede à nobis*: Quo indicatur vitæ genus impiorum omni scelerum labe atque Numinis ac pietatis obliuione corruptissimũ, Dei præsentiam auersantium, & fastidientium scientiam: Sed si quando impij ardentibus votis expetũt, vt recedat ab illis Deus, quid illis reliquum quam ad extremum, interitus? Recedit enim ab illis veritatis splendida lux, ita vt in tenebris ambulantes, iugiter cæcutiant; recedit ab illis omne præsidium omnis bonitatis & vitæ fons, & *longè fit ab illis salus*. Psal. 118. Quis enim plerosq; hodier-

Et sibi & aliis nocet Hæreticus

Impiæ Hæreticorum voces.

diernos Sectarios ita viuere non animaduertit, quasi sibi ipsis semel sufficerent, ac sine Deo & esse, & viuere, ac fœlices esse possent, cum ita se abalienatos à vita *Dei per ignorantiam Dei, quæ est in illis*, Ephes. 4. ostendunt, vt omnem Numinis ac religionis mentionem abalienato, infenso & fastidienti animo excipiant, nec ab iis plus fiat Deus, & religionis cultus, quàm res omnino infructuosa & inutilis. Certè vsus docet, post inuectum Lutheranismum, homines diuitiis & temporalibus bonis parandis fruendisq; intentos quærere; quem fructum capere possint ex Deo. Quærunt nimirũ temporalia, quæ videri possunt, ad fruendum: neq; spiritualia futuraq; curant. Hæc enim est illa vox Lutheranorum & infinitorũ stultorum: *Quis ostendit nobis bona?* Quod illi apud Malach. c. 8. dicebant: *Vanus est qui seruit Deo, & quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius:* Quibus tamen respondet Deus ipse: *Conuertimini & videbitis quid intersit inter iustum & impium, & inter seruientem Deo, & non seruientem.*

Impia Sectariorum vita.

Post Lutheranismum homines lucro solummodo instant.

29. *Dicentes Resurrectionem iam esse factam.*

Exemplum ponit Apostolus eorum *vaniloquiorum*, quę deuitanda ante monuerat, *Hymenæi* scilicet, *& Phileti*, qui, vt volunt Epiphanius, in hæresi Archonticorum, quæ apud ipsum est 40. Theodoret. Ambrosius, ac Græcorũ scholia, *resurrectionem* profanè interpretabantur successiones liberorum; quasi liberi ab vnoquoque generante prognati, parentes suos repræsentarent, ipsosque defunctos, veluti viuos exhiberent; in qua exhibitione, resurrectionis 1.

Vaniloquiĩ exemplum.

Resurrectionẽ iam factam dicentes. quid resurrectionis nomine intellexerint.

 vim

2. vim esse sitam aiebant. Vel, vt alij volunt, *resurrectionis* nomine eam intelligebant, cuius Mathæus cap. 27. meminit, dicens, *multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexisse*; atque illa iam expedita, nullam in-
3. posterum aliam esse exspectandam: Vel, vt alij referunt, ea ad *resurrectionem* animæ reuocabant, quę sub resurrectionis nomine passim in scriptura vsurpatur, qua scilicet quis à peccato ad statum gratiæ resurgit, quæ iam facta esse perhibetur Coloss. cap. 3. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, &c.* De qua S. Augustinus, lib. 20. de Ciuit, cap. 6. & 7. videtur locum illum Apocal. cap. 20. interpretari: *Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima*: cum tamen *resurrectio prima* dici debeat gloria animæ, quemadmodum intelligitur ex eo, quod subiungit Ioannes de iis, quibus contigit *prima resurrectio*, eos nimirum immunes & liberos esse à *morte secunda*. *Beatus*, inquit Ioannes, Apocal. 10. *& sanctus, qui habet partem in resurrectione prima; in his enim mors non habet potestatem.* Quod non potest in eos conuenire, qui à peccato sæpius resurgunt; in quos tamen postea potestatem habeat *mors secunda*, id est, æterna damnatio.

Resurrectio prima, quæ dicatur.

Alia opinio,

Nonnulli aiunt, hos vaniloquiorum inuentores, fuisse interpretatos *resurrectionem*, ipsam cuiusque remunerationem, vt testatur D. Cyrillus, qui disputationem scripsit aduersus eos, qui ideo dicebāt iam factam esse remunerationem cuiusque pro meritis, quod non dixisset Dominus in Euangelio, cum de diuite epulone & mendico loquitur; *Mendicus quidam*, sed Lazarus, vt ipsa, inquiunt, proprij nominis appellatione demonstraret, iam esse factam re & veritate remunerationem.

Melchior Canus, arbitratur hos resurrectionem interpretatos, hominum in carne mortali ad iustitiam resipiscentiam, cuius hæc sunt verba, lib. 4. de locis Theolog. cap. 2. *Non verisimile fit in eam hos amētiam incidisse, vt astruerent corporum resurrectionem iam esse factam: sed falsa absolutæ sanctimoniæ persuasione imbuti, vitam in carne mortali asserebant similem ei, quam iusti cum angelis post resurrectionem, immortales habituri sunt, ab omni videlicet fragilitate & imperfectione alienam. Idcircò vas electionis Apostolus, eos asseruisse ait resurrectionem iam esse factam.* Hæc Canus, *Melch. Cani sententia.*

Verùm probabilius esse videtur, hos duos vaniloquos in tantas tenebras, per apostasiam, fuisse demersos, vt resurrectionem iam esse factam dicentes, de resurrectione illa intellexerint, quam in fine mundi futuram credimus & expectamus; de qua in symbolis: *Carnis resurrectionem.* Et; *Expecto resurrectionem mortuorum:* occasione videlicet sumpta ex scripturis malè intellectis, in quibus dicitur passionis Christi tempore, *multa corpora, quæ dormierant, resurrexisse:* Et hortatur Apostolus, vt *si cum Christo resurrexerimus, quæ sursum sunt quæramus, &c.* Et hoc ideò dixisse putandi sunt, quo plures *mulierculas*, id est, homines fragiles, nec in fide bene fundatos, *peccatis, oneratos captiuos ducerent*, omnem peccandi libertatem & impunitatem hoc modo pollicentes. Hæreticorum enim est proprium, vt cum sapientissimi mortalium haberi velint, ea interdum dicant, ea proferant in medium, ea pro Euangelio venditent, quæ somnia & deliramenta esse, etiam pueri & deliræ decrepitæque anus intelligere possent. Extincto quippe in corde ipsorum fidei lumine, vmbras *Probabilior sententia.* *Hæretici extincta fide, meras tenebras consectantur.*

bras inanes & phantasmata consectantur hæretici, nesciunt quò vadant; & quo magis currunt, eo longius à via veritatis recedunt, & tenebris densioribus semper inuoluuntur, donec à tenebris interioribus, quas in animo patiuntur, ad exteriores illas, quæ sunt in gehenna, perueniant.

30. *Et subuerterunt quorundam fidem.*

His qui Deo dixerunt, *Recede à nobis, viam scientiarum tuarum nolumus*, Job 21. hoc est, qui animo soluto & vacuo nullaq; molestia impedito, & mentis, siue conscientiæ sensu penitus obscurato, palam à Deo abalienati viuere decreuerunt; familiare est, vt sibi inprimis mali, alijs non solũ noceant, sed etiam iugiter à Christianę veritatis via alios seducere simul studeant. Huius rei exemplũ ponit in duobus apostatis Hymenæo & Philetho, quos aliorũ *fidẽ subuertisse* testatur hoc loco Apostol⁹; *subuertẽdi* verbũ pro auertere, destruere, seducere, à veritate abducere, Act. 20. *accipiens*. Huiusmodi n. sapiẽter furib⁹ similes facit Dñs Joan. 10. vt q *non veniãt, nisi vt furẽtur & mactẽt & perdãt*. Nã furantur alienas oues, vt mactent q̃ vixerint, vt pdant quæ inuentæ fuerũt, id est, vt iam Christianos atque Catholicos hæreticis doctrinis à grege Christi abducãt, suos faciãt discipulos, qui Ecclesiæ fuerãt. Quo sensu Paulus, Act. 20. dixit eosdẽ *abducere discipulos post se*, id est, post sensum suum & Spiritum. Cui subscribens libro tertio, capite secundo. Irenæus dixit, *omnes hæreticos seipsos prædicare, veritatis regulam deprauantes; cum à communi & recepta fidei regula auersos, ad sua noua particularia dogmata pertrahant. Veniunt enim in nomine suo, quemadmo-*

Hæreticorum est, non tantum sibi, sed aliis nocere.

Hæretici, fures.

dum dixit Christus, Ioan. 5. *& ex propriis loquuntur*, Ioan. 8, cũ & se & sua propria dogmata, alienas oues Catholicæ videlicet doctrinæ, furantur. Paganos & infideles ad Christi fidem non conuertunt, sed potius *subuertunt*. Quod inde fit euidens, quòd cûm omnis veræ Ecclesiæ *potestas data sit ad ædificationem, non ad destructionem* secundæ Corinthiorum decimo, è contra, hæreticorum potestas permissa & præsumpta est ad subuersionem: Et cum *pastores in Ecclesia à Christo dati sint ad consummationem sanctorum*, Ephesios quarto, secus tamen omninò faciunt Hæretici, ad subuersionem auditorum, circa caulas Ecclesiæ grassantes, vt destruant, quæ fuerant ædificata, eaque dissipent, quæ fuerant vnita.

Hæretici tantum ad subuersionem intenti.

Et sanè, hanc impostorum proprietatem scitè admodum videtur descripsisse Hier. cap. 17. dicens: *Fouit perdix quæ non peperit, congregauit faciens diuitias non suas*: vel, vt alij posteriora verba legunt, sine iudicio. In quem locum D Hieron. *Aiunt*, inquit, *scriptores naturalis historiæ Aristoteles, Theophrastus, Plinius Secundus, hanc perdicis esse naturam, vt oua alterius perdicis furetur, & eis incubet, foueatque. Cumque fœtus adoleuerit, auolare ab eo, & alienum parentem relinquere. Hoc ad hæreticorum personam referendum est: quod perdix ista Diabolus clamauerit per principes Hæreticorum & congregauerit quæ non peperit, & deceptorum sibi multitudinem collegerit, quæ postea dimittet eum, vt omnium iudicio iustissimus comprobetur.* Sic etiam, idque clarius & vberius Augustinus lib. 13. contra Faustum c. 13 *Congregant*, inquit, *Hæretici quæ non pepererunt.*

Hæreticorum proprietas ex perdicis natura describitur.

Hæretici vera perdices.

Christianos enim quos maximè Christi nomine seducunt, iam per ipsius Christi Euangelium natos inueniunt, & faciunt illos diuitias suas: non sanè cum indicio, sed cum temeritate inconsiderata. Non enim intelligunt ibi esse veram & salubrem, & quodammodo germanam atque radicalem Christianorum societatem; vnde istos separauerunt, quos ad suas diuitias congregauerunt. Hæc ille.

Vnde D. Hieronymus, illud ad Gal. cap. 5. explicans, *Modicum fermentum totam massam corrumpit: Doctrina*, inquit, *peruersa ab vno incipiens, vix duos aut tres primum in exordio refert auditores; sed paulatim vt cancer serpit in corpore, & iuxtà vulgare prouerbium, vnius pecudis scabies totum commaculat gregem. Igitur* (subiungit S. Pater) *& scintilla, vbi apparuerit, extinguenda est, & fermentum à massa vicina submouendum; secanda putrida carnes & scabiosum animal à caulis ouium repellendum, ne tota domus, massa, corpus & pecora ardeat, corrumpatur, putrescat, intereant. Arrius in Alexandria vna scintilla fuit; sed quia non statim oppressa est, totum orbem eius flamma populata est.* Horum subuersorum patefacto exemplo, hæreseôn luem cum repentis cancri catagiosa serptione & repentina erosione, similitudine comprobat Apostolus; quibus infra cap. 3. *Iannem* & *Mambrem* pares facit: *Hi*, inquit, *resistunt veritati, corrupti mente reprobi circa fidem, &c.*

Parua hæreseos scintilla magnum imitare solet incendiũ.

31. Sed fundamentum Dei stat.

Tacita cuiusdam obiectionis Paulina solutio.

Rectè ac sapienter cuidam dubitationi tempestiue occurrit Apostolus, vt religionis Christianæ ædificium ita stabile & immobile esse confirmet, vt perfidiæ licet procellis, ventisque apostasiæ hinc inde impellatur, ruinæ tamen periculum neutiquã

sit

sit illi metuendum. Cum enim multorum subuersa fide, aliqui charismatibus spiritus etiam abundantes apostatarent; poterat aliqs existimare Ecclesiæ Christianæ fundamentum breui ruiturum, Christo tam abominabiles hæreses initio plantatæ religionis suæ exsurgere permittente. Huic siue suspicioni, siue cogitationi occurrens, affirmat Apostolus, *firmum* & immutabile permanere Dei *fundamentum*. Verùm, quid *firmi fundamenti* nomine sit intelligendum, non vna est Interpretum sententia. Quidam enim eo nomine, rationem & consilium de dispensatione salutis humanæ intelligunt; quod quia primum est humanæ salutis initium, *firmum fundamentum* vocetur, id est, firmiter munitum & stabilitum, quod nec obrui, nec dimoueri, nec subuerti possit. Licet enim veniant prauorum hominum flumina, flentque hæreseôn venti, & irruant in illam sapientiæ & dispositionis diuinæ domum; non tamen subuertetur. Quid verò causæ? qa huius diuinæ dispositionis firmitas immutabilitate nititur, quæ est ita immobilis, vt nulla vis ei inferri possit, q̃ omni incursui resistens, nulli cedit vi, aduersitati, motui, &c. In eam sententiam coincidere videntur illi, qui eodem *fundamenti* nomine intelligunt, vel promissiones, siue prædictiones de eodem consilio in scriptura, comprehensas; vel etiam ipsum Euangelium, quatenus eo, consilij diuini fundamentum explicatur.

Firmi fundamenti nomine, quid hoc loco intelligendum. 1. *Diuinum consilium, immutabile.* 2. 3.

D. Ambrosij commentarius, per hoc *fundamentum*, ipsam Dei fidem intelligit, quam in promissis seruat; Q. d. *Sed firmũ fundamentum Dei stat*, id est, non impedietur Dei promissum, quò minus

Alia huius loci expositio.

& fidelibus illis, qui per verbum illorum credere didicerunt. Ait enim Joannis decimo septimo. *Non pro eis* (Apostolis) *rogo tantum, sed & pro illis, qui per verbum illorum credituri sunt in me*. In quæ verba, tractat. centesimo nono, scribens Augustinus, prolixè probat verbum Dei & verbum Apostolorum, credere Deo & credere Ecclesiæ prorsus eadem esse. Ex quibus colligi potest, quam firmum sit fides Catholica fundamentum, cum immutabili diuinæ authoritatis fundamento innitatur.

Huic tamen loco aptior videtur illa D. Augustini varijs locis tradita, aliorumq; expositio, qui *firmi fundamenti* nomine, Ecclesiam electorum ad vitam æternam præordinatam intelligunt, *quorum* videlicet *nomina scripta sunt in libro vitæ*, de quo Apocal. 20. scriptum est: *Qui non inuentus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis*. Et est quasi diceret Apostolus: Licet subuerterint Pseudapostoli illi quorundam credentium fidem, non est propterea desperandum de subuersione totius Ecclesiæ, quia *firmum fundamentum Dei stat*, id est, electi, quos Deus ad vitam elegit, stant permanentque firmi & stabiles in fide, alijs interim deficientibus & apostatantibus, iuxta illud Domini, Matthæi decimo quinto: *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur*. Et Matth. 7. *Venerunt flumina, & venti, & non corruit* fides electi ad vitam; *fundata n. erat super firmā petram*. Hanc diuinam ad vitam electionem, firmū fundamentum ideò vocat Apostolus, quia nulla vi labefactari potest, cum sit impossibile prædestinatū perire, iuxta illud Domini, Joan. 15. *Non peribunt* (oues pdestinatæ) *in æternū, & nec rapiet eas quisquā de*

Vera huius loci interpretatio.

Huius loci paraphrasis.

manu mea. Et Matth. 24. ait Dominus, Antichristũ suis falsis miraculis decepturum, (si fieri posset) etiam electos. Certus enim & definitus à Deo est prædestinatorum numerus, qui nec minui, nec augeri, nec mutari potest, quemadmodum docet Augustinus, lib. de corrept. & gratia, c. 13. Quod significasse videtur Joannes Baptista, Matthæi 3. cum dicit: *Facite ergo dignum fructum pænitentiæ. Et nolite dicere apud vosmetipsos, Patrem habemus Abraham; Potens est enim Deus suscitare de lapidibus istis filios Abrahæ.* In quem locum D. Augustinus: *Vt ostendat*, inquit, *sic istos esse amputandos, si non fecerint fructum, vt non desit numerus qui promissus est Abrahæ.* Quòd D. Thom. intelligit de numero certo, non solum formaliter (vt loquuntur in scholis) sed etiam materialiter, id est, non solum quod tot saluari debeant, sed etiam quod certi & designati. Id indicatum videtur in sacris literis, vbi numerus prædestinatorum fasciculo comparatur; veluti primi Regum 25. cum Abigâil dixit Dauid: *Si surrexerit aliquando homo persequens te, & persequens animam tuã, erit anima Domini mei custodita, quasi in fasciculo viuentium apud Dominũ Deum tuum,* &c. Vbi per fasciculum viuentiũ, numerũ prædestinatorũ intelligit Glossa ord. ibid. Cuius similitudinis ratio licet peti posset ex eo, quod sicut fasciculus astringitur vt conseruetur, ita electos tribulationũ pressuris constringat Deus, vt ijs admoniti per manus redemptoris in perpetuũ conseruentur: Vel, quod sicut fasciculus nodo quodam & nexu colligatur, ita Sanctorum cœtus, eodẽ fidei, spei, charitatis vinculo coniungatur: In eo tamẽ etiã potest similitudinis ratio constitui, quod sicut fasciculus non nisi ex certis ijsque

Prædestinatorum numerus nec augeri, nec minui potest.

Certus prædestinatorum numerus.

Prædestinatorum numerus cur fasciculo comparetur.

Prima ratio.

2.

3.

iisque lectissimis floribus conficitur; ita prædestinatorum numerus ex certis iisque charitatis virtutumque cæterarum odore atque suauitate redolentibus existit. Quamuis igitur multi fidem Christi amplectantur, eamq; postea negent & aspernentur; quos tamen elegit & prædestinauit Deus, nec excidere, nc contra eos alij præualere possunt, quia Dominus eos ita tutatur, vt nemo de manu eius eos possit eripere. *Non* enim *Dominus repellit plebem suam, quam præsciuit*. Roman. 11. *Quos* enim *Deus prædestinauit, hos & vocauit, iustificauit, glorificauit*. Quemadmodum pulchra gradatione Rom. 8. affirmat Paulus.

Cæterum, dictis obesse videtur illa Domini ad Angelum Philadelphiensem admonitio Apocal. 3. *Ecce venio cito: Tene quod habes, vt nemo accipiat coronā tuam*. Videtur n. ibi velle Dominus, vt Philadelphiēsis ille quod habet, teneat, id est, conseruet suam fortitudinem & patientiam, pergatque vt cœpit nullis cedere persecutionum procellis, ne, si iis succubuerit, alius pro se substituatur, qui mercedem & coronam vitæ æternæ referat, quam sibi à Deo paratam in cælis habebat. Quod si certissima & infallibilis est prædestinatio, quî fieri potest, vt ille coronam vitæ æternæ amittat, ad quam iam erat prædestinatus? Huic dubitationi respondens D. Thomas 1. p. q. 23. a. 6. concludit coronam alicuius dupliciter accipi posse. Vno modo ex prædestinatione diuina; quo pacto nullus coronam suam potest amittere: Alio ex gratiæ merito; qua ratione quilibet coronā suam per læthale peccatum amittit, ita vt alius coronam eius accipiat eo ipso, quod eius loco subrogetur; iuxta illud Iob 33. *Conteret multos & innumerabiles*

Dubium.

Dubij solutio prima.

Duplex alicuius corona.

les & stare faciet alios pro eis. Sic in locum angelorum qui ceciderant, substituti sunt homines, & in locum Iudæorum, Gentiles; hæreticorum & schismaticorum, noui orbis nationes. Itaque D. Thomas, coronam hanc non ad prædestinationem ipsam, sed ad præsentem iustitiam pertinere existimat. Cui subscribens Rupertus; *Et quidem*, inquit, *hoc fieri non potest, vt eorum quispiam perdat coronam suam, quos Deus præsciuit, & ad coronam prædestinauit: Veruntamen & fieri potest & factum est, vt ille coronam perderet, quem Deus ad coronam vocauit vocatione visibili, siue quæ ab hominibus potuit audiri. Nam exempli gratia, Iudam Dominus ad coronam vocauit Apostolicam, quem tamen ad coronam non prædestinauit, quia corona indignum fore præsciuit. Vnde & coronam eius*, scilicet Apostolatus honorem, *alius accepit, sicut scriptum est: Fiant dies eius pauci, & episcopatum eius accipiat alter*. Psal. 10. Rectius tamen de ipsa prædestinationis corona eum Apocal. locum interpretans, huic dubitationi satisfacit Augustin. lib. de corrept. & grat. c. 13. Idem n. vult dictũ Philadelphiensi angelo & omnibus prædestinatis; *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam, ne altum illi sapiant, sed cum timore & tremore salutem suam operentur. Quis enim*, inquit ille, *ex multitudine fidelium quandiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat, quia id occultari opus est in hoc loco, vbi sic cauenda est elatio, vt etiam per Sathanæ angelum ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apostolus*. 2. Corinth. 12. Ex cuius verbis responsionem hanc possumus elicere, quòd nimirum diuina prædestinatio nullam prædestinato necessitatem afferat, adeo vt integrũ illi sit ex æquo bene

Alia & melior D. August. solutio.

Prædestinatio diuina nullam homini necessitatem affert.

bene vel male agere, ac si prædestinatus non fuisset; & sic verissimè potest, si libertas eius spectetur, coronam amittere, quemadmodum & reprobus eadem ratione, potest illam consequi. Quo spectans Petrus 2. suæ epist. 1. dixit: *Satagite fratres, vt per bona opera certam vestram vocationem faciatis.* Quãquam ex hypothesi, quòd alter sit prædestinatus, alter reprobus, hoc est, in sensu composito, vt loquuntur Theologi, implicet contradictionem, nulloque modo fieri possit, vt prædestinatus coronam amittat, reprobusque eius loco succedat.

32. *Habens signaculum hoc; cognouit Dominus qui sunt sui.*

Huius loci *signaculum*, bifariam exponi potest. Primo, vt pro signo siue nota quadam sumatur, qua res vt dignoscantur, notari solent. Sic fides, eò quòd quædam nota sit & veluti tessera, qua fideles à non fidelibus discriminantur, signaculum dicitur, vt tradit D. Gregorius lib. 29. moral. cap. 2. de ea illud intelligens, Cant. 8. *Pone me vt signaculum super cor tuum.* Et Augustinus: *Signare*, inquit, *est signum rei imponere. Cuicumque rei ponis signum, ideo ponis, ne confusa cum aliis à te non possit agnosci.* Vnde *& pater Christum signauit*, Ioan. 6. id est, proprium quiddam illi dedit, ne cæteris comparetur hominibus, iuxta illud Psalm. 44. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Quo etiam sensu, dixit Paulus 2. Cor. 11. *Qui vnxit nos Deus, qui & signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Et Ephes. 1. *In quo & credentes signati estis spiritu promissionis sancto, &c.* Et cap. 4. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redem-*

Signaculi nominis duplex acceptio.

Prima.

Fides, signaculum dicitur.

demptionis. Eam ob causam, in Baptismo character animæ imprimitur, quasi distinguens fidelem ab infideli. Sic accepto *signaculi* nomine, voluit dicere Apostolus: *Fundamentum Dei stat*, id est, prædestinati in fide constanter permanent, eò quòd notati sint à Deo sequenti signo; *Dominus nouit, &c.* Prædestinati namque, non solum fidei, sed etiam amoris & charitatis notam impressam animo habent, à qua signati appellantur, Apoc. 7. Sunt enim signati Christo, tanquam signaculo in corde & in brachio; ad cuius sigillationem sponsam sponsus inuitat, cum Cant. 8. dicit: *Pone me vt signaculum super cor tuum, & signaculum super brachium tuum*; quemadmodum eleganter explicat D. Ambrosius, lib. de Isaac & anima cap. 8. *Signaculum*, inquit, *Christus in fronte est, signaculum in corde, signaculum in brachio. In fronte vt semper confiteamur; in corde vt semper diligamus; in brachio, vt semper operemur.* Hinc est quod Zorobabeli, quatenus Christi figuram referebat, dictum sit Aggæi 2. *Ponam te quasi signaculum*; sic interpretãte Hieronymo: *Hunc* (Christum) signauit *Deus Pater*, Ioan. 6. *& ipse est imago Dei inuisibilis & forma substantiæ eius*. Hebr. 1. vt quicumq; crediderit in Deum, hoc quasi annulo consignetur.

Huius loci sensus.

Prædestinati, cur signati dicantur.

Secundò, accipi potest *signaculi* vocabulum pro occulta & nulli cognita re, deducta ex eo significatione, quòd sigillum rei cuipiam imprimi soleat, vel ad claudendum, quæ arcana & abscondita esse volumus, vel ad custodiendum firmiter, quæ clausa sunt, vel denique ad stabiliendum, quod mutare non licet, sicut quæ absconduntur. Hoc pacto, *signandi* verbum sæpius acceptum reperitur in scriptura; vt sit idem signare, ac claudere, occultare, abscondere,

Secunda signaculi significatio.

Signandi verbum pro claudere & abscondere frequens in script.

con-

confirmare sigillo Esaiæ 8. *Liga testimonium, signa legem in discipulis meis*, id est, absconde & obsigna: non enim intelligunt hæc mysteria, nisi quos Deus docuerit. Iob. 9. *Stellas claudit, quasi sub signaculo*; cum illas videlicet, obducit tenebris & eripit nostro conspectui. Hinc est, quod *signandi* verbum, frequenter jungatur aut exponatur verbo claudendi, aut condendi. Daniel. 12. *Claude sermones & signa librum*. Deuteron. 32. *Condita & signata in thesauris*. Cant. 4. *Hortus conclusus, fons signatus*. Vnde signum aut signaculum, licet Latinis signet, aut sigillet, quia significat; in sacro tamen sermone, signat & sigillat, quia claudit & occultat. Sic Apocal. 10. *Et vidi angelum*, inquit Ioannes, *descendentem de cælo, habentem clauem abyssi, & apprehendit draconem, & misit eum in abyssum, & clausit, & signauit super illum*. Eum enim locum tractans Augustinus, libro secundo de Ciuitate Dei, capite septimo sic scribit: *Quod abditum est, signauit, significare mihi videtur, quod occultũ esse voluit, qui pertineant ad partem diaboli & qui non pertineant; hoc quippe in sæculo isto prorsus latet; quia & qui videtur stare, vtrum casurus sit; & qui videtur iacere, vtrum surrecturus sit; incertum est*. Sic eodem capite decimo eidem Ioanni dicitur: *Signa, quæ locuta sunt septem tonitrua, & noli ea scribere*; id est, obsigna & occulta, ne videlicet, fideles tantorum malorum, quæ tonitrua suis vocibus extremo tempore euentura minabantur, commemoratione, animo concidant. Quare, iuxta hanc *signaculi* acceptionem, significare voluit Apostolus, diuinum de saluandis hominibus, consilium esse obscurum, & hominum electionem, quâ Deus ante tempora sæcularia decreuit mortales ad salutem æternam eligere, nobis

Prædestinatio hominibus incognita.

esse incognitam, vt quæ solius Dei notitia, quasi signaculo quodam obsignata, claudatur; vnde & apud nos, incerta & occulta sit, & apud Deum stata & fixa. Quam ob causam, exclamat Paulus Rom. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Quis enim cognouit sensum Domini, &c.* Profundissimum diuinæ prædestinationis pelagus, fluctusque mouet altissimos, quos vel ipsum cælum pertingentes, non potest paruula intellectus humani scapha pernauigare. Etenim *multiplicati sunt super numerum*, cum non modò vocati sint ad fidem, qui ex numero sunt prædestinatorum, sed alij etiam super hunc numerum, vt scribit Augustinus, super cit. Psalm: *Numerus certus est*, inquit, *pertinens ad cælestem Hierusalem. Nouit enim Dominus qui sunt eius.* Sunt & super numerum, &c. Soli itaque Deo, notus est ille prædestinatorum numerus.

Prædestinatio diuina in intelligibilis.

Cognoscendi verbum, quid hoc loco.

Cognoscendi porro verbum hoc loco, non pro simplici Dei cognitione accipiendum est, sed & pro ea, quæ cum summo amore summaq; cura coniuncta est, quam communis Theologorum schola, *Approbationis notitiam* nominat. Licet enim omnes homines tam prędestinatos iustos, quàm præscitos impios cognoscat Deus, vt cuius oculis omnia nuda & aperta sint; diuersa tamen admodum cognitione, ex parte cognitorum vtrosque cognoscit. Prædestinatos namque & iustos nouit notitia gratiæ gloriæque plenissima; præscitos verò impios, nouit notitia plena sceleribus illorum & tormentis: Approbationis tamen notitia neutiquam impios, sed solos iustos & prædestinatos cognoscit. Quemadmodum enim

Prædestinatos & reprobos diuersa cognitione nouit Deus.

rex viros nobiles, vel ex nomine etiam cognoſcit, plebeios verò infimoſq; homines minimè; Sic Deus nobiles ſuos iuſtos ſanctoſque viros nouit etiam ex nomine, cum tamen infimam impiorum plebem non agnoſcat. Vnde illud Exod. 33. Moyſi dictum: *Noui te ex nomine*; veluti ſcilicet, virum, qui magna apud me regem ſummum pollet gratia. Hoc pacto ſe *oues ſuas cognoſcere, eaſque nominatim vocare* teſtatur *bonus paſtor*, Ioan. 10. eò quòd eas peculiari cognitione, amore, gubernatione proſequens, peculiaribus etiam afficiat priuilegiis & beneficiis. Sic Regius vates Pſal. 1. *Nouit Dominus*, inquit, *viam iuſtorum*. Pſalm. 36. *Nouit Dominus diem immaculatorum.* Et Sapiens Prouerb. 4. *Vias quæ à dextris ſunt nouit Dominus; peruerſa vero ſunt, quæ à ſiniſtris ſunt.* Et Amos, cap. 3. *Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ, idcirco viſitabo ſuper eos omnes iniquitates veſtras.* Ad id ſignificandum, præcepit Exod. 28. inſcribi in duodecim gemmis pretioſiſſimis in rationali poſitis, duodecim nomina, iuxta numerum tribuum filiorum Iſrael. Prætereaque in duobus lapidibus Onychinis ab vtroque ſummi ſacerdotis humero geſtandis eadem duodecim nomina, in quolibet lapide ſena inſculpi iuſſit, vt ſcilicet, intelligerét homines, Deum, cuius Pontifex ille maximus imaginem referebat, ſánctos ſuos non ſolùm in humeris per auxilium, ſed in pectore etiam per amorem geſtare, eorumq; continuo recordari, quorum in pectore atque adeo ante oculos nomina præferebat.

Approbationis notitia ſoli iuſti & prædeſtinati à Deo noſcuntur.

Huius rei typus.

Approbationis vero *notitia*, dicitur Deus reprobos neſcire, 1. Corinth. 14. *Qui ignorat ignorabitur.* Ex

Approbationis notitia Deus reprobos neſcit.

quo loco, argumẽtatur Hieronymus, super Amos. 3. *Deum non omnes cognoscere* (approbatiua cognitione) *sed eos qui eius cognitione sunt digni.* Vnde est illud Lucæ 13. *Recedite à me operarij iniquitatis, nescio vos.* Et Matth. 25. fatuis virginibus dictum: *Amen dico vobis, nescio vos.* Quin imo, vsqueadeo reprobos perhibetur Deus ignorare, vt ne nominum quidem eorum memoriam habere dicatur, quemadmodum sub Dauidis persona, Deus ipse testatus est Psal. 15. cùm ait: *Non congregabo conuenticula eorum, nec memor ero nominum illorum per labia mea.* Hinc Prouerb. 10. postquam iusti memoriam cum laudibus futuram dixisset Sapiens, de impiorum nomine subiunxit: *Et nomen impiorum putrescet.* Putridum proinde, putidum, graueolens, ingratissimum auribus, iniucundum naribus, ori, linguæ, palato molestissimùm impiorum nomen, delicatioris palati piissimus rex nauseat.

Impiorum nomen Deus nauseat.

Concilij Trident. dogma de incertitudine salutis.

Ex dictis conficitur esse verum, quod Concilij Tridentini Patres, decr. de Iustif. cap. 12. & 13. cum aiunt: *Nemo, quandiu in hac mortalitate viuitur, de arcano diuinæ prædestinationis mysterio vsque adeo præsumere debet, vt certo statuat se omnino esse in numero prædestinatorum: Quasi verum esset, quod iustificatus, aut non possit amplius peccare, aut si peccauerit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat. Nam nisi ex speciali reuelatione sciri non potest, quos Deus sibi elegerit. Similiter de perseuerantiæ munere sentiendum est, de quo scriptum est: Qui perseuerauerit vsque ad finem, hic saluus erit. Quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo qui potens est eum, qui stat, statuere, vt perseueranter stet, & eum qui cadit, restituere. Nemo igitur sibi aliquid certi absoluta certitudine pollicea-*

tur; tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent: Deus enim *nisi ipsi gratiæ illius defuerint, sicut cœpit opus bonũ, ita perficiet; operans velle & perficere.* Quæ doctrina Patrum, multis diuinæ scripturæ testimonijs nititur atque fulcitur, plurifariam affirmantis hominem esse ignarum & incertũ rerum futurarum. Scriptum est enim Ecclesiast. 8. Ne glorieris in crastinum, ignoraran squid superuentura pariat dies. Item Prouerb. 27. & 28. *Beatus homo, qui semper est pauidus.* Huc etiam spectat memorabilis illa & celebris Salomonis sententia, Eccles. 9. *Nescit homo, vtrum odio, an amore dignus sit; omnia in futurum seruantur incerta.* Quæ verba, verissimam sententiam efficiunt, si intelligantur de amore Dei, quantum ad æternam electionem & prædestinationem hominum, & de odio reprobationeq́ue eorum. Quæ omnia luculentè paulò antè citatam sententiam tractans, confirmat D. Bernardus, serm. 1. de L X X. *Quis potest dicere;* inquit; *Ego de electis sum; ego de prædestinatis sum ad vitam æternam; ego de numero sum filiorum Dei?* Quis hæc *inquam, dicere potest, reclamante nimirum scriptura; Nescit homo si amore dignus sit, an odio. Certitudinem itaque non habemus, sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis huius anxietate penitꝰ cruciemur, &c.* Nec est frustranea, sed homini vtilissima hæc prædestinationis diuinæ ignoratio, vt scilicet, virtutum omnium parentem humilitatem eidem pariat; quemadmodum indicat D. Prosper lib. 2. de vocat. Gentium cap. vlt. *In remotissimo,* inquit, *ab humana cogitatione secreto, præfinitio huius electionis abscondita est; & de nullo ante ipsius finem prænuntiari potest, quod in electorum gloria sit futurus; vt perse-*

Idem dogma ex script. confirmatur.

D. Bernardi sententia.

Hominis vtilissima prædestinationis ignorantia.

Prædestinationis ignorantia humilitatem gignit.

uerantem humilitatem vtilis metus seruet, & qui stat, videat ne cadat, &c. Idem docet Augustin. lib. de corrept. & gratia capite 13. Et quidni humilitatem gignat illud eiusdem Augustini in libro de ouibus, cap. 10. *Ouem te putas, hircum te forte Deus nouit, &c. Si fores pulsat superbia, hoc mente quisque voluat; Ouem te putas*, hircus forte es, *apud Deum. Quod si desperatio vrget, contra cogitet; Hircum te putas, Ouem te forte Deus nouit.* Etenim aduersus desperationem & segnitiem valet etiam prædestinationis occultatio. Hinc est illud D. Thomæ 1. part. quæst. 23. art. 1. ad 4. *Etiamsi aliquibus ex speciali priuilegio, sua prædestinatio reueletur; non tamen conuenit vt reueletur omnibus; quia sic illi qui non sunt prædestinati, desperarent, & securitas in prædestinatis negligentiam pareret.*

Contra desperationem est prædestinationis occultatio.

Tacita soluitur obiectio.

Locus Philipp. 1. expiscatur.

Huic prædestinationis incertitudini neutiquam aduersatur Apostolus, cum Philippensibus scribens capite primo. *Confido*, inquit, *quod qui cœpit in vobis opus bonum perficiet vsq; in finem.* Loquitur enim ibi Apostolus, per coniecturam duntaxat & piam quandam opinionem & ab affectu charitatis conceptam confidentiam. Licet enim incerta & ignota sit prædestinatio, eiusdem tamen signa quædam probabilia cernere potest quis, ex quibus, tam se, quàm alios prædestinatos esse. & coniicere, & confidere potest, animumq; suum consolari. Vnde illud ante citatum D. Bernardi: *Certitudinem non habemus, sed spei fiducia cõsolatur nos, &c.* Cum enim quis non solũ credit; sed & in operibus bonis notabiles progressus facit, probabile, non certum aliquod prædestinationis argumentum sumi potest. Quod indicauit

Probabilia prædestinationis signa habere quis potest.

Dominus, posteaquam Judæos ex numero ouium suarum excludens, quales illæ sint aperuit Joan. 10. *Non est*, inquit, *ex ouibus meis* prædestinatis. *Oues enim meæ vocem meam audiunt & sequuntur me.* Quibus verbis, indicauit Dominus, prædestinationis signa & effectus esse, Christi vocem audire illumque sequi. Prædestinationis effectus est vocatio & iustificatio, quia quos Deus prædestinat, hos & vocat, & iustificas, iuxta illud Pauli Rom. 10. *Quos prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, &c.* Si quis igitur vocantem Deum audiat, si vocationi obtemperet, si iniquitati æternum nuntium remittat, si iustitiam colat, & mandata obseruet, si pastorem sublata cruce, sequatur iuxta illud Christi Matth. 16. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*, signa habet is egregia prædestinationis, quæ, vt D. Bernardus loquitur, *eum consolentur.* Alium quoq; prædestinationis effectum addit ibidem Paulus, qui est *glorificatio: Quos*, inquit, *iustificauit, illos & glorificauit*: quem effectum, etiam continent illa Christi verba Joan. 10. *Ego vitam do eis, &c.* (prædestinatis.) *Prædestinationis effectus.*

Quod si cui fortasse hæc incertitudo de sua ipsius prædestinatione scrupulum pariat, eoque cornuto argumento vtatur: Si prædestinatus sum, certò saluabor, si non, tum quicquid egero siue boni siue mali, mihi non proderit: Sciat ille, dari quidem à Deo prædestinationis effectus, vocationem scilicet, iustificationem, meritaque omnia, non tamen ita dari homini, perinde ac stipiti, vel brutæ oui nulla libertate præditæ. Concurrit enim homo ad hos effectus, meritaque liberè, *Contra prædestinationem Enthymema.* *Enthymematis solutio.*

cum

cum prædestinatio liberum non tollat arbitrium, sed iuuet tantummodo Deus ac ducat liberè & suauiter quo vult, ouem prædestinatam, ita tamen, vt resistere possit, cum ducitur. Sic Sess. 6. can. 4. definierunt Concilij Tridentini Patres his verbis: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac præparet: non posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omninò agere, mereq; passiuè se habere, anathema sit, &c.* Vnde Greg. in c. 22. in fin. *superna pietas*, inquit, *prius agit aliquid in nobis sine nobis, vt subsequente quoque nostro libero arbitrio, bonum quod iam appetimus, agat nobiscum, &c.* Hoc ipsum docuit Christus, iam sæpe citato Joan. 10. loco, cùm ait: *Oues meæ vocem meam audiunt & sequuntur me*, liberè videlicet. Et 1. Cor. 15. *Non ego*, inquit Paulus, *sed gratia Dei mecum.* In quæ verba, ibid. ait Gregorius. Non diceret Paulus, *mecum*, si cum præueniente gratia subsequens liberum arbitrium non haberet. Vt se sine gratia nihil esse ostenderet, ait Paulus; *Non ego.* Vt verò se cum gratia operatum esse per liberum arbitrium, demonstraret; adiunxit: *Sed gratia Dei mecum, &c.* Nec putandum, hanc arbitrij libertatem, diuinæ prædestinationis certitudini officere; quia tanta est Dei potentia & sapientia, vt & sciat & possit seruata libertate arbitrij, hominem liberè operantem quocumq; velit, suauissimè congrua & certissima vocatione ducere. Hoc verò, quod scit & potest, facit; hominis libertatem seruat, & veluti ouem, quo vult, perducit. Etenim, si non liberè, sed veluti libertatis expers ouis, operaretur homo, nulla

Prædestinatio liberum non tollit arbitriũ.

Liberum arbitrium prædestinationi non officit.

nulla merita habere posset. Habet autem merita, quia habet libertatem, libereque cum Deo digna præmio efficit opera, à diuina gratia promanantia.

Deum autem nonnullis perinsigni pietate & sanctimonia præditis, sibique charissimis & familiarissimis manifestasse ipsorum electionem & prædestinationem ad vitam æternam, nulli dubium esse potest, cum id perspicuè doceat scriptura; Apostolis enim satis apertè perseuerantiam eorum vsque ad finem indicauit illis verbis Joan. 15. *Alium paracletum dabit vobis Pater, vt maneat vobiscum in æternum.* Luc. 22. *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis: & ego dispono vobis, sicut disposuit vobis Pater meus, regnum, &c.* Illis item verbis Luc. 12. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro, dare vobis regnum.* D. item Paulo reuelatam fuisse suam prædestinationem, colligit Anselmus, ex huius epist. cap. 4. sententia illa cum ait: *Bonum certamen certaui; cursum consummaui; fidem seruaui; in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus iustus iudex.* Nec solum de sua prædestinatione videtur certus fuisse Apostolus, verum etiam de aliorum, vt Clementis & quorũdam aliorum coädiutorum, quorum nomina *scripta esse in libro vitæ*, affirmat ipse in epist. ad Philippenses capite quarto. Quanquam videtur Paulus illud de illis non sensisse certitudine fidei, sed morali quadam & humana probabilitate, proter quam, persuasum habebat ita esse, & æquum censebat, ita de illis sentire & loqui. Nec solum Christus Dominus reuelauit Apo-

Deus aliquibus prædestinationem reuelauit.

Apostolis reuelata.

Paulus, & de sua, & de aliorum salute certus.

LXXII. discipulis reuelata à Christo prædestinatio.

postolis suam ipsorum prædestinationem, verum etiam septuagintaduobus discipulis, quibus dixit: *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis*. Matt. 5.

33. *Et discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini.*

Tota prædestinationis ratio in sola Dei notitia non consistit.

Quia dixerat Apostolus, Deum approbatiua notitia nosse suos prædestinatos, quos perire est impossibile; ne quis omnem prædestinationis rationem in ea Dei notitia poneret, subiungit, oportere nihilominus illos cum Deo concurrere, & iniquitati nuntium omninò remittere. Q. d. Diuinæ quidem prædestinationis notitia sigillo firmissimo clausa, nulli mortalium (priuilegia peculiaria excipio) nota esse potest; si quis tamen inuestigare vult, an sit prædestinatus, ex vita sua inuestiget. Si enim ab *omni iniquitate discesserit*, & in virtute perseuerauerit, bono animo esse potest, prædestinatumque se esse confidat. *Discedendi* porrò verbo, videtur Apostolus allusisse ad caput 16. Numer. vbi dicitur: *Recedite à tabernaculis hominum impiorum*, id est, ab ijs in quibus homines impij solent commorari. Est autem hic ab iniquitate discessus rebellio quædam & defectio à tota malorum cohorte & peccatorum factione, statasque inimicitias cum Diabolo, mundo, carne, hostium instar bellum inferentibus, gerere. Bellicum enim aliquid sonare videtur hic ab iniquitate *discessus*, quemadmodum contrario *accessus* nomine, vsus indicat Ecclesiasticus, capite secundo; *cum ait: Accedens ad seruitutem Dei, sta in timore & præpara animam tuam*

Ab iniquitate discedere quid?

Ab iniquitate discessus bellicũ quoddam sonat.

tuam ad tentationem. Accessus enim ille ad partes sanctitatis, fit discedendo à malo; quod est virtuti & pietati nomen dare, & Domino exercituum militare, quemadmodum etiam patet ex verbi *standi* significatione, quæ est stationem suam seruare instar strenui militis; & *præparare se ad tentationem*, est diligenter se comparare, vallare atq; sepire ad sustinendum impetum aduersariorum. Quod voluit Apostolus, cum dixit Ephes. 6. *Accipite armaturam, vt possitis resistere in die malo.* Et: *State ergo succincti lumbos vestros.* Hunc etiam ab iniquitate siue malitia discessum, tanquam ab hoste, *odij* nomine videtur Paulus expressisse, cum Romanis scribens cap. 12. *Odientes*, inquit, *malum, adhærentes bono.* Vbi Chrysostomus, hom. 21. dicit Apostolum iubere, vt aduersus malitiã & iniquitatem habeamus multam inimicitiam, multum odij, multum belli. Quod mali odium, bellum, inimicitia, quam vehementia esse debeant, declarauit Dominus ab iniquitate non discedentes homines alloquens, Matth. 7. *Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Cui sententiæ, ea vis inesse videtur, vt velit impios procul à se *discedere*, solũ vertere, ita vt inter se & impios nõ modo mur⁹ intercedat, sed etiã longissimũ spatiũ. Quo indicatur, nulla ratione *communicandũ operib⁹ tenebrarum*, Eph. 5. *procul recedẽdũ à tabernaculis impiorũ*, Num. 26. *non standum in via peccatorũ* Psal. 1. & ab omni iniquitate longissimè discedendũ, illudq; à Deo frequenti oratione postulandum, quod Psal. 85. postulauit Regius vates: *Vide si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æterna.* Ille namque dignus est regno, imperio, vita æterna, qui sic ab iniquitate discedit,

Standi verbum in scriptura, quid.

Vehemens iniquitati bellum indicendum.

Regno dignus, qui ab iniquitate discedit.

vt longè lateq; ab ea absit, & immortales inimicitias odiumq́; sempiternum cum ea semper gerat; quandoquidem de Christo dictum sit Psal. 44. quod propter dilectionem iustitiæ & odium iniquitatis, *Vnxerit eum Deus Deus suus oleo lætitiæ*, id est, regno & imperio. *Oleum* enim *lætitiæ* id dicebatur quo rex *in die lætitiæ*, Cãt. 18. id est, die coronationis & in augurationis in regem inungebatur. Quare, cum nostra salus à nostro quoq; pendeat arbitrio, vult Apostolus, vt nemo ex electione Dei certam sibi stabilemq́; iustitiã polliceatur; sed *discedat ab iniquitate*, hoc est, vt loquitur Apostolorum Princeps, 1. Petr. 2. *satagat inprimis per bona opera, certam facere vocationem suam.*

Iniquitas hoc loco quid.

Tametsi verò *iniquitatis* vocabulum, ad doctrinam referens, eam vt falsitati oppositam, interpretatur Theodoretus quemadmodum Rom. 11. *Credunt autem iniquitati*, id est, falsis diuersisq́; doctrinis: melius tamen eo nomine peccatũ ipsũ nõ quoduis; sed mortiferum intelligendum esse videtur. Neque enim intelligi potest de veniali, cum iniquus dici nõ possit, qui Dei gratiam habet; quemadmodum ex 1. Joannis tertio, fit euidens, vbi Joannes: Omnis qui facit peccatum, inquit, & iniquitatem facit, & peccatũ est iniquitas. Et subdit: *Qui facit peccatũ, ex Diabolo est.* Ait etenim: *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit*: Loquitur autem de mortali, quod maximè propriè dicitur peccatum. Quando autem ei de venialibus est sermo, quæ verè quidem, sed non ita propriè peccata dicuntur, non negat in ijs inueniri, qui ex Deo sunt nati: Vt eiusdem epist. capite primo. *Si dixerimus* (& se & omnes homines etiã iustos comprehendit) *quia peccatum* (veniale scilicet)

Non nisi mortaliter iniquus dici potest.

non habemus, ipsi nos seducimus. De primi generis peccato, loquēs Psal. 5. Regius vates: *Odisti,* inquit Deum alloquens, *omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Quo pacto, dictum est à Domino, Matth. 7. *Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Et Sapient. 1. *Os quod mentitur, occidit animam.* Curiosius autem inter *iniquitatem* & *peccatum,* sicut & inter *scelera* & *delicta* discrimen constituere nituntur Latini. Nam Gregorius, in cap. 13. Iob ait, *quod licet inter iniquitatem atque peccatum distare nihil, Ioannes Apostolus perhibeat, cum ait 1. Ioan. 3. Iniquitas peccatum est: Ipso tamen vsu loquendi, plus iniquitatem quam peccatum sonare; cū omnis homo facile se peccatorem fateatur, iniquum vero dicere nonnunquam erubescat. Inter scelera vero & delicta, hoc distabit,* addit idem Gregorius, *quod scelus etiam pondus peccati transit, delictum pondus peccati non transit: quia & cum offerri sacrificium per legem iubetur, nimirum præcipitur sicut pro peccato, ita etiam pro delicto & nonnunquam scelus in opere, delictum vero plerumque in sola cogitatione; Vnde & per Psalmistam dicitur, Psal. 18. Delicta quis intelligit.* Hæc Gregorius.

Quodnam sit inter iniquitatem & peccatum discrimen. D. Gregor.

Aliter distinguit D Thomas, existimans quæ contra proximum sunt, propriè dici *iniquitates*; quibus verò homo in seipso prauè disponitur & deordinatur, vt gulam, luxuriam; *peccata,* quasi deordinationes: quæ contra Deum, *scelera*; omissiones, *delicta.* D. Ambrosius, lib. de Apol. Dauid, docet quidem latius patere *iniquitatem,* quàm *peccatum*; contraria tamen ratione, quam Gregor. Alij ex malitia aut ignorantia distinguenda volunt; sed quicquid sit, nullum fixum constansq; discrimen assignari inter hæc posse videtur, cum promiscuè pro eodem sumpta reperian-

Aliud D. Thomæ discrimen.

Aliud aliorum.

Aliud, ex vocũ proprietate. riantur in scriptura. Illud tamen ex proprietate vocum elici potest, *iniquitatem* esse prauitatem quandam, quæ à recto deflectit; *peccata* verò proprie errata, & aberrationem & declinationem à via. *Scelus* autem est quasi trãsgressio & violatio pacti, seu constituti fœderis, & seditiosa aduersus Deum rebellio; *delicta* tandẽ in eadẽ significatiõ, qua superius peccatũ accipiuntur. Quare hæc grauissimorum peccatorum synonyma esse videntur, à quibus vult eos discedere Apostolus, qui *nomen Domini nominant*, qui Deum, Deique fidem & religionem corde & ore confitentur, seque eius plasma, facturam & creaturam agnoscunt; sine quibus nulla nominatio esse potest, iuxta illud Apostoli, 1. Corinth. 12. *Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* Is enim nominat siue inuocat (vtroque enim modo legitur) nomen Domini, non qui summis labris duntaxat dicit *Domine, Domine*, Matth. 7. sed qui, vt Psalmista Psal. 144. loquitur, *in veritate* nominat, id est, cum fide viua. (*Quomodo* enim *inuocabunt*, ait Apostol⁹ Roman. 10. *in quem non crediderunt*) cum affectione scilicet & optima vita, vt ait Chrysostomus. Sic *inuocabant nomen Domini* illi, de quibus Corinthiis scribens 1. epist. cap. 1. *Sanctificatis*, inquit, *in Christo Iesu, cum omnibus qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi.* Et Samuel, de quo Psal. 98. *Samuel inter eos qui inuocant nomen eius.* Denique Enoch, de quo Genes. 4. *Iste cœpit inuocare nomen Domini.* De iis verò, qui non debito modo & circumstantiis inuocant, dicit Dominus Prouerb. 1. *Inuocabunt me, & ego non exaudiam, mane consurgent, & non inuenient.* Nec solum *inuocare nomen Domini*, est illud ore ad salutem profiteri, quod *corde*

Nominare siue inuocare Dominum, quid?

ad

ad iustitiam aliquis credit; sed & ad gratiam etiam ineundam, & opis auxiliique implorationem, pertinet: imò etiam est, apud Deum aliquem reum alicuius criminis agere, ad eiusque tribunal prouocare, quemadmodum patet Iob 12. *Qui deridetur ab amico suo sicut ego, inuocabit Deum.*

Nomen Domini, siue *Dei*, variè in Scriptura vsurpari diximus in priori epist. Non enim hoc illud uc tantum, quo eum appellamus, *nomen Domini* dicitur; sed nostra de ipso existimatio, perfectiones oẽs, & quicquid ad ipsum quacumque ratione pertinet. Item, ipsa eius potentia & auxilium, vt cum patrem pro suis deprecans Christus, Ioan. 17. *Pater sancte*, inquit, *serua eos in nomine tuo*, id est, potentia & fortitudine tua. Item pro gloria & fama. Prouerb. 22. *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.* Et Ioan. 17. cum Christus protestatur apud Patrem, se *nomen ipsius manifestasse hominibus.* Quin etiam pro ipso Christo per accommodationem accipi posse videtur, quia scilicet, nomen est quædam notio & definitio rei: Filius vero, est Verbum & expressio propriȩ essentiæ Patris, eiq; ex vi suæ generationis, per dictionem intellectus consubstantialis. Quod ad hunc locum attinet, videtur phrasi Hebraica, *nomen Domini* poni pro ipso Deo, vt nomẽ pro re nominata & significata illo nomine vsurpetur. Quȩ acceptio frequens est in sacris literis, vt obuia passim exẽpla demonstrant; vt cum dicitur nomen Dei æternum, omnipotens, ineffabile, atq; incomprehensibile, id est, Deus ipse. Huiusmodi etiam sunt illa: *Credere in nomine Domini*, vel *sperare*, id est, in ipso Deo: & illa, *Nomen Dei timere, diligere, &c.* Eo etiam spectant illa, Leu. 24. cum filius

Varia nomini Domini acceptiones.

Quid nomen Domini, hoc loco.

Pro ipſo Deo ſæpiſsime in ſcriptura reperitur.

lius Iſraëlitidis & Ægyptij dicitur *blaſphemaſſe nomen Domini*, Pſal. 43. *In te inimicos ventilabimus, & in nomine tuo* (quod ante dixerat in te) *ſpernemus, &c.* Pſal. 47. *Secundum nomen tuum Deus, ſic & laus tua*, id eſt, talem te præſtas, qualem te omnes prædicant, Prouerb. 18. *Turris fortiſsima nomen Domini*, id eſt, ipſe Deus. Et Actor. 9 *Oſtendam illi*, (Saulo) *quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Et, *Non eſt aliud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Et Pſalm. 30. *Propter nomen tuum deduces me & enutries me.* Et Eſaiæ 30. *Ecce nomē Domini venit de lōginquo ardēs furor eius, &c.* Sic nomen hominis pro ipſo homine legere eſt in Actis cap. 1. his verbis: *Erat turba hominum ſimul, ferè centum viginti.* Vbi pro *hominum*, Græcè eſt ὀνομάτων, id eſt, *nominū*; ſed Latinus interpres permultis ignotum Hebraiſmum fugiens, ſenſum maluit perſpicuitatis gratia, quam verba reddere. Item Apocal. 3. *Sed habes pauca nomina in Sardis, qui nō inquinauerunt veſtimenta ſua.* Vbi *pauca nomina* dicit, pro paucis hominibus, vt ex eo patet, quod non dicat; *quæ non inquinauerunt, &c.* ſed, *qui non inquinauerunt*, haud dubie indicans, non vocem ipſam, ſed rem ſignificatam intelligi oportere. Similiter in eodem Apocal. lib. cap. 11. *Occiſa ſunt*, inquit Ioannes, *in terræmotu nominū ſeptem millia*, id eſt, ſeptem mille homines. Nec inſolita eſt hæc nominis pro reipſa, vſurpatio etiam apud prophanos, vt Tibullum & Horatium 3. Carm. quorum ille, *Ne fidum fœmina nomen*; his vero ait: *Pater relictum filiæ nomen.* Eſt autem notandum, circa huius generis phraſes, cum *nomen* rei alicuius dicitur, ſignificari rem excellentis nominis & gloriæ, videlicet rem nominari dignam; ita vt nomen rei ſignificet rem nominis

Nomen pro re apud prophanos.

Notandum.

minis

minis præclari. Quare hoc loco, *nomen Domini*, erit Dominus gloriosus & inuocatione dignus, cuius bonitatis & sapientiæ laus longè lateque patet, & omnium linguis hominum & angelorum celebratur.

Monet itaque omnem qui Dominum gloriosum inuocat Apostolus, vt *recedat*, id est, *declinet à malo & faciat bonum*, vt est apud Psalmistam, Psalm. 33. vel, vt apud Esaiam, cap. 55. *quiescat agere peruersè, & discat bene agere, derelinquatque viam suam, & cogitationes suas, & reuertatur ad Deum; vt sicut exhibuit membra sua seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita in posterum exhibeat membra sua seruire iustitiæ in sanctificationem.* Inde est quod Ioan. 14. cum Dominus ad fidem in se fuisset suos cohortatus, subiungat modum inuocandi Deum; quia videlicet, nisi fides præcedat, inuocatio esse non potest iuxta illud Roman. 10. *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Tum etiam mandatorum obseruantiam adiungit Dominus dicens: *Si diligitis me, mandata mea seruate.* Vbi Cyrillus lib. 9. cap. 43. aduertit cum petitione coniungi mandatorum obseruantiam; quia ille petit & impetrat, qui eius à quo petit, mandatum & voluntatem facere studet. Multi *enim non exaudiuntur quia malè petunt*, vt dicitur Iacobi cap. 1. Malè autem petit, qui mandata custodire nolens, petit. *Non* enim *omnes qui dicunt Domine Domine*, ait Christus Matth. 7. *intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem mei Patris, &c.*

Huius loci sententia.

Fides diuinam inuocationem præcedit.

34. *In magna autem domo non solùm sunt vasa aurea, & argentea; sed & lignea & fictilia.*

Alia obiectionis solutio. Occurrit secundæ dubitationi, quæ contra stabilitaté fundamenti diuini emergere poterat, quod videlicet Deus, impios cum iustis in Ecclesia videatur æqualiter ferre; horumque, sicut & illorum similem habere prouidentiam, hinc fieri nequaquã posse, vt Ecclesiæ regnum in parteis aduersas diuisum stare diu possit incolume, sed esse necessarium, vt paulo post desolatum concidat. Ad huius solutionem, Ecclesiam Dei, œconomiæ cuidam seu familiæ comparat, in qua miram supellectilis varietatem est reperire, aurea nempe & argentea, lignea simul ac testacea vasa. Pro cuius intelligentia, sciendum est, non vnam huius Pauli sententiæ, SS. Patrum esse interpretationem. Et quidem B. Chrysostomus, Theophylactus & alij, *domus* vocem, rerum vniuersitatem, siue mundum hunc visibilem (qui & alibi *ager*, in quo sunt zizania, vocatus reperitur) interpretantur. Rectius vero D. Augustinus, lib. 4. de Baptism. capite secundo, & libro septimo contra Donatist. cap. 51. Diuus item Cyprianus & Ambrosius ab eodem citati, de vera Christi Ecclesia vocabulum *domus* exponunt. Diuersis siquidem nominibus, fidelium cætum, siue Ecclesiam, prout ad nos Christianos pertinet, esse appellatã, nemo in scriptura noui Testamenti vel modicum versatus ignorat. 1. Corinth. 1. ea vocatur, *Iesu Christi filij Dei societas*, ad quã diuino beneficio, qui credunt, sunt euocati. Sæpe etiam

Domus nomine, quid hoc loco significetur.

1. (Chrysostomus, Theophylactus)

2. (Augustinus)

Ecclesia, diuersis nominibus in scriptura dicitur.

etiam dicitur *regnum*, in quo sunt aliqui, qui alios regunt, & alij, qui quorundam cura & authoritate reguntur ac gubernantur. Actor. 20. *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo posuit vos Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei*; quam regendi potestatem Christus Dominus, Matth. 10. declarasse visus est, dicens suis discipulis: *Si te non audierit, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Dicitur item *exercitus*, siue *acies ordinata*, Cant. 6. *sponsa*, siue *mulier speciosa*, Cant. 7. *Ouile*, Ioan. 10. *nauis* siue *arca Noë*, 1. Petri 3.

Huius *domus* ergo vocabulo, Ecclesia hoc loco intelligenda est; quemadmodum Psalm. 69. videtur etiam à Psalmographo nominata, cum dixit: *Qui habitare facit vnius moris in domo.* Et Baruch 3. *O Israël quàm magna est Domus Dei & ingens locus possessionis eius.* 1. Timoth. 3. *Quomodo oporteat te conuersari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis.* Hanc Ecclesiam, *super firmam petram ædificatam*, dicit Actor. 9. D. Lucas, *per totam Iudæam, &c ædificatam cum ambularet in timore Domini & consolatione Spiritus sancti.* Vbi verbum *ædificandi*, non tam propagationem & super fundamētum superstructionem externam, quàm spiritualem quendam in fide spe charitate auctum, & pietatis quoddam credentium incrementum ex mutuis exemplis & doctrinis, tanquam ex lapidibus quibusdam, significat. Quo pacto dicitur quis *ædificationis verba loqui*, & *charitas ædificare*, &c. *Ædificatores* enim dicuntur, Psal 117. Matth. 21. qui docent; In qua significatione, vtitur Hierem. cap. 1. & Paulus 1. Cor. 15. qui propterea 1. Cor. 3. se *architectum* vocat.

Domus nomine, Ecclesia intelligenda.

Ecclesia domus, quando & quomodo ædificata.

Ecclesia, cur magna domus dicatur, varia rationes.

Ecclesiam porro *magnam domum* dicit Apostolus, tum propter possessoris, siue rectoris eius magnitudinem & potentiam infinitam, cuius scilicet *est terra & plenitudo eius, orbis terrarum & vniuersi qui habitant in eo,* Psalm. 23. *Magnus enim Dominus & laudadilis nimis in ciuitate Dei nostri, &c.* tum propter constructorem seu ædificatorem eiusdem potentiæ & magnitudinis; tum propter magnitudinem & amplitudinem loci illius, in quo est constructa, qui est totus terrarum orbis. *In omnem* namque *terram exiuit sonus eorum*, quos *dedit Deus ad consummationem sanctorum in opus ministeriorum, ad ædificationem corporis Christi, &c.* tum propter magnitudinem & præstantiam habitantium in ea, qui teste Paulo, *vocati sunt sancti,* & D. Petro 1. epist. 2. *genus electum, regale sacerdotium.* tum deniq; propter multitudiné habitantium in ea, qui sunt omnes baptizati fideles tam boni quàm mali; quod ostendere, videtur esse pauli intentum.

Ecclesia domus varia suppellex

Vasis nomen in scriptura æquiuocum.

Huius *magnæ domus* suppellectilem variam esse subiungit Apostolus, cum in ea diuersi generis vasa ad diuersos vsus deputata esse commemorat. Vbi sciendum *vasis* etymon in scriptura latè patere, & prout variis cum rebus iungitur, varias item habere significationes; in vniuersum tamen & secundum Hebraicam notionem, omne instrumentum significare. Hinc *vasa mortis* dicuntur Psalm. 7. *sagitta* & *vasa iniquitatis bellantia*, Genes. 4. instruméta bellica, siue arma iniquè adhibita; quã significationé etiam habent *vasa interfectionis* Ezech. 9. Sic dicuntur *vasa trãsmigrationis* Ezech. 12. ipsa itineris suppellex; *vasa Psalmi* 70. *& Cantici* Amos 6. instrumenta musica. Quin etiam ipsũ linteum à Petro Act. 10. visũ *vas* dicitur,

citur, & omnia deniq́ue illa quibus sacerdotes in ministerio tabernaculi vtebantur, ipsæ etiam vestes, *vasa ministerij* à Paulo appellantur Hebr. 9. Eo etiam nomine denotantur corpora nostra, cum munda dicuntur, quæ cum mulieribus non sunt commista 1. Reg. 21. & Paulus monet 1. Thess. 4. vt *quisq; vas suum possideat in sanctificatione & honore.* Imò, & apud prophanos authores, vt Ciceronem, in leg. Agrar. hoc nomen *vas*, poni pro omni vtensili & quauis re q̃ in vsum nostrũ comparatur, obseruat Budæus in Asse. Hoc loco *vasorum* nomine, integros homines tam iustos & prædestinatos, (vt qui *aurea* & *argentea vasa* & *in honorem* dicuntur) quam iniustos & reprobos, qui *vasa lignea* & *fictilia* & *in contumeliam* vocantur, intelligi debere, ex ipso Apostoli contextu apertè demonstratur. Vult enim ostendere Apostolus non esse mirum, quod quidam peruersè, & non secundum rectam rationem viuentes homines, in Ecclesia reperiantur, quia, inquit; quemadmodum in magna alicuius diuitis domo, non modo sunt *vsaa aurea & argentea in honorem* deputata; *sed & lignea & fictilia in contumeliam*: Ita in Ecclesia non solum sunt boni virtutibus donisq́ue singularibus repleti, sed etiam mali multis sceleribus & peccatis onusti. In Ecclesia enim, reprobos cum prædestinatis, malos cum bonis (dum fidem profitentur) permistos esse vsque ad extremum iudicij diem, multis similitudinibus, vel ipse Christus in Euangelio declarauit. Jam enim eam comparat *areæ*, in qua sit triticum & palea; iam sagenæ missæ in mare, in qua sunt boni & mali pisces, iam agro, in quo, cum tritico crescunt zitania vsque ad messem tole-

Quid hoc loco vasorum nomine intelligatur.

In Ecclesia mali cum bonis permixti.

Probatur scriptura & SS. Patrum authoritatibus.

randa. Hinc etiam est, quod Matthæi vigesimo quinto, simile dicatur *regnum cœlorum*, id est Ecclesia, (vt rectè notat Gregorius,) *decem virginibus, quarum quinq; erant prudentes, & quinq; fatuæ.* Sic in fructuosa ficus expectatur in horto Dominico, vt fructum ferat: Corinthiorum Ecclesiam agnoscit Paulus, vbi erant *fornicarij, contentiosi, superbi*; & Thessalonicensium, vbi erant *ambulantes inordinatè.* Quare, Gregorius homil. 38. in Euang. *Quousq; hic viuimus*, inquit, *necesse est, vt vitam præsentis sæculi permisti peragamus; tunc autẽ discernimur, cum peruenerimus. Boni enim soli nusquam sunt, nisi in cœlo; & mali soli nusquam sunt nisi in inferno: Hæc autem vita, quæ inter cœlum & infernum sita est, sicut in medio subsistit ita vtrarumq; partiũ ciues communiter recipit, &c.* Quod pulchrè confirmat Aug. lib. de vnit. Eccl. c. 13. *Est in Cant. Cantic. c. 2.* inquit, *quod de SS. Ecclesia dictum omnis Christianus agnoscit: Sicut lilium in medio spinarum; ita proxima mea in medio filiarum. Vnde appellat spinas, nisi propter malignitatem morum? Et easdem vnde filias, nisi propter communionem sacramentorum?* Et Hier. in dial. contra Luciferian:

Arca Noë Ecclesiæ typus.

Arca Noë, inquit, *Ecclesiæ typus fuit vt in illa omnium animalium genera; ita & in hac vniuersarũ & Gentium & morum homines sunt: vt ibi pardus, hœdi, lupus & agni, ita & hic iusti & peccatores, id est, vasa aurea & argẽtea cũ ligneis & fictilibus cõmorãtur.* D. itẽ Aug. tract. 6. in Joan. *Nos fatemur*, inq̃t, *in Ecclesia Catholica & bonos & malos esse, sed tanquã grana & paleas.*

Cur in Ecclesia mali cum bonis esse patiatur Deus.

Cur id fiat, rationẽ hanc reddit Greg. l. 13. mor. c. 12. cũ ait: *Hoc tẽpore coniuncta vtraq; pars (bonorũ & malorũ) sibi necessario cõgruit, vt & mali mutẽtur p exempla bonorũ, & boni purgẽtur p tormẽta malorũ, &c. Ferrũ n. anima* (ait idem SS.

Pontifex

Pōtifex hom. 38. in Euāg.) *nequaq̃ pducitur ad subtilitatem acuminis, si hoc nō eraserit aliena linea prauitatis, &c.*

Nec propterea q, impij & peccatores in Ecclesia esse dicūtur, sequitur malè nos in symbolo Ecclesiæ sanctitatē profiteri, cum dicimus; *Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Ecclesia enim verè dicitur & est sancta, non propter sanctitatem, quæ vel prædestinationē certam adiunctam habet, vel morum puritatem, aut perfectionem vitæ desiderat, sed propter fidem, quā profitentur eius incolæ. Est enim Ecclesia non nisi fidelium congregatio. Hoc sensu, fideles olim omnes quasi proprio vocabulo *sancti* sunt nuncupati, vt propter fidem à cæteris infidelibus hoc nomine, distinguerentur. Sic in veteri Testamento, bonus ille Tobias dixit filio suo: *Filij sanctorum sumus.* Et passim in Apostolicis literis legimus Act. 9. *Quanta mala fecit sanctis tuis.* Et 29. *Cum vocasset sanctos & viduas.* Romanos 12. *Multos sanctorum in carceribus inclusi* Rom. 16 *Necessitatibus sanctorum communicantes.* Et *salutate sanctos.* Eph. 5 *sicut decet sanctos:* Et similia quāplurima, vbi perpetuò sanctorum nomine, fideles intelliguntur; nempe Deo per baptismum dedicati & consecrati, vt loquuntur veteres; inter quos Aug. de vnico Bapt. cap. 9. & Donatus l. 4. cap. 22. & epist. 23. Huc accedit, quod nihil aliud in symbolo profiteamur, cum *communionem sanctorum* dicimus, quàm communionem fidelium, vt per se patet.

Cur Ecclesia Catholica sancta dicatur.

Prima ratio.

Fideles omnes olim sancti dicebatur.

Dicitur item Ecclesia sancta, quia tota diuino cultui consecrata est, præceptisq; sacramentis, institutis continetur, vt in eam rectissimè conueniat illud Psal. 18. *Lex Domini immaculata, &c.* Licet n. non oēs fideles colant vitæ sanctimoniā; omnes tamē eā profiten-

Altera ratio.

profitentur, à qua professione verè denominari possunt, quemadmodum religiosos aut artifices, propter vitæ institutum & professionem, eos etiam solemus dicere qui religionis aut artis præcepta transgrediuntur. Quod si sanctitas, vt vulgo eam accipit, pro vitæ morumq́ue puritate sumatur, sic etiam Ecclesia vtrumq́; malis & peccatoribus mixta, sancta dici poterit. Etenim sicut ipsa Ecclesiæ membra vtcumque sancta ac iusta sunt, veriq́; mandatorum Dei obseruatores, culpis tamen & maculis corruptionis carnalis non carent, quum ipse Paulus de carnis macula adhuc sibi inhærente conqueratur Rom. 7. propter quam, non *quod vult bonum hoc agit*, sed quod odit malum, hoc interdum facit: verè tamen iusti ac sancti tales dicuntur & sunt: ita totum Ecclesiæ corpus sanctum dicitur, licet membra habeat non tantum ægra ac morbida, sed pro tempore saltem, planè emortua ac putrida. Alias rationes adferunt alij.

Tertia ratio.

Quod Chrysostomus & Theophylactus huius loci Paulinam sententiam dicant non posse intelligi de Ecclesia, prout iam explicatum est, eo quod in Ecclesia nō sint *vasa lignea & fictilia*; sed omnia *aurea & argentea*, non est ita intelligendum; quasi negarent malos & peccatores in Ecclesia esse non posse; sed non esse necessarium, vt in ea reperiantur. Quia enim dixerat Apostolus, *in magna domo* esse *vasa aurea & argentea*; *lignea & fictilia*; & notum est *in magna domo* hæc omnia esse necessaria; ne quis putaret Ecclesiam non posse consistere sine malis, dicunt hi Patres, *domus* nomine, non intelligi Ecclesiam, sed

Chrysost. & Theoph. explicantur.

mundum

mundum, quia videlicet Ecclesia malis non indiget; imò quando erit in optimo statu suo, id est, in cœlo, nullos habebit malos: At mundus ornatur ex malis, non quidem per se, sed per accidens. Si enim non essent mali in mundo, non exerceretur iustorum patientia, nec Dei iustitia.

Mali in Ecclesia necessariò non existant.

Obseruat autem circa hunc locum: D. Thomas cum alijs interpretibus, *vasorum* Ecclesiæ differentes gradus ab Apostolo assignari, ita vt primo fiat comparatio bonorum & malorum, secundò bonorum & meliorum; tertiò malorum & peiorum. Licet enim *aureis* & *argenteis vasis* iusti significentur, *aurei* tamen meliores sunt existimandi, quàm *argentei*, qui minus boni habentur. Similiter *ligneis* & *fictilibus* mali exprimuntur, sed *fictiles* ligneis sunt *meliores*. Et quamuis idem D. Thomas prædictam diuersitatem ad *magnæ domus* siue Ecclesiæ varietatem ita applicari posse arbitretur, vt *aurea* & *argentea vasa* sint prælati; *lignea* verò & *fictilia* inferioris gradus statum retinentes; necesse tamen non esse subiungit, vt *vasa aurea* & *argentea* sint præcisè *in honorem* & *fictilia*, *ligneaque in contumeliam*; eò quod *de quocumque statu quidam saluentur*, inquit, *& quidam damnentur.* Nihilominus tamen *vasa aurea & argentea in honorem* ad bonos, *lignea* porrò *& fictilia in contumeliam*, ad malos reuocari per antithesin oportere Pauli contextus apertè docet. Et quidem *vasa aurea* dicuntur perfectissimi illi iusti, qui sunt in Ecclesia, ob eam quam perfecto modo habent charitatem, quæ propter excellentiam & præstantiam auro metallorum omnium pretiosissimo comparatur; Hinc illud Apocalpysis tertio,

Vasorum Ecclesiæ differentes gradus.

Per vasa aurea, perfecti iusti intelliguntur & cur.

cum Laodicensi angelo suadetur, vt *emat à Deo aurũ ignitum*, id est, charitaté: Quemadmodũ n. ea auri est natura, teste Plinio, l. 33. hist. nat, c. 3. vt nihil eius, igne depereat, tutò etiam in incẽdijs durante materia, imò q̊ sępius arsit ad bonitaté ꝓficiat; nec reperire est etiã metallũ, q, latius auro dilatetur aut numerosius diuidatur: Ita & in charitate contingit. Nihil n. ex ea persecutionũ igne deperit, sed magis ꝓficitur; iuxta illud Pauli 2. Cor. 12. *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo. Cum enim infirmor, tunc potens sum.* Q. d. Nihil virtutis & constantiæ mihi in tribulationum flãmis deperit, quin potius tunc euado firmior atq; potentior, ipsumq; charitatis aurum per gratiam & virtutem Christi magis enitescit.

Charitas auro comparatur.

Præterea charitas, quantumcumq́; extendatur laboribus, semper instar auri sufficit, nec vnq̃ deficit, quemadmodum docuit Apostolus, Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio an angustia? &c.* 2. Cor. 6. *Quasi morientes, & ecce viuim⁹.* Et in hoc charitas à simulata hypocritarũ virtute longè dissidet, quemadmodum & verum aurum in eo distinguitur ab alchymico, quod alchymicum non ita malleorum ictus, sicut verum sustineat. Vnde Paulus, 2. Cor. 6. postquam fideles ad labores constanter patienterq́; tolerandos his verbis esset cohortatus: *In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, &c.* necessariò adiungendum putauit, *in charitate non ficta*, hoc est, in charitate non hypocritica, vt innueret, charitatem esse aurum, quod nisi verum sit, haud poterit tribulationũ, necessitatum, angustiarũ, &c.

Charitas, verum, non alchymicum aurum.

&c. laborum ictus sustinere, quin statim frangatur, non aliter quàm hypocriticum & alchymicum aurum, malleorum ictibus frangitur.

Quia verò non omnes iusti, qui sunt in Ecclesia, hoc perfectissimo modo charitatis aurum habent, minus perfectos iustos argenteis vasis comparat, eo quòd argétũ licet magnæ quoq; sit æstimationis, minoris tamen quàm aurũ propter minores virtutes fiat.

Vasa argentea minus perfectis dicuntur.

Vasa lignea, q b⁹ pessimi impij designãtur, palmites illi sũt, de q b⁹ Jo. 15. dicitur, q, à Christo vite separati, foras missi, & ab agricola sũt ita deserti, vt ijs remedijs q b⁹ antea gaudebãt, nõ ampli⁹ iuuẽtur, vt fructũ ferãt; cuiusmodi sũt, q Christi dilectioné deseruẽre. Hanc separationé significauit Dñs in parabola sagenę missę in mare ex omni genere pisciũ cõgregãtis, q̃ cũ impleta esset, educétes & sec⁹ litt⁹ sedétes elegerũt bonos in vasa sua, malos auté foras miserũt. Matt. 13. Id gen⁹ lignea vasa arida & infrugifera esse solent instar separatorũ palmitũ, q nullũ ampli⁹ ad faciédũ fructũ, humoré recipiũt. Nam peccatore p mortale scel⁹ à Christo separato, si q, habuit donũ Dei, ab eo sępe tollitur & aufertur, arescitq;, cũ vitis humorem non ampli⁹ recipiat: Dona n. & taléta, q̃ ad cõuersioné peccatorib⁹ data sũt, frequẽter pduntur, quéadmodũ Dñs Luc. 19. significauit p parabolã illam de mna: *Auferte*, inq t, *ab illo, mnã, &c. Et qui habet, auferetur ab eo*. Huiusmodi vasa, siue in fascem collecti palmites, nullis alijs vsibus possunt honestè & vtiliter adhiberi, nisi vt in ignem mittantur, quemadmodum tractat. 81. in Joan. annotat August. *Lignea*, inquit, *vitis nullis agricolarũ vsibus prosunt, nullis fabrilibus operibus deputantur. Vnum de duobus palmiti congruit;*

Vasis ligneis, pessimi homines designantur.

Vasa lignea à Christo separantur.

Vasa lignea nulli rei nisi igni vtilia.

aut vitis aut ignis: Si in vite non est, in igne erit. Hinc de impijs dictum est Ezech. 15. *Quid fiet de ligno vitis?* Et postquam nulli vsui adaptari posse visum est, igni tandem non inutile futurum ipse Deus testatur, videlicet tanquam æterni supplicij diuinæque iustitiæ aptissimam materiam. *Qui enim sibi nequam est, cui alij vsui bonus erit?* Eccles. 14. Eius generis sunt etiam fictilia vasa, id est, homines à Deo figulo siue statuario, è luto efformati, quorum vsus etsi aliquis est ad res temporales & corporeas; ad spirituales tamen & æternas nullus aut exiguus. Sicut enim Deus, quia hominem finxit, animique & corporis dignitatem, pretiúmue probè nouit, dicitur figulus, ita eadem translationis ratione hominis etiam membra dicuntur figmenta Psal. 32. *Qui finxit sigillatim corda eorum.* Et ab operis perfectissimi creatione aliarum etiam rerum dicitur etiam Deus figulus, aut fictor, aut plastes Amos 7. Psalm. 94. & 103. Cum igitur vasi fictili Scriptura impium hominem comparat, ad luti naturam alludit, quod lutum si humoré habeat; facilè compingitur & subigitur. Vt n. Philosophi dicũt; humiditas corpora cõtinuat & vnit; siccitas separat & dissoluit. Quare cũ consumpto humore, & siccatur lutũ, abit & soluitur in puluerem Puluis n. siccitatis est symbolũ: Eodẽ modo gratię humiditate si homo careat, præter q̃. q, vilissima humani corporis res est, quæ omnium pedibus teritur & attenuatur, q̃ *proijcit ventus à facie terræ*; ita non vni fixo & salutari vsui, sed omnibus mutationibus est exposit⁹; qui nẽpe leuissimo negotio in omne mali genus facilè proruat, tanquã Diaboli & suarũ passionum abiectum mancipiũ. Sicut enim

Vasa fictilia quæ?

Deus figulus dicitur.

Cur impij vasa fictilia dicantur.

enim non intimè terra puluerem continet; sic homo radicitus virtuti non adhærens, solum à terra sustinetur quasi suppositum onus pondusque inutile, quo primo cuique vento exposito, tum se liberam atque mundatam existimat, cum illud à se expulerit, atque ventus abstulerit, turboque dispersèrit. Iob 21.

Ex dictis colligitur, licet iam explicatam Pauli sententiam ad præcedentem illam. *Quorum sermo vt cancer serpit, &c. ex quibus est Hymenæus & Philethus, qui à fide exciderũt*, referentes aliqui, p vasa lignea & fictilia Hæreticos videantur intelligere, quorum doctrina vocatur Esaiæ cap. 1. scoria & vinum à qua mistũ: veriorem tamen esse Cypriani & multorum expositionem, qui *in magna domo, &c.* non ad illud, *Quorum sermo vt cancer, &c.* sed ad hoc, *subuerterunt quorundam fidem* referentes; per *vasa lignea & fictilia*, non Hæreticos; sed infirmos ac debiles fideles qui facile seducuntur, intelligunt. Vult enim Apostolus dicere, quod si illi quosdam subuerterunt, non propterea periculum esse, ne omnes subuertantur: Nam in Ecclesia sunt fortes & sunt debiles, sunt fatuelli qui resipiscent & stulti, qui in malo sunt perseueraturi.

Verus huius loci sensus.

35. *Et quædam in honorem, quædam autem in contumeliam.*

Posteaquam *magnæ domui* regnum cælorum, siue Ecclesiam comparauit Apostolus; hic eiusdem *domus*, siue œconomiæ, suppellectilium & vtẽsilium varietatem, vsumque diuersum describit, faciens discrimen vasorum quorundam *in honorem*, nempe

Ecclesia vasa diuersis vsibus deputata.

Dei, tanquam patrisfamilias, & œconomi totius Ecclesiæ; quorundam verò *in contumeliam*, quibus videlicet vtitur Deus, non ad domus suæ ornamentum singulare, sed vilioribus vsibus accommodat, qui magni non sunt vel ponderis, vel momenti, vel vtilitatis. Sunt autem iusti deputata *in honorem vasa*, quia eos eximiis honoribus afficit Deus, cum diuinæ suæ gratiæ thesauris eos in hoc sæculo cumulat, vt in futuro, æternæ gloriæ regnum possideant Quo respiciens Regius vates, Psal. 10. *Nimis honorati sunt*, inquit, *amici tui Deus*. Neque enim iustos *seruorum* nomine duntaxat dignatur, sed (quod maius est) *amicorum*; in quo etiam nomine, gloriam & honorem quærit. *Seruus meus*, inquit apud Esaiam cap. 49. *es tu Israel, quia in te gloriabor*. Q. d. licet quidem seruus meus sis, & cum feceris omnia, quæ præcepta sunt tibi, dicere debeas; seruus inutilis, inutilis inquam Domino suo, qui cum Deus sit, *bonorum tuorum non indiget*, Psalm. 15. (*Quid enim etiamsi tu iustus sis, de manu tua accipiat*, Iob 15.) attamen rem præter omnem existimationem affirmo verissimam, fore, vt multum mihi honoris & gloriç per te accrescat apud homines & angelos. Impij verò, *vasa* sunt *in contumeliam* præparata, quia contumeliis & dedecore Deum afficiunt, cum peccata peccatis sua impietate & inobedientia impudenter accumulant. Peccata siquidem in Dei maximã ignominiam & quandam quasi impugnationem cedunt, quia scelera & flagitia armorum & telorum quoddam genus sunt, quibus Dei honor & existimatio impugnantur. Hinc est, quod se omnipotens aduersus impium roborare dicatur.

Iusti, sunt vasa in honorem.

Impij, vasa in contumeliam.

Peccata, in Dei ignominiam cedunt.

catur Iob c. 15. cum videlicet, iuxta Sapientē cap. 5. *sumit armaturam Zeli illius, parans sagittas* Psalm. 7. vt ab impudētissimo hoste primum prouocatus se defendat, & inimicum tum ignominia, tum infamia afficiat. Huius autē inimicitiæ inter Deum & hominem initium sumunt ex hominis auersione & rebellione, quæ per peccatum fit. Vnde mirum, quod ad peccatorum odium & prauam vim declarādam, (nam si Deus lædi posset, non alio, quàm peccato & scelere suarū creaturarum læderetur) dicatur Deus ad bellum procedere, non armis tantùm, quæ offensiua dicūtur, sed etiam illis munitus, quibus se tueatur & defendat ab ictibus scelerum: Nam, vt dicitur Sapient. 5. *Induet pro thorace iustitiam, accipiet pro galea iudicium certum; sumet scutum inexpugnabile æquitatem, &c.*

Deus contra peccata se quodammodo tuetur.

Simili fere sententia, reprobos Iudæos iustis & prædestinatis comparat Apostolus, Roman. 9. cum Deum figulo similem facit, fingentem vasorū quoddam genus, quo ad honorem vtatur, aliorum verò, quæ in contumeliam possint vsurpari. Hoc autem figuli exemplo ideo vtitur, vt ostendat, posse Deum quæcumque mala aut bona hominibus facere pro libito suo, etiam nulla causa in iis præcedente, iure dominij & potestatis ipsius in ipsos, sicut figulus vasa facit aut vilia aut honorifica pro beneplacito suo. Licet enim ad constituendam Ecclesiam necessarij non sint impij & peccatores; eos tamen in *ea patitur* Deus, *vt iram & potentiam suam notam faciat, sustinendo in multa patientia vasa iræ* (impios) *apta ad interitum*, vt loquitur Paulus, *& ostendat diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam suam.* Quibus verbis,

Cur Deus figulo comparetur.

Cur impij in Ecclesia a Deo conseruentur.

verbis, duas videtur reddere rationes, quare *vasa in contumeliam* præparata, in sua domo sustineat Deus.

Prima ratio. Prima est, vt *notam* faciat *iram & vindictam*, & per vindictam manifestet potentiam suam. Non quod impios, vt impij sint, faciat, sed ipsi se tales faciunt per arbitrium suum, peccantes & scelera patrantes, seque interitui æterno aptos efficientes, quos Deus perfert & patienter peccare permittit, vt cum eos punierit, omnes intelligant iram & vindictam, quã in peccatores exercet, & per talem vindictam, omnipotentiam suam. Sic Pharaonem diu inter Israelitas pertulit, quem dum submergit cum toto exercitu, & in eo vindictam & iram exercet, ipsius Dei fortitudo & potentia declaratur.

Secunda ratio. Altera ratio est, vt *diuitias gloriæ suæ*, id est, magnitudinem gratiæ in electis & iustis, quos ipse aptauit & præparauit in gloriam, *manifestet*. Ex pœna enim & graui vindicta malorũ, nota fit magnitudo gratiæ & gloriæ electorum. Hinc omnia opera, quæ à Deo tam in natura, quàm in gratia patrata sunt, ad Dei manifestandam gloriam, esse facta indicare videtur Ecclesiasticus cap. 4. cum ait: *Gloria Domini plenum est opus eius.* Fecit enim Deus diuersas creaturas, vt notat D. Thomas, quò bonitatis diuinæ perfectio, quæ non potest sufficienter manifestari, per vnam creaturam, per aliam declaretur.

36. Si

36. *Si quis ergo emundauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum & vtile Domino, ad omne opus bonum paratū.*

Cum superius dixisset Apostolus, *Hymenæum & Philethum* hæreticos *quorundam fidem subuertisse*, addiderat statim, nō esse periculum, vt omnium fidem subuerterent, quoniam *Dei fundamentum* subsisteret *firmum*, in electis videlicet: Horum duo signa assignarat; vnum quidem internum, quod à nobis in hac vita cerni non potest; notitiam videlicet diuinæ approbationis: Alterum externum, vitationem scilicet iniquitatum & errorum: Quod ipsum etiam hoc loco repetit. Cùm enim Deus ita prædestinauerit homines, vt per bona opera eos peruenire velit ad gloriam, signum prædestinationis est, diligenter vitare peccata, præsertim hæresum inquinationem. Vnde homines, & prædestinatione tanquam causa prima, & propriis actionibus, tanquam effectis, *vasa* fieri *in honorem* possunt, quia Deus, quos voluit, prædestinauit, vt essent *vasa in honorem*; sed postea effecit, vt essent tales & gratiá sua & opera ipsorum. Non tamen ab eorum pendere operibus existimandum est prædestinationem, sed potius opera ab ipsa prædestinatione: *Nam quos prædestinauit, hos & vocauit, & iustificauit, &c.* Rom. 8. Ex quibus patet, bona hominum opera prædestinationis esse effecta, licet Deus, concurrente liberi arbitrij motu, & gratia ipsius cooperante, homines efficiat iustos. Atq; eam ob caussam, in parabola illa de zizaniis, Matth. 13. noluit bonus & longanimis Dominus colligi lolium in a-

Prædestinationis duplex signum.

Bona opera prædestinationis sunt effecta.

gro Ecclesiæ, vt primum apparuère zizania quod ipsis tempus pœnitendi concedat, vt fiant triticum. *Ne forte*, inquit, *eradicetis & triticum*, id est, futuros triticum. Quo sensu Hebr. 6. dicit Apostolus, *bonam terram quæ triticum profert, à Deo statim benedici; malam vero serius maledici. Terra sæpe venientem supra se bibens imbrem & germinans herbam oportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo*, confestim videlicet & in præsenti; proferens autem spinas ac tribulos, reproba est & maledicto proxima, id est, non statim maledicitur, sed suo tempore maledicetur. Hinc Rom. 2. *Ignoras*, inquit Apostolus, *quoniam benignitas Dei, ad pœnitentiam te adducit?* De quibus verbis Gregorius super Ezech. sic scribit: *Misericors Deus tempus nobis ad misericordiam relaxat: sed cum eius gratiæ patientiam nos in augmentum vertimus culpæ, hoc ipsum tempus, quod ad parcendum piè disposuit, districtius ad feriendum vertit: Et quia reuerti quis etiam spatio temporis accepto, noluit, per hoc mala sua ad reatum augeat, per quod ea diluere potuit, si conuerti voluisset, &c.* Hæc Gregorius.

Deus homini tempus ad misericordiam concedit.

E contra vero, qui diuina longanimitate & patientia adducti tandem resipiscunt, Deique tam spiritualia quam temporalia beneficia agnoscentes, & prauam impiorum hominum societatem diffugientes peccandi occasiones auersantur & declinăt, in vasa honestis & nobilibus Domini vsibus deputanda & accommodanda possunt euadere. Nam quandiu peccator sceleribus & flagitiis sordet, ita abominabilis est, vt eum nemo dignari debeat auditu, visu, familiaritate, contactu, vt qui nihil boni aut pulchri habeat, quo vel Dei, vel angelorum oculos

Pœnitentia virtus.

Peccator abominabilis.

los allicere possit, cum ipsi plurima insint, à quibus tum Dei, tum angelorum conspectus vehementer abhorret. Ab hac deformitate & abominatione cum abhorrere incipit peccator, dicit hoc loco Paulus, eundem *sanctificari*, id est, sanctitate indui, vt in nouitate vitæ, tanquam noua creatura ambulare possit. Tanta est enim eius pulchritudo, tanta mundicies, tam mirabilis conspectus, vt qui antea eum nauseabat Deus, eius iucundissimo conspectu plurimum delectetur, *nec sint loquelæ, neque sermones, de quibus non audiant voces*. Vnde quod de sole dixit Ecclesiasticus capite quadragesimo tertio, non minori iure de huiusmodi dici possit: *Vas mirabile, opus excelsi.*

Adiungit Apostolus, eiusmodi *sanctificatum* & emundatum hominem, *vtilem Domino* futurum, non quod Deus *bonorum nostrorum indigeat*, cum scriptum sit Roman. 9. *Quis prior dedit illi & retribuetur ei*; sed quòd eo, tanquam vase & instrumento in aliorum conuersionem & salutem vtatur, sanam videlicet doctrinam docendo; propter quod 1. Cor. 3. Apostolos, *Dei coadiutores* esse dicit Paulus, & quoad vitæ bonæ exemplum, alios ad vitæ emendationem prouocando. Sicut enim abominati, incredibiles & ad *omne opus bonum reprobi* sunt peccatores: Tit. 1. Ita è diuerso, iusti ad omnem oportunitatem & vtilitatem sunt accommodati, tum propter puritatem, tũ propter dexteritatem, tum propter agendi & obediendi promptitudinem, & singularem in omnibus suis actionibus, elegantiam. Hinc est, quod iustus sub figura pulcherrimæ atq; feracissimæ arboris describatur Psalm. 1. cuius fructus, folia, flores, multas

Impij inutiles.

Iustorum vtilitas.

commoditates habeant. *Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium eius non defluet, & omnia quæcumq; faciet prosperabuntur, &c. Non sic impij non sic, sed tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ*; videlicet, tanquam res omnino inutilis, quæ ventorũ ludibrio permissa, omnino perit irreuocabilis. Sunt enim impij eiusmodi puluis, de quo Esaiæ 41. Dominus: *Ego posui te*, inquit, *quasi plaustrum triturans nouum, habens rostra serrantia; triturabis montes, & comminues, & colles quasi puluerem pones; ventilabis eos, & ventus tollet & turbo disperdet eos.* Quod ipsum significat illa pulcherrimarũ translationum cõaceruatio, Hoseæ 13. *Erunt quasi nubes matutina; & quasi ros matutinus præteriens, & sicut puluis turbine raptus ex area; & sicut fumus de fumario.* Comparantur autem impij homines cum puluere siue gluma, tum quod ij leuissimi sint ingenij, tum quòd non solum inutiles, sed etiam incommodi & nociui sint aliis, instar glumæ, quæ & oculis hominum, & armentis ipsis non leuiter nocet. Eadem ferè translationis ratione leuissimos & nequissimos homines appellauit Cicero *quisquilias* lib. 1. ad Atticum & pro Sextio. Sunt autem quisquiliæ totũ id minutulum & inutile, quod ex arborum frondibus & floribus exarescens, cadere solet.

Impij homines cur pulueri & glumæ comparentur.

37. *Iuuenilia autem desideria fuge.*

Vt vas in honorem, sanctificatum, dominoque vtile, quod *nomen* eius *portet*, manere possit Timotheus, ipsum cohortatur Apostolus, vt eas cupiditates declinet & auersetur, quibus adolescentia solet esse obnoxia. Ea autem esse putat Chrysostomus,

omnis

omnis generis desideria, etiam quæ ad libidines spe-ctãt, quib⁹ ętas illa iuuenilis teneri solet. Quod confirmat id, quod ijs desiderijs non resistendum, sed ea potius fugienda velit. Solent enim iuuenilia, siue carnalia desideria inter eiusmodi peccatorum genera numerari, quæ fugiendo potius, quàm resistendo vincuntur. Reliqua vitia, vt odium, superbia, auaritia, non fugiendo, sed resistendo vinci debent, quia quanto magis circa illa particularia quis tractat, atque considerat, tanto minus in eis inuenit, vnde delectetur. Ostendit enim ratio diuturna, diligenti habita consideratione, quam vanè superbitur, quam inepte pecunia amatur, quam temere vindicta appetitur. Verum in carnis peccatis, quæ *iuuenilia desideria* hoc loco dicuntur, quanto magis particulare obiectum cogitatur, tantò magis accenditur; ita vt non aliter quàm fugiendo, & omnem de illis rebus cogitationem primo quoque tempore deponendo vincantur. Hinc 1. Cor. 6. dixit Apostolus: *Fugite fornicationem*. Et Angeli, volentes Loth de ciuitate illa infami omnium libidinũ officina eripere, monuerunt *vt fugeret*. Gen. 19. *Salua animam tuam; noli respicere post tergum tuum, nec stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac*. Quibus verbis, monuerunt angeli à peccato carnis longè esse fugiendum, & omnem omninò occasionem euitandam; idcircò dixerunt; *Nec stes in omni circà regione*: Quare huius loci desideria pro carnalibus sumuntur; quæ ideò *iuuenilia* nuncupantur, quod in ea procliuior adolescentia esse soleat, quemadmodum testis esse potest Comicus in Adelph. cũ eadẽ desideria vocat vitia, *quæ fert adolescentia*. Hinc est illa communis

Iuuenilia desideria quæ?

Carnalia peccata fugiendo potius, quàm resistendo vincuntur.

Cur carnalia peccata, desideria iuuenilia nuncupentur.

munis Philosophorum vox, apud Ciceronem de Officijs; *Adolescentiam tollendam esse à libidinibus.* Et illlud Aristotelis 8. Ethic. cap. 6. *Adolescentum vitam in libidine & perturbatione consumi, atq; ad fœdum amorem esse propensam: Magna enim pars fœdi amoris in perturbatione & voluptate ponitur.* Atq; hęc eadem est illa impura nequitia, de qua Poeta 1. fast dixit:

Adolescentia libidinosa.

Nequitia est quæ se non sinit esse senem.

Eius ratio.

Huius rei rationem reddens Chrysostom. epist. ad Olympiam: *In adolescentibus*, inquit, *maius est naturæ incendium, maior concupiscentiæ tempestas, infirmiora consilia, ratio quæ vitia gubernat, infirmior.* Et Hieronymus ad Nepotian: *Multa*, inquit, *corporis bella sustinet adolescentia, & inter incentiua vitiorum & carnis titillationes, quasi ignis in lignis viridibus suffocatur sapientia, &c.* Cæterum non vnum carnis peccatum *iuuenilia desideria* significant, sed vel omnia quæ plurima sunt, vel in vniuersum illa peccata, quæ cæca & flagrante cupiditate, perpetrantur, præsertim vnius voluptatis studium, quod in adolescentia vigere solet. Nam simul cum feruente ætate, æstuat ira, ardet cupiditas, tumet superbia, compotat gulositas, ruit præceps ignorantia & in nulla re voluptatem non quærit, quia vt ait Ambrosius, Job capite decimo tertio, *tum maxime calor feruet, & æstu sanguis vaporantes ignescit.* Hinc delectationis & voluptatis studium, tantum videtur Salomon, exprobrasse iuueni Eccles. 11. cum ait: *Lætare iuuenis in adolescentia tua: & in bono* (iucundo & voluptuoso) *sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ & ambula in vijs cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum &c.* Et deinde subiungit: *Aufer iram à corde tuo, & amoue malitiam*

Iuuenilium desideriorum nominibus plurima coprehenduntur peccata

Adolescentia vitiis dedita.

tiam à carne tua. Adolescentia enim & voluptas vana sunt. Vbi per *iram* intelligit Sapiens, quamcumq; vehementem & effirænatiorem animi passionem & perturbationem, quæ propter feruorem sanguinis, in adolescentia facilius & vehementius excitatur. Per *malitiam* verò *carnis*, significat non solum turpes actiones, sed etiam quæ Apostolus vocat, *opera carnis*, quæ numerantur Gal. 5. Quare, cùm acrior pugna iuuenum sit, vt ait Augustinus, serm. 43. de verbis Domini, monet hoc loco Timotheum adhuc iuuenem Apostolus vt vigilet, ne in bello cadat, ne concupiscentiæ incendio pereat, ne affectuũ tempestate iactatus demergatur. Quemadmodum enim, quò fluctuum maior est agitatio impetusq; ventorum, eò gubernatoris maior esse debet vigilantia: ita, quò ætatis affectuumq; vehementior est procella, eò vigilantiorem oportet esse adolescentem. Hoc significatum videtur in eo quòd militibus, carnalia siue iuuenilia desideria comparat Apostolorum princeps 1. Petr. 2. qui ex ipsa adolescentis carne veluti quadam arce, *aduersus animam iugiter militant.* Diruta quidem illa arce, milites hi oẽs perirẽt; sed diruere, soloq; omninò æquare nõ est fas: necesse est arcẽ, id est, carnẽ conseruare. Sui porrò abnegatione & exinanitione animique demissione, veluti fame cũ hostib⁹ pugnandum est, vt mortificationis vinculis constringantur.

Iuuenum acrior pugna.

Iuueni vigilantia opus.

Alia est nonnullorũ huius loci interpretatio, quæ dicit ea duntaxat compressa velle in Timotheo iuuenilia desideria, quibus Philetus & Hymenæus cõstricti tenebantur, superbam videlicet animositatẽ, inanem gloriam & ambitionẽ quibus excæcati,

Alia huius loci interpretatio.

naufragio

naufragio à fide facto, multorum fidem subuerterant. Q.d. Si vas in honorem fieri cupis, fuge appetitum inanis gloriæ, iactantiam, philauthiã & ea desideria quæ in illis culpaui. Hæreticorum enim est

Hæretici priuati honoris amatores.

proprium, non tam veritatis doctrinæ, quam priuati honoris, philautiæ, & existimationis singularem habere rationem. Sic enim comparatos esse docet vsus, vt nominis sui celebritati, præcepta diuina, Christi fidem, & Ecclesiæ authoritatem impudentissimè postponant: Quod, vt ait rectè Augustinus, lib. 3. de Ciuit. cap. 14. tam est inimicum piæ fidei (si videlicet maior sit in corde cupiditas gloriæ, quã Dei timor, vel amor) vt Joan. 5. dixerit Dominus: *Quomodo vos potestis credere, gloriam ab inuicem expectantes, & gloriam quæ à solo Deo est, non quærentes?* Item de quibusdam, qui in eum crediderant, & verebantur palam eundẽ confiteri: *Dilexerunt gloriam hominum magis, quàm Dei:* Quo perniciosius vel fingi vel cogitari nil posse, quis non videt? Certè id hominum genus eleganter infirmo homini compara-

Hæretici homini infirmo comparantur.

ri potest, qui graui & diuturna ægritudine laborans, multis & efficacibus remedijs sanitatis acceptis, adhuc tamen à mala quadam consuetudine, quæ causa morbi est, nolens recedere, in medicum culpam reijcit, dicitque nullum ab eo efficax remedium adhibitum, eo quod sanus esset, si id fecisset. Contra quem meritò insurgat medicus, dicens; Quomodo tu potes sanari, qui à praua cõsuetudine, à qua morbus est contractus, non recedis. Eodem modo insultare quis posset hæreticis, quomodo veram fidem se profiteri dicant, quomodo veram doctrinam inuenisse; cum propriam gloriam, non Dei, semper quærant.

quærant. Vitia enim voluntatis & animi affectus, multum possunt contra fidem; idcircò quando vitia & passiones contrariæ sunt ijs quæ fidei sunt, impediunt ad recipiendum fidem, & impediunt ad receptam retinendum. Hinc est quod ambitio & vana gloria Hæreticorum, eorum detineat intellectum, ne sanæ doctrinæ, Ecclesiæ authoritati & plurimis fidei veritatibus assensum præbeant, quemadmodum de Nouatiano narrat Ambrosius lib. 1. de pœn. c. 15. qui amissi Episcopatus dolore, ab Ecclesia discessit; & de Paulo Samosatensi, qui amore fœminæ apostatauit à fide, testatur Chrysostomus hom. 7. in Joan. idq; nostri temporis Sectarijs euenisse notius est, quam vt me declaratore egeat.

Vitia contra fidem plurimum possunt.

Vitia hæreticos in hæresi detinent.

Quod si cum Jobo cap. 30. considerarent ambitiosi & carnales Hæretici, se redigendos *in nihilum & auferendum quasi à verbo desiderium suum*, & *velut nubem pertransituram salutem suam*, non ita priuatæ gloriæ essent studiosi, cum quicquid illis iucundum esse potest, quicquid velle aut sperare possunt, ludibrio venti sit expositum. Sicut enim nubes quamuis in sublime euehi videatur, & ingenti mole conspicua ingentem pluuiam polliceatur, vi ventorum disiecta dissoluitur: ita temporalis hominum fœlicitas & gradus sublimis fœlicitatis. *Nubes cito transiens* rei fallacis, vanæ, deficiẽtis & euanescẽtis apud Job c. 7. & Os. 13. symbolũ est. Hinc Prou. 25. *Ventus*, inq̃t Sapiens, *& nubes & pluuiæ nõ sequẽtes, vir gloriosus & promissa non complens.* Vnde sapienter Jacob. c. 4. hominũ vitam *vapori*, seu halitui & fumo (quæ cito euanescunt) comparauit, quæ *ad modicum parent*, & deinceps exterminabuntur, quia subito ab homi-

Omnia Venti ludibrio exposita.

Humana vita, Vapori similis.

 num

nũ oculis se subducunt, ita vt nulla memoria relinquatur, & ne vestigia q̃dem cernantur vlla priori illa phantasia & luce extincta, deleta, sublata.

38. *Sectare iustitiam, fidem, spem, charitatem & pacem, &c.*

Quia Christiano, & Christianorũ maximè antistiti, nõ est satis nociua fugere, nisi etiã vtilia & salutaria p̃sequatur; postq̃ fugienda declarauit, p̃sequenda subiungit. *Cum* n. *renuntiatur improbitati*, ait Amb. lib. 2. de Cain, cap. 4. *statim adijcitur virtus; eodemq́; studio quo crimen excluditur, innocentia copulatur.* In primis igitur *iustitiæ* studium Timotheo commendat Apostolus, hoc est, eum admonet, vt vnicuiq; quod suũ est, promptè & cum voluptate reddat: *Dei nempe regnum & eius iustitiam ante omnia, inquirendo.* Matth. 6. Cum enim sacrorũ principes sint iustitiæ custodes (iuxta Sapientem Prou. 20. dicentem; *Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo*) tum regiꝰ vates Psal. 131. à Domino petebat, *vt sacerdotes eius induerent iustitiam*: Quasi ad consumationẽ virtutũ, Deo dignè nõ possent sacerdotes ministrare, nisi ab eodẽ profecta adornarẽtur iustitia: Sic n. futurum arbitrabatur, vt populus ipsius omnis qui est multitudo sanctorum, eidem corde fideli adhærens, iugiter in Domino Deo suo exultaret. Religionis namq; Christianæ principale bonum in æquitatis obseruatione & iustitiæ exercitio consistit, quo & Deo debita præstatur tum reuerentia, tum obedientia, & tribuuntur proximo quæ ei debita sunt, vt ipse alijs nõ faciat, quod sibi fieri nollet; & q. sibi quoq; fieri vellet, alijs etiam faciat. Sic fiet vt ex iustitiæ cultu,

Iustitia Episcopo necessaria.

Iustitia commendatio.

pacificus

pacificus inter homines victus & trãquilla inter cõciues Christianos cõuersatio proueniát & augeãtur.

Huius etiam *iustitiæ* vocabulo, omnis virtus intelligi potest, quæ totius vitæ Christianæ innocentiam & morum integritatem complectitur, vt cuius partes sunt, *declinare à malo, & facere bonum; inquirere pacẽ, & eandem persequi.* Sic iustitia erit non solũ virtus peculiaris, quæ reddit vnicuiq; quod suum, & quæ peculiariter in iudice & principe reqritur, præsertim ad destributionem honoris, pecuniarũ aut cæterarũ rerum, quæ inter ciues diuidi possunt, vt definit Aristoteles, l. 5. Eth. c. 2. sed iustitia illa erit, quæ vniuersam legem respicit, & quæ, vt idem Philosophus statuit, semper legitimum facit, neq; à legibus exorbitat, neq; plus capit expetitue, neq; iniquas censet in re vlla, quæ ad communem omnium vtilitatem spectat. *Hæc*, inquit Aristoleles, *perfecta virtus est & præclarissima virtutum, & neq; est Hesperus ita, neq; Lucifer admirabilis:* Quæ, quia non solum peculiare bonum, sed commune respicit, commendat illam Biantis sententiam: *Magistratus virum ostendit*; eo quod hæc maximè in magistratu & principe requiratur. Hinc *iustitia* & *iusti* nomen in sacro sermone, cõmunes sunt perfectę sanctitatis & innocentiæ appellationes: & ipsa diuina lex, quæ omnes virtutum actiones, & quicquid legitimum est, comprehendit, *Iustitia* appellatur Deut. 4. & 24 Psal. 7. 10. & 17. & passim. Huius porrò *iustitiæ* ratio illius iustitiæ præsidio, tanquam fundamento niti debet, qua Deus hominem in se dignè credentem induit, dum eũ iustificat. Ea autẽ rerũ duarum est effectiua, nempe remissionis peccatorum, propter quæ homines erant,

Iustitia omnem virtutem complectitur.

Iustitia definitio ex Arist.

In quo sita huius iustitiæ ratio.

Iustitia duplex effectus.

iræ & vindictæ Dei obnoxij; tum etiam animi rectitudinis, dono Spiritus sancti in homine effecto, qua mens antea Deo inuisa & exosa eidem placet; & per hanc iustitiam, bona Deo accepta iustaq; opera exercere potest, quibus iustitiæ quam accepit, incrementum & vitæ æternæ præmium promereatur. Huius iustitiæ mentionem faciebat Dominus, cùm Baptistæ diceret Matth. 2. *Sic oportet nos implere omnẽ iustitiam*: Quam etiam apud eundem c. 6. *coram hominibus*, hoc est, propter inanem gloriã, fieri vetabat, quia floret, virescitq; iustitiæ opus, quandiu ab inanis gloriæ ac supbiæ verme nõ corroditur. Ab inani verò & iuuenili gloria si corrodatur opus iustitiæ, exarescit; quia *vanagloria*, ait Basilius, *virtutes ramis in cælum vsque licet expansis adornatas profligare, & deturbare contendit*.

Iustitia coram hominibus non facienda nisi in Deum referatur.

Fides Episcopo summè necessaria.

Neq; tantum *iustitiam* Episcopo colendam cupit Apostolus, sed etiam *fide* opus esse illi subiungit, quæ subsistentiæ nostræ spiritualis fundamentum est, & de rebus ijs, quæ sunt in spe talis certitudo est, ac si iam actu existerent. Hæc autem fides, quantum apud Deum valeat, & quantum eius præsidio viri sancti, qui Deo maximè placuerunt, quamq; mirabilia per eam præstiterint, refert Apostolus, capite 11. epist. ad Hebræos. Fidei namque lumen adeò efficax est, vt inuisibilia & futura mente nostra cernamus, haud secus ac si essent præsentia & in luce manifesta viderentur. Hæc fidei necessitas, cum omnibus credẽtibus, tum maximè antistiti incumbit; cùm illa deficiente, spiritualis vita superstes esse non possit; quia per quas causas res nascuntur, per easdem dissoluuntur. Sicut enim calore naturali,

Fidei commendatio.

Fidei efficacia.

per

per quem vita inchoata est, eodem fouetur & conseruatur; ita vitæ gratiæ initium & conseruatio fides est qua fouetur, ne *subtractionis*, id est, infidelitatis, sed potius fidelitatis filij efficiamur *in acquisitionem animæ*; quia per infidelitatem qui se à Deo subtrahit, peribit & gratiæ vitam amittet, cum *iustus ex fide viuat*.

Iuuenilibus cupiditatibus, *spem* Episcopo necessariam opponit Apostolus, hoc est, firmam eorum mediantibus mediis diuinitus requisitis expectationem, quæ nec videntur, nec possidentur. Nam *quod quis videt, ait Paulus*, Rom. 8. *quid sperat?* Quare, licèt certum sit nemini in hoc sæculo plenã salutem contingere; vt eam tamen quis assequatur, eadem est illi speranda; cum ad salutem nemo perueniat, nisi per spem eius in Deo quæ ex fide procedit, & bonis operibus nutritur ac crescit. Deus enim promissionis suæ & consilij sui immutabilitate homines sæpe admonet, vt rerum futurarum spe exultantes, omnia huius sæculi incommoda æquo animo ferant. Vnde vt ea spe ad res magnas longanimiter gerẽdas, & ad pericula adeunda atque aduersa toleranda fideles excitaret, dixit Apostolus Rom. 8. *Spe nos saluos factos esse*. Et Hebr. cap. 6. *Qui confugimus ad tenendam propositam spem, &c.* Quasi diceret, relicta huius sæculi felicitate, ad cælestium bonorum obtinendorum spem se fugisse, non vt eam vtcumque haberet, sed vt apprehenderet ac firmissime complecteretur; ne sæculi procellis ac turbinibus hinc inde raperetur. Inde est, quod ibid. *anchoræ* spẽ faciat similem; quia sicut anchora tempestatis tempore, naues firmas continet ne ventis rapiantur & conterantur: ita spes

Spes ab Episcopo exigitur.

Spei necessitas.

Spes anchoræ similis.

commoditates habeant. *Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium eius non defluet, & omnia quæcumq; faciet prosperabuntur, &c. Non sic impij non sic, sed tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ*; videlicet, tanquam res omnino inutilis, quæ ventorũ ludibrio permissa, omnino perit irreuocabilis. Sunt enim impij eiusmodi puluis, de quo Esaiæ 41. Dominus: *Ego posui te*, inquit, *quasi plaustrum triturans nouum, habens rostra serrantia; triturabis montes, & comminues, & colles quasi puluerem pones; ventilabis eos, & ventus tollet & turbo disperdet eos.* Quod ipsum significat illa pulcherrimarũ translationum cõaceruatio, Hoseæ 13. *Erunt quasi nubes matutina; & quasi ros matutinus præteriens, & sicut puluis turbine raptus ex area; & sicut fumus de fumario.* Comparantur autem impij homines cum puluere siue gluma, tum quod ij leuissimi sint ingenij, tum quòd non solum inutiles, sed etiam incommodi & nociui sint aliis, instar glumæ, quæ & oculis hominum, & armentis ipsis non leuiter nocet. Eadem ferè translationis ratione leuissimos & nequissimos homines appellauit Cicero *quisquilias* lib. 1. ad Atticum & pro Sextio. Sunt autem quisquiliæ totũ id minutulum & inutile, quod ex arborum frondibus & floribus exarescens, cadere solet.

Impij homines cur pulueri & glumæ comparentur.

37. *Iuuenilia autem desideria fuge.*

Vt vas in honorem, sanctificatum, dominoque vtile, quod *nomen* eius *portet*, manere possit Timotheus, ipsum cohortatur Apostolus, vt eas cupiditates declinet & auersetur, quibus adolescentia solet esse obnoxia. Ea autem esse putat Chrysostomus, omnis

omnis generis desideria, etiam quæ ad libidines spectāt, quib⁹ ętas illa iuuenilis teneri solet. Quod confirmat id, quod ijs desiderijs non resistendum, sed ea potius fugienda velit. Solent enim iuuenilia, siue carnalia desideria inter eiusmodi peccatorum genera numerari, quæ fugiendo potius, quàm resistendo vincuntur. Reliqua vitia, vt odium, superbia, auaritia, non fugiendo, sed resistendo vinci debent, quia quanto magis circa illa particularia quis tractat, atque considerat, tanto minus in eis inuenit, vnde delectetur. Ostendit enim ratio diuturna, diligenti habita consideratione, quam vanè superbitur, quam inepte pecunia amatur, quam temere vindicta appetitur. Verum in carnis peccatis, quæ *iuuenilia desideria* hoc loco dicuntur, quanto magis particulare obiectum cogitatur, tantò magis accenditur; ita vt non aliter quàm fugiendo, & omnem de illis rebus cogitationem primo quoque tempore deponendo vincantur. Hinc 1. Cor. 6. dixit Apostolus: *Fugite fornicationem*. Et Angeli, volentes Loth de ciuitate illa infami omnium libidinū officina eripere, monuerunt *vt fugeret*. Gen. 19. *Salua animam tuam; noli respicere post tergum tuum, nec stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac.* Quibus verbis, monuerunt angeli à peccato carnis longè esse fugiendum, & omnem omninò occasionem euitandam; idcircò dixerunt; *Nec stes in omni circà regione*: Quare huius loci desideria pro carnalibus sumuntur; quæ ideò *iuuenilia* nuncupantur, quod in ea procliuior adolescentia esse soleat, quemadmodum testis esse potest Comicus in Adelph. cū eadē desideria vocat vitia, *quæ fert adolescentia.* Hinc est illa communis

Iuuenilia desideria quæ?

Carnalia peccata fugiendo potius, quam resistendo vincuntur.

Cur carnalia peccata, desideria iuuenilia nuncupentur.

munis Philosophorum vox, apud Ciceronem de Officijs; *Adolescentiam tollendam esse à libidinibus.* Et illlud Aristotelis 8. Ethic. cap. 6. *Adolescentum vitam in libidine & perturbatione consumi, atq; ad fœdum amorem esse propensam: Magna enim pars fœdi amoris in perturbatione & voluptate ponitur.* Atq; hęc eadem est illa impura nequitia, de qua Poeta 1. fast. dixit:

Adolescentia libidinosa.

Nequitia est quæ se non sinit esse senem.

Eius ratio.

Huius rei rationem reddens Chrysostom. epist. ad Olympiam: *In adolescentibus*, inquit, *maius est naturæ incendium, maior concupiscentiæ tempestas, infirmiora consilia, ratio quæ vitia gubernat, infirmior.* Et Hieronymus ad Nepotian: *Multa*, inquit, *corporis bella sustinet adolescentia, & inter incentiua vitiorum & carnis titillationes, quasi ignis in lignis viridibus suffocatur sapientia, &c.* Cæterum non vnum carnis peccatum *iuuenilia desideria* significant, sed vel omnia quæ plurima sunt, vel in vniuersum illa peccata, quæ cæca & flagrante cupiditate, perpetrantur, præsertim vnius voluptatis studium, quod in adolescentia vigere solet. Nam simul cum feruente ætate, æstuat ira, ardet cupiditas, tumet superbia, compotat gulositas, ruit præceps ignorantia & in nulla re voluptatem non quærit, quia vt ait Ambrosius, Job capite decimo tertio, *tum maxime calor feruet, & æstu sanguis vaporantes ignescit.* Hinc delectationis & voluptatis studium, tantum videtur Salomon, exprobrasse iuueni Eccles. 11. cum ait: *Lætare iuuenis in adolescentia tua: & in bono* (iucundo & voluptuoso) *sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ & ambula in vijs cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum &c.* Et deinde subiungit: *Aufer iram à corde tuo, & amoue malitiam*

Iuuenilium desideriorum nominibus plurima coprehenduntur peccata

Adolescentia vitiis dedita.

tiam à carne tua. Adolescentia enim & voluptas vana sunt. Vbi per *iram* intelligit Sapiens, quamcumq; vehementem & effirænatiorem animi passionem & perturbationem, quæ propter feruorem sanguinis, in adolescentia facilius & vehementius excitatur. Per *malitiam* verò *carnis*, significat non solum turpes actiones, sed etiam quæ Apostolus vocat, *opera carnis*, quæ numerantur Gal. 5. Quare, cùm acrior pugna iuuenum sit, vt ait Augustinus, serm. 43. de verbis Domini, monet hoc loco Timotheum adhuc iuuenem Apostolus vt vigilet, ne in bello cadat, ne concupiscentiæ incendio pereat, ne affectuũ tempestate iactatus demergatur. Quemadmodum enim, quò fluctuum maior est agitatio impetusq; ventorum, eò gubernatoris maior esse debet vigilantia: ita, quò ætatis affectuumq; vehementior est procella, eò vigilantiorem oportet esse adolescentem. Hoc significatum videtur in eo quòd militibus, carnalia siue iuuenilia desideria comparat Apostolorum princeps 1. Petr. 2. qui ex ipsa adolescentis carne veluti quadam arce, *aduersus animam iugiter militant.* Diruta quidem illa arce, milites hi oẽs perirẽt; sed diruere, soloq; omninò æquare nõ est fas: necesse est arcẽ, id est, carnẽ conseruare. Sui porrò abnegatione & exinanitione animique demissione, veluti fame cũ hostib⁹ pugnandum est, vt mortificationis vinculis constringantur.

Iuuenum acrior pugna.

Iuueni vigilantia opus.

Alia est nonnullorũ huius loci interpretatio, quæ dicit ea duntaxat compressa velle in Timotheo iuuenilia desideria, quibus Philetus & Hymenæus cõstricti tenebantur, superbam videlicet animositatẽ, inanem gloriam & ambitionẽ quibus excæcati,

Alia huius loci interpretatio.

naufragio

naufragio à fide facto, multorum fidem subuerterant. Q. d. Si vas in honorem fieri cupis, fuge appetitum inanis gloriæ, iactantiam, philauthiã & ea desideria quæ in illis culpaui. Hæreticorum enim est proprium, non tam veritatis doctrinæ, quam priuati honoris, philautiæ, & existimationis singularem habere rationem. Sic enim comparatos esse docet vsus, vt nominis sui celebritati, præcepta diuina, Christi fidem, & Ecclesiæ authoritatem impudentissimè postponant: Quod, vt ait rectè Augustinus, lib. 3. de Ciuit. cap. 14. tam est inimicum piæ fidei (si videlicet maior sit in corde cupiditas gloriæ, quã Dei timor, vel amor) vt Joan. 5. dixerit Dominus: *Quomodo vos potestis credere, gloriam ab inuicem expectantes, & gloriam quæ à solo Deo est, non quærentes?* Item de quibusdam, qui in eum crediderant, & verebantur palam eundẽ confiteri: *Dilexerunt gloriam hominum magis, quàm Dei:* Quo perniciosius vel fingi vel cogitari nil posse, quis non videt? Certè id hominum genus eleganter infirmo homini comparari potest, qui graui & diuturna ægritudine laborans, multis & efficacibus remedijs sanitatis acceptis, adhuc tamen à mala quadam consuetudine, quæ causa morbi est, nolens recedere, in medicum culpam reijcit, dicitque nullum ab eo efficax remedium adhibitum, eo quod sanus esset, si id fecisset. Contra quem meritò insurgat medicus, dicens; Quomodo tu potes sanari, qui à praua cõsuetudine, à qua morbus est contractus, non recedis. Eodem modo insultare quis posset hæreticis, quomodo veram fidem se profiteri dicant, quomodo veram doctrinam inuenisse; cum propriam gloriam, non Dei, semper quærant.

Hæretici priuati honoris amatores.

Hæretici homini infirmo comparantur.

quærant. Vitia enim voluntatis & animi affectus, multum possunt contra fidem; idcircò quando vitia & passiones contrariæ sunt ijs quæ fidei sunt, impediunt ad recipiendum fidem, & impediunt ad receptam retinendum. Hinc est quod ambitio & vana gloria Hæreticorum, eorum detineat intellectum, ne sanæ doctrinæ, Ecclesiæ authoritati & plurimis fidei veritatibus assensum præbeant, quemadmodum de Nouatiano narrat Ambrosius lib. 1. de pœn. c. 15. qui amissi Episcopatus dolore, ab Ecclesia discessit; & de Paulo Samosatensi, qui amore fœminæ apostatauit à fide, testatur Chrysostomus hom. 7. in Joan. idq; nostri temporis Sectarijs euenisse notius est, quam vt me declaratore egeat.

Vitia contra fidem plurimum possunt.

Vitia hæreticos in hæresi detinent.

Quod si cum Jobo cap. 30. considerarent ambitiosi & carnales Hæretici, se redigendos *in nihilum & auferendum quasi à verbo desiderium suum*, & *velut nubem pertransituram salutem suam*, non ita priuatæ gloriæ essent studiosi, cum quicquid illis iucundum esse potest, quicquid velle aut sperare possunt, ludibrio venti sit expositum. Sicut enim nubes quamuis in sublime euehi videatur, & ingenti mole conspicua ingentem pluuiam polliceatur, vi ventorum disiecta dissoluitur: ita temporalis hominum fœlicitas & gradus sublimis fœlicitatis. *Nubes cito transiens* rei fallacis, vanæ, deficiẽtis & euanescẽtis apud Job c. 7. & Os. 13. symbolũ est. Hinc Prou. 25. *Ventus*, inqt Sapiens, *& nubes & pluuia nõ sequẽtes, vir gloriosus & promissa non complens.* Vnde sapienter Jacob. c 4. hominũ vitam *vapori*, seu halitui & fumo (quæ cito euanescunt) comparauit, quæ *ad modicum parent*, & deinceps exterminabuntur, quia subito ab homi-

Omnia venti ludibrio exposita.

Humana vita vapori similis.

 num

nũ oculis se subducunt, ita vt nulla memoria relinquatur, & ne vestigia q̃dem cernantur vlla priori illa phantasia & luce extincta, deleta, sublata.

38. *Sectare iustitiam, fidem, spem, charitatem & pacem, &c.*

Quia Christiano, & Christianorũ maximè antistiti, nõ est satis nociua fugere, nisi etiã vtilia & salutaria p̃sequatur; post q̃ fugienda declarauit, p̃sequenda subiungit. *Cum n. renuntiatur improbitati*, ait Amb. lib. 2. de Cain, cap. 4. *statim adijcitur virtus; eodemq́ studio quo crimen excluditur, innocentia copulatur.* Inprimis igitur *iustitiæ* studium Timotheo commendat Apostolus, hoc est, eum admonet, vt vnicuiq́; quod suũ est, promptè & cum voluptate reddat: *Dei nempe regnum & eius iustitiam ante omnia, inquirendo.* Matth. 6. Cum enim sacrorũ principes sint iustitiæ custodes (iuxta Sapientem Prou. 20. dicentem; *Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo*) tum regi⁹ vates Psal. 131. à Domino petebat, *vt sacerdotes eius induerent iustitiam*: Quasi ad consumationẽ virtutũ, Deo dignè nõ possent sacerdotes ministrare, nisi ab eodẽ profecta adornarẽtur iustitia: Sic n. futurum arbitrabatur, vt populus ipsius omnis qui est multitudo sanctorum, eidem corde fideli adhærens, iugiter in Domino Deo suo exultaret. Religionis namq; Christianæ principale bonum in æquitatis obseruatione & iustitiæ exercitio consistit, quo & Deo debita præstatur tum reuerentia, tum obedientia, & tribuuntur proximo quæ ei debita sunt, vt ipse alijs nõ faciat, quod sibi fieri nollet; & q. sibi quoq; fieri vellet, alijs etiam faciat. Sic fiet vt ex iustitiæ cultu, pacificus

Iustitia Episcopo necessaria.

Iustitia commendatio.

pacificus inter homines victus & trãquilla inter cõciues Christianos cõuersatio proueniát & augeátur.

Huius etiam *iustitiæ* vocabulo, omnis virtus intelligi potest, quæ totius vitæ Christianæ innocentiam & morum integritatem complectitur, vt cuius partes sunt, *declinare à malo, & facere bonum; inquirere pacẽ, & eandem persequi.* Sic iustitia erit non solũ virtus peculiaris, quæ reddit vnicuiq; quod suum, & quæ peculiariter in iudice & principe reqritur, præsertim ad destributionem honoris, pecuniarũ aut cæterarũ rerum, quæ inter ciues diuidi possunt, vt definit Aristoteles, l. 5. Eth. c. 2. sed iustitia illa erit, quæ vniuersam legem respicit, & quæ, vt idem Philosophus statuit, semper legitimum facit, neq; à legibus exorbitat, neq; plus capit expetítue, neq; iniquas censet in re vlla, quæ ad communem omnium vtilitatem spectat. *Hæc*, inquit Aristoleles, *perfecta virtus est & præclarissima virtutum, & neq; est Hesperus ita, neq; Lucifer admirabilis:* Quæ, quia non solum peculiare bonum, sed commune respicit, commendat illam Biantis sententiam: *Magistratus virum ostendit*; eo quod hæc maximè in magistratu & principe requiratur. Hinc *iustitiæ* & *iusti* nomen in sacro sermone, cõmunes sunt perfectę sanctitatis & innocentiæ appellationes: & ipsa diuina lex, quæ omnes virtutum actiones, & quicquid legitimum est, comprehendit, *Iustitia* appellatur Deut. 4. & 24 Psal. 7. 10. & 17. & passim. Huius porrò *iustitiæ* ratio illius iustitiæ præsidio, tanquam fundamento niti debet, qua Deus hominem in se dignè credentem induit, dum eũ iustificat. Ea autẽ rerũ duarum est effectiua, nempe remissionis peccatorum, propter quæ homines erant,

Iustitia omnem virtutem complectitur.

Iustitia destinctio ex Arist.

In quo sita hominis iustitiæ ratio.

Iustitia duplex effectiua.

per quem vita inchoata est, eodem fouetur & conseruatur; ita vitæ gratiæ initium & conseruatio fides est qua fouetur, ne *subtractionis*, id est, infidelitatis, sed potius fidelitatis filij efficiamur *in acquisitionem animæ*; quia per infidelitatem qui se à Deo subtrahit, peribit & gratiæ vitam amittet, cum *iustus ex fide viuat*.

Iuuenilibus cupiditatibus, *spem* Episcopo necessariam opponit Apostolus, hoc est, firmam eorum mediantibus mediis diuinitus requisitis expectationem, quæ nec videntur, nec possidentur. Nam *quod quis videt, ait Paulus*, Rom. 8. *quid sperat?* Quare, licèt certum sit nemini in hoc sæculo plenã salutem contingere; vt eam tamen quis assequatur, eadem est illi speranda; cum ad salutem nemo perueniat, nisi per spem eius in Deo quæ ex fide procedit, & bonis operibus nutritur ac crescit. Deus enim promissionis suæ & consilij sui immutabilitate homines sæpe admonet, vt rerum futurarum spe exultantes, omnia huius sæculi incommoda æquo animo ferant. Vnde vt ea spe ad res magnas longanimiter gerẽdas, & ad pericula adeunda atque aduersa toleranda fideles excitaret, dixit Apostolus Rom. 8. *Spe nos saluos factos esse*. Et Hebr. cap. 6. *Qui confugimus ad tenendam propositam spem, &c.* Quasi diceret, relicta huius sæculi felicitate, ad cælestium bonorum obtinendorum spem se fugisse, non vt eam vtcumque haberet, sed vt apprehenderet ac firmissime complecteretur; ne sæculi procellis ac turbinibus hinc inde raperetur. Inde est, quod ibid. *anchoræ* spẽ faciat similem; quia sicut anchora tempestatis tempore, naues firmas continet ne ventis rapiantur & conterantur: ita spes

Spes ab Episcopo exigitur.

Spei necessitas.

Spes anchoræ similis.

bonorũ cælestium animas nostras firmat ac immobiles seruat in fluctibus & tempestatibus huius mũdi, ne pereant. Nec contentus his, quartam virtutem adiungit Apostolus, *charitatem* videlicet, ex qua, illa quæ subiungitur *pax* & animorum ordinata consensio oritur. Hanc autem addidit, quia nec fides, nec spes alicuius momẽti sunt, si charitatis præsidio sint destitutæ, quemadmodum 1. Cor. 13. author est Apostolus. His aũt virtutibus futura pręmiorum spes, perfecta pietas, fraterna dilectio, cum pace & mansuetudine, conuictus & conuersatio nituntur. Est igitur quasi ab Episcopo exigeret Apostolus, vt fugatis præsentibus carnis cupiditatibus, & pseudodoctorum hypocrisi contempta, eas præcipuè virtutes colat, in iis exerceatur, quæ nobiscum possunt ad æternum cælorum regnum transire, cum in his virtutibus supremæ beatitudinis regnum consistat, per quas principaliter in nobis Deus regnat, & ad regnum ipsius patet aditus. Regnat enim Deus & in hoc sæculo per fidem, spem & charitatem in homine; quas virtutes qui habet, eam *pacem quæ exuperat omnem sensum*, facile experitur, quæ est iustitiæ effectus. Nam sicut iniustitia est causa discordiæ & perturbationum in humana societate; Ita cultus & administratio iustitiæ tam priuatæ quàm publicæ, causa est pacis & tranquillitatis: Adeo vt rectè dictum sit Esaiæ 32. *Opus iustitiæ pax.* Sicut enim vera iustitia à Spiritu sancto est; ita & vera pax. *Per Spiritũ* namq; *sanctum diffunditur charitas in cordibus nostris.* Rom. 5. Charitas autem gaudium parit, de quo Dñs Ioan. 14. *Et gaudebit cor vestrum*, inquit, *& gaudium vestrũ nemo tollet à vobis.* Hinc Galat. 5. *Fructus Spiritus*, inquit Apostolus, *est charitas, gaudium, pax*,

[Margin notes: *Charitas, in Episcopo esse debet.* — *Charitatis effectus.* — *Huius loci sensus.*]

39. *Et pacem cum his qui inuocant Dominum de corde puro.*

Licet horum verborum hic possit esse sensus, vt velit Apostolus non solum Timotheum pacem cæterasque virtutes sectari, sed & omnes *qui inuocant Dominum*; id est, fideles; communior est tamen expositio, quod velit Timotheum sectari pacem maximè cum fidelibus, vel vt Galat. 6. loquitur, maximè *inter domesticos fidei.* Cum enim inter bonos & malos vera animorum consensio esse non possit, tũ declarat eam *pacem*, quam Episcopo commendat, iis maximè esse debere communem, qui eiusdem sunt fidei, eiusdem doctrinæ, & religionis. Q. d. Nihil vel Simonis improbis & profanis Sectatoribus, vel Iudaizantibus tribuere debes ô Timothee, multo minus cum eis cõmunicare: Simoniacis quidem, quia summè improbi, à fide alieni & superstitiosi: Iudaizantibus verò, quia de lege Moysi multa subtiliter disputant, sed ea non amplectuntur, nec præstant quæ lex præcipit. Legis mentem, non vt inde Deus colatur & ametur proximus, inquirunt, sed vt vanam per hypocrisin, ex scientiæ opinione gloriam aucupentur; cum tamen legis scopus, Dei & proximi charitas esse debeat, ex corde puro, integro & sano profecta, quemadmodum prioris epist. cap. fuse est explicatum.

Duplex huius loci sensus.

Pax præcipuè cum Christianis seruanda.

Dicitur autem is *inuocare Dominum de corde puro* secundum phrasim Hebræam, qui Deum colit nullo mortifero opere, aut verbo, aut cogitatione contaminatus. Illi enim dicuntur mundo corde, teste Hieronymo, qui nulla peccati labe cor habent in-

Quid sit, Deum inuocare de corde puro.

quinatum. Cui subscribens Chromatius: *Hi*, inquit, *sunt mundo corde, qui deposito corde peccati, ab omni se carnis inquinamento purgauerint, & per opera fidei & iustitiæ Deo placuerint, &c.* Asscribi porro solet *cordi* munditia & puritas, quia cor est fons peccatorum, ita vt si cor mundum sit, & voluntas munda, totus etiam homo mundus sit; si vero cor immundum & voluntas, immundus quoque sit homo, iuxta illud Matth. 15. *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, &c.* Hinc est quod cordis munditiâ vniuersam hominis munditiam complexus sit Regius *vates*, Psalm. 23. cum quærens; *Quis ascendet in montē Domini, aut quis stabit in loco sancto eius*, id est, quis futurus sit beatus? Respondet: *Innocens manibus & mundo corde*, hoc est, qui manus & cor habet munda. Non enim sufficit ad beatitudinem consequendam munditia *manuum*, id est, operum; sed requiritur etiam *cordium*, id est, cogitationum & affectuum munditia, à quo videlicet omnis puritas & sanctitas dependet. Vnde Dominus Matth. 23. *Munda prius quod intus est calicis, vt fiat quod deforis est mundum*; id est, munda cor internum, vt mundum sit opus externum. Et Augustinus, Psal. 125. *Si volueris*, inquit, *vt exteriora munda sint, interiora mundato.* Cuius rei rationem reddens D. Thomas 2.2. q. 122. a. 3. ait fundamētum bonitatis esse bonitatem internam volūtatis. *In generatione*, inquit, animalis *primo generatur cor, in domo primò ponitur fundamentum, & in bonitate animæ prima pars est bonitas voluntatis, &c.* Quare, cordis munditiam omnis probitatis, vitæ, & decoris qui virtutibus inest fontem & radicem recte quis

Cur cordi ascribatur munditia.

Externa munditia ab interna dependet.

quis dixerit. Quemadmodum n. externa corporis vita ac decor ex interna viscerum valetudine ac puritate oritur: Sic virtutum solida pulchritudo ex interna cordis & sanitate & mūditia emanat. Non potest riuulus purus esse, si fons ex quo effluit sit impurus: nec potest opus esse mundum, Deoq; gratum, si cor ex quo emanat sit immundum; *Deus* enim *cor interrogat non manum, &c.* ait Augustinus, serm. 21. de verbis Apostol. Tametsi verò, pacem cum omnibus hominibus seruādam inculcet Apostolus, Rom. 12. *Si fieri potest, quod ex vobis est, cū omnibus hominibus pacem habētes, &c.* Item Rom. 14. *Quæ pacis sunt sectemur.* Et cap. 15. *Vnusquisq; proximo suo placeat in bonū, ad ædificationem,* id est, vnusquisq; proximi cómoda quærat, & pacem cum eo seruet. Simili modo Philipp. 2. *Non quæ sua sunt*, id est, sua commoda, inquit, *singuli considerantes, sed ea quæ sunt aliorum.* Hebr. 13. *Pacem sequimini cum omnibus*, id est, pacem persequimini. Vbi Theophylactus: *Reputat*, inquit, *quod dixit Paulus; Pacem persequimini, hoc est, pacem etiam remotā, ac quæ procul est, studete comprehendere, ad vos ipsos attrahētes, &c.* nihilominus tamen inter eos præcipuè *qui inuocant Dominum*, id est, inter fideles, vult *pacem* seruandam hoc loco Apostolus, quia pax vnitatē illam Spiritus, q̄ ad Ephesios scribens cap. 4. Christianis omnibus necessariam requirit, sartam tectam cōseruat; immò tale huius est vinculum & firmamētum, vt eo soluto, illud q̄ inter Deum & homines intercedere debet, indissolubile pacis vinculū, necesse sit dissolui. Hinc ex hoc mundo abiturus, in discipulis oēs suos cultores tali pacis vinculo constringi petit à suo patre cælesti Dñs, vt penitus vnū efficiantur. *Serua*, inquit ad Patrē Ioan. 17. *eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt*

Cordis munditia, probitatis & sanctitatis fons.

Pax præcipue inter Christianos seruanda.

Pax vnitatem Spiritus in Ecclesia conseruat

ſint vnum ſicut & nos, &c. Sicut n. Pater, Filius & Spiritus ſanctus perſonæ tres ſunt, vnus tamen Deus, vnicam numero habens naturã; ita vult Chriſtus ſui cultores, licet numero plures, pace & concordia vnũ effici, vt ſint, quemadmodum de primæuæ Eccleſiæ Chriſtianis legitur Act. 4. *multitudinis credentium cor vnum & anima vna, &c.* Hanc aũt Spiritus & animorum vnitatem inter Chriſtianos ſeruandam, non ſolum exigit ipſa natura, quæ cæteris omnibus animalibus ad ſui defenſioné, vel etiam aliorum offenſioné annis conceſſis, vnũ hominem nudũ & inermem in hunc mundũ introduxit vt animal pacificum, à pugna & contentione alienũ; ſed & peculiaria illa, quæ Chriſtianos ſingulariter concernũt, diuinæ bonitatis dona, ab eodẽ Apoſtolo, Epheſios ad illã vnitatem inuitaturo, enumerata poſtulant & requirũt.

Vnitas Spiritus Christianis necessaria.

Cum n. dixiſſet cap. 4. *Soliciti ſeruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis*, addit: *Vnũ corpus & vnus Spiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ. Vnus Dominus, vna fides, vnũ baptiſma, vnus Deus & Pater omnium.* Vnum n. corpus oẽs Chriſtianos eſſe voluit Dominus, vt pacem inter ſe veluti membra eiuſdẽ ſeruarent corporis. Vna item Chriſtianorũ vocatio, qua ad cæleſtem beatitudinem ſunt vocati; Vnus Dominus, quem Chriſtum eſſe omnes agnoſunt, & ſe eius ſeruos fatentur: Vna fides, qua idem omnes credũt; [illegible]nus b[illegible]iſmus, qua abluti ſunt; (vnicum enim eſt bapt[illegible]riſti, quod in nomine SS. Trinitatis donat[illegible]s denique Deus & Pater omnium, nihil [illegible]tare videntur, quàm vt horum omnium [illegible] participes vni Spiritus & animi vnitate [illegible]. Quare, non fruſtra modum arcæ ædifi[illegible] præſcribens Noaco Dominus, inter cætera, de

Vnitas commendatur.

de lignis leuigatis eam constructam, variisque mansiunculis exornatam, bitumine liniri intrinsecus & extrinsecus præcepit: *Fac tibi, inquit ad Noë Dominus,* Genes. 8. *arcam de lignis leuigatis: mansiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinsecus & extrinsecus.* Arcam hanc veræ Ecclesiæ Christi figuram gerere nemo dubitat; quam ex credentibus per pœnitentiam & alia Sacramenta perpolitis, & quasi leuigatis constantem, variis mansiunculis, id est, credentium statibus, distinctis vocationibus distinxit Dominus. Verum vt hi oēs in hac sua vocatione diuersa, bene cohæreant, vt firma permaneat Ecclesia, vt aquas vel externæ & peregrinæ doctrinæ, vel tentationum & persecutionum nō intromittant, nec ab eis submergantur, bitumine & glutine firmissimæ charitatis, concordiæ & pacis intus & exterius & in vnoquoq; obliniri debent: Futurū alioqui vt arca in mediis tribulationum ac persecutionū procellis naufragium patiatur; quia *omne regnum in se diuisum desolabitur,* inquit Dominus, Lucæ 11.

Arca testamēti Vnitatis Christianæ symbolum.

40. *Stultas autē & sine disciplina, quæstiones deuita, sciens quia generant lites.*

Stulti vocabulum, multiplicis est significationis. Iam n. & quidē ꝓpriè id significat, q̄ vi, vita, humore, sapore, sapientia destitutū est, q̄ languet, marcescit, & veluti aridū folium decidit. Itē id q̄ vile est & abiectū, nulliusue pretij. Iuxta q̄ stulti significationem monet Timotheum Apostolus, vt eas q̄stiones deuitet, q̄ friuolæ sunt & insipidæ, nec ad pietatē vllo modo conducūt, sed sapientia & sapore destitutæ ad impietatē ianuam aperiunt. Accipitur itē Stulti

Stulti Vocabulo, quid intelligendum.

1.

2.

nomen pro eo q, sensu & mente destituitur, nullius animi, nullius consilij, q oēs suas cogitationes in rem contemptissimā abiecit. Sic 1. Reg. 25. Nabal, secundū nomen suum stultus est, q nihil sublime cogitat, neq; dignā de rebus æstimationē iudiciumue habet.

3. Ex qua significatione emanauit illa eiusdē nominis acceptio, q̄ ad eum accōmodatur; q adeo abiectè de Deo sentit, vt Deum non agnoscat, neq; veram fidē ac religionem colat. Hinc ad idololatriam pertinēt illa Deut. 32. *Popule stulte & insipiens*. Et 21. *In gēte stulta irritabo illos*. Sic & Paulus c. 10. Rom. vocat idololatras, *Gentē insipientem*; & Psal. 73. Regius vates de iisdē: *Populus meus*, ait, *insipiens incitauit nomen meum*, id est, blasphemauit, contēpsit me. Iuxta hanc acceptionem eas q̄stiones prohibet Timotheo Apostolus, quas contra Deum eiusq; ꝓuidentiam & doctrinā excitabat, abiectè nimis & humiliter de Deo sentiens Simonis schola. Q. d. Eas q̄stiones deuita, q̄ non solum Simonis impietatē, sed etiam stultitiam ostēdunt, & à mea institutione & disciplina sunt alienæ.

4. Sumitur deniq; stultitiæ nomen ꝓ eo, q, homine ꝓbo & sapiente est indignum, nec in hominē cordatū cadere potest. Quo pacto Iudicū 19. de ꝑpostera libidine dictū est: *Nolite facere malū hoc, cessate ab huiusmodi stultitia*. Et Hierem. 29. *Ponat te Dominus sicut Sedechiam, & sicut Achab, quos frixit Rex Babylonis in igne, ꝓ eo ꝙ fecerunt stultitiam in Israel, &c.* id est, rem Israele indignā. Secundū hoc significationē hic erit sensus: Cū soleant impudentes illi Simonis discipuli inania multa contra veritatem & vitæ probitatem effutire, ne te similem præbeas ô Timothee, sed inania illa, quæ vani illi homines meditantur die ac nocte, tanquam à tua dignitate & instituto aliena deuita.

Stultæ

Stultæ, fatuæ & friuolæ sunt illæ quæstiones, quibus non tam ratione & argumentis vltro citroq; habitis, loquendo & vicissim respondendo, audiendoq; veritas inquiritur, quam ingenij ostentandi gratia, sine vlla spiritualis fructus spe mouentur; cum tamen ea sacræ scripturæ vtilitas in omni disputatione spectanda sit semper, quam Roman. cap. 15. exprimens Apostolus: *Quæcumq;, inquit, scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus, &c.* Quibus verbis, vt omittam cætera, doctrinæ, quæ ex scriptura capitur, vtilitas consideranda proponitur, nempe in tribulationibus longanimitas, & certa aliquando fœlicitatis adipiscendæ fiducia, quæ homini in hac vita constituto, jugem affert consolationem. Vbi *consolationem* vocat Paulus, quam Jacob. cap. 5. suæ epist. *Domini finem appellat*, loquens de Iob & D. Petrus 1. Petr. 1. *posteriores glorias*, de Christi glorificatione mentionem faciens. Atq; ex his doctrinæ cœlestis exemplis, saluté animarum nostrarum pendere, docuit idé his verbis: *De qua salute exquisierunt atq; scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in nobis gloria prophetarunt, scrutantes in quod, vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi, prænuntians eas, quæ in Christo sunt passiones & posteriores glorias.* Paulus igitur Christum est imitatus, qui Lucæ vltimo, *stultos & corde tardos ad credendum* vocabat eos, qui scripturarum scopum ignorarunt, nec prohetarum vsum finemq; habuerunt cognitum & perspectum, quemadmodum ex seqq. verbis patet, vbi; *Nonne hæc oportuit pati Christum*, subiungit Dominus, *& ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moyse &*

Stultæ quæstiones, quæ?

Scripturæ sacræ vtilitas.

omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturas, quæ de ipso erant. Scripturarum namq; potissimum munus est, *patientiam & consolationem in nostram salutem* loqui, quam olim in *Prophetis spiritus Christi prænutiauerat.* Quamobrem hæc in libris diuinis inspiciéda atq; imitanda nobis proponuntur, vt maximũ salutis animarũ nostrarũ subsidiũ, in libris his positũ esse intelligamus. Ad fabricatores auté mendacij & cultores peruersorũ dogmatũ ptinet, non rectam ratiocinando, vel disserendo de sacris rebus rationé tenere, sed importunis & inutilibus argumentis priuatã vrgere opinioné, vniuersalesq; Theologicas propositiones importunè & peruersè ad rem particularem applicare. Eiusmodi Doctores, vanis, ineptis & imperitis medicis nõ abs re cõparaueris, qb⁹ cũ nec morbi natura, nec grauitas sit cognita, vtilia oĩa negligunt pharmaca, & nociua oĩa atq; acerba adhibent, ipsaq; vulnera amplificant atq; discerpunt; cum tamen verus medicus salutaria adhibere debeat remedia & antidota.

Scriptura sacra potissimum munus.

Stultarum quæstionum sectatores, qui?

Notandum verò est, quod stultas & inutiles has quæstiones, *sine disciplina*, siue, prout Græcus textus habet, ἀπαιδεύτους, id est, ineruditas nominet, vel quantũ ad modũ quia caloris & contentionis plenæ sũt; vel ex parte materiæ disputationi subiectæ, vt si v. g. in dubium reuocetur, aliqua fidei veritas, quæ vnanimi totius Ecclesiæ consensu certa & indubitata sit semp habita. Huiusmodi disputatores, vera sapiẽtia & consilio destituti, sine luce cõmuniter aberrãt cæcutiẽtes, stultescũt, offendũtq; passim litigãtes in crassissimis ignorãtiæ tenebris; qa disciplinæ impatiẽtes redargui, erudiri & emẽdari nolũt, vt recta via

Stultæ quæstiones cur sine disciplina dicantur.

via incedant, vt vana hominũ aura neglecta, & inani laudis humanæ aucupio cõtempto, veritatis vim solam imbibant, & sæcularia contemnentes, cœlestia duntaxat sectentur.

41. *Seruum autem Domini non oportet litigare: sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati.*

Causam reddit Apostolus, cur velit Timotheũ stultas illas quæstiones, quæ *lites generãt*, deuitare; ideò videlicet, quia qui seruus Dñi verè vult dici & haberi, nullo modo debeat litigare. Vbi notandũ, *serui Domini*, siue *Dei* (pro eo n. accipitur nomẽ *Domini*) titulũ esse honorificentissimum, & ingenuis vereq; liberis hominibus dignũ; tum quia serui nomẽ ministros & famulos, tũ præcipuè, quia seruire Deo, omnẽ pietatis cultũ, & sancta oĩa obsequia & ministeria minimè seruilia comprehendit. Vnde Paulus, ob Euangelij prædicationẽ se *seruũ Christi* appellat, eoq; titulo sibi charissimos ornat & honorat Deus, quo vicissim illi gloriãtur. Præ se fert autẽ is *serui Dei* titulus, in amore seu amicitia (quę exactissimè cũ Deo propter inæqualitatẽ esse neq; t) creaturæ amãtis subiectionẽ & modestiam, in qua qui magis proficit, magis se etiam seruitutis nexu quodam deuinctum sentit; & quo maior est, eo se humilians magis, (vt præcipit Eccl. cap. 3.) *seruum se maximè inutilem agnoscit, & Dei etiam, ac seruorum suorum:* Quod quasi honorarium prænomen, post Damasum & Gregorium Pontifices Max. cæteri eorum successores gerunt. Libera igitur atq; ingenua est Dei seruitus, quemadmodum indicarunt illi, qui sunt

Serui Domini titulus honorificentissimus.

Serui Dei titulus, quid comprehendat?

Dei libera est & ingenua seruitus.

sunt in conspectu Agni, dum interdum imponunt sibi coronas & sedent, interdum deponunt & procidunt; vt ex hoc se Deo seruire, ex illo verò nihil sibi veræ libertatis, regiæq; nobilitatis imminui vel auferri significent, si Dei serui sint. Quod autem Christus Joan. 16. ait discipulis: *Iam non dicam vos seruos, &c.* perhonorifico *serui* nomine priuare eosdem noluit, sed eo loci intendit duntaxat Dominus ostendere, se non seruorum loco, sed amicorum habiturum; plurima videlicet ijs (quod amici faciunt) imposterum communicando. Imò cum Ioan. 13. dicat, *seruum non esse maiorem Domino suo*, satis demonstrat, se non ideò dixisse, quod discipulos posthac serui titulo non dignaretur, & ita serui esse desinerent, aut inciperent esse amici: Nam *qui eius* (Dei) *amicus efficitur*, ait Augustinus, tract. 85. in Joan. *non solum seruus esse non desinit, sed melior etiam seruus, quo magis amicus, seque quia coniunctior est, magis obnoxium agnoscit & seruum inutilem Luc. 7. cuius nempe non egeat bonis, qui ad amicitiam suam illum admittit.* Quare vult Apostolus à litibus, iurgijs & pugnis Timotheum habere alienum, eo quod indecens sit eis, qui se Dei pacis seruitio mancipārunt, eiusmodi litibus ac pugnis inutilibus se dedere.

Quomodo Christus Apostolos seruos dicat.

Seruo Dei à litibus abstinendum.

Et quia duæ sunt veræ iustitiæ partes, nec sufficit *à malo declinare*, nisi *bonũ fiat*, ideò malis fugiendis sectanda bona subiungit. Inprimis autem *litibus* summè contrariam *mansuetudinem* opponit, qua vult Episcopum erga omnes ita mitem, humanum & ab omni iracundia, seueritateq; alienum habere vt verus *Domini seruus* & esse, & videri possit. Moysen quippe testatur Areopagita epist. 8. hac mansuetudi-

Mansuetudo sectanda.

suetudinis virtute, diuinam inter alia familiaritatẽ meritum, vt per quandam excellentiã, & Dei seruus seu famulus diceretur, & omnibus Prophetis ad diuina iussa exequẽda p̄poneretur. Quasi honorificẽtissimo serui Dei titulo, ideò fuisset exornatus Moyses, q̄ eam quæ in Dño est mansuetudinis virtutem videretur imitatus. In Timotheo igitur, Dei, siue Christi seruo, eam mansuetudinem req̄rit, quam in Christo fuisse sciebat: De cui⁹ mansuetudine, ex Esaia scribit Matth. c. 12. *Non contendet, neq; clamabit, neq; audiet aliquis vocem eius in plateis; Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet.* Quæ omnia, ad sum̃am Christi mansuetudinẽ declarandam spectant. Q. d. adeò mitẽ fuisse Christum Dñm & à nocendi animo alienũ, vt neq; domi, neq; in plateis cũ aliq̃ contendens, vociferat⁹ sit; q̄n imò ne arundinẽ q̄dẽ quassatam pessundederit ac fregerit, nec linum fumigans in quo aliqua ignis scintilla est, extinxerit. Et hoc, vt animarum pastoribus exemplũ daretur, q̃modo ij, qui tenera & modica sunt virtute præditi, sint tractandi; tenerè videlicet & blandè, ne si asperè & durè cum illis agatur, virtutis potius extinguantur scintillæ, quã accendãtur. Est autẽ hæc mansuetudininis virt⁹ Episcopo necessaria, vt eâ, oẽs ad audiendũ & parendũ ijs, quæ ab illo dicuntur, inuitet; quemadmodũ ex eo q̄ Apostolis in orbem prædicatũ missis, p̄cepit Dñs, *ne virgam ferrent*, colligit Ambros. Matth. 10. Vnde Moysen & Dauidem ob mansuetudinem magis, quam ob rerũ gestarum gloriã, populo fuisse charissimos testatur cit. Ambr. lib. 2. offic. cap. 7. *Dauid*, inquit, *rex cum omnibus æquabat suam militiam fortis in prælio mansuetus*

Christi summa mansuetudo.

Episcopo necessaria est mansuetudo.

quinatum. Cui subscribens Chromatius: *Hi*, inquit, *sunt mundo corde, qui deposito corde peccati, ab omni se carnis inquinamento purgauerint, & per opera fidei & iustitiæ Deo placuerint, &c.* Asscribi porro solet *cordi* munditia & puritas, quia cor est fons peccatorum, ita vt si cor mundum sit, & voluntas munda, totus etiam homo mundus sit; si vero cor immundum & voluntas, immundus quoque sit homo, iuxta illud Matth. 15. *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, &c.* Hinc est quod cordis munditiâ vniuersam hominis munditiam complexus sit Regius *vates*, Psalm. 23. cum quærens; *Quis ascendet in montē Domini, aut quis stabit in loco sancto eius*, id est, quis futurus sit beatus? Respondet: *Innocens manibus & mundo corde*, hoc est, qui manus & cor habet munda. Non enim sufficit ad beatitudinem consequendam munditia *manuum*, id est, operum; sed requiritur etiam *cordium*, id est, cogitationum & affectuum munditia, à quo videlicet omnis puritas & sanctitas dependet. Vnde Dominus Matth. 23. *Munda prius quod intus est calicis, vt fiat quod deforis est mundum*; id est, munda cor internum, vt mundum sit opus externum. Et Augustinus, Psal. 125. *Si volueris*, inquit, *vt exteriora munda sint, interiora mundato.* Cuius rei rationem reddens D. Thomas 2.2. q. 122. a. 3. ait fundamētum bonitatis esse bonitatem internam volūtatis. *In generatione*, inquit, animalis *primo generatur cor, in domo primò ponitur fundamentum, & in bonitate animæ prima pars est bonitas voluntatis, &c.* Quare, cordis munditiam omnis probitatis, vitæ, & decoris qui virtutibus inest fontem & radicem recte quis

Cur cordi asscribatur munditia.

Externa munditia ab interna dependet.

quis dixerit. Quemadmodum n. externa corporis vita ac decor ex interna viscerum valetudine ac puritate oritur: Sic virtutum solida pulchritudo ex interna cordis & sanitate & mūditia emanat. Non potest riuulus purus esse, si fons ex quo effluit sit impurus: nec potest opus esse mundum, Deoq; gratum, si cor ex quo emanat sit immundum; *Deus* enim *cor interrogat non manum, &c.* ait Augustinus, serm. 21. de verbis Apostol. Tametsi verò, pacem cum omnibus hominibus seruādam inculcet Apostolus, Rom. 12. *Si fieri potest, quod ex vobis est, cū omnibus hominibus pacem habētes, &c.* Item Rom. 14. *Quæ pacis sunt sectemur.* Et cap. 15. *Vnusquisq; proximo suo placeat in bonū, ad ædificationem*, id est, vnusquisq; proximi cōmoda quærat, & pacem cum eo seruet. Simili modo Philipp. 2. *Non quæ sua sunt*, id est, sua commoda, inquit, *singuli considerantes, sed ea quæ sunt aliorum.* Hebr. 13. *Pacem sequimini cum omnibus*, id est, pacem persequimini. Vbi Theophylactus: *Reputat*, inquit, *quod dixit Paulus; Pacem persequimini, hoc est, pacem etiam remotā, ac quæ procul est, studete comprehendere, ad vos ipsos attrahētes, &c.* nihilominus tamen inter eos præcipuè *qui inuocant Dominum*, id est, inter fideles, vult *pacem* seruandam hoc loco Apostolus, quia pax vnitaté illam Spiritus, q̃ ad Ephesios scribens cap. 4. Christianis omnibus necessariam requirit, sartam tectam cōseruat; inimò tale huius est vinculum & firmamétum, vt eo soluto, illud q, inter Deum & homines intercedere debet, indissolubile pacis vinculū, necesse sit dissolui. Hinc ex hoc mundo abiturus, in discipulis oēs suos cultores tali pacis vinculo constringi petit à suo patre cælesti Dñs, vt penitus vnū efficiantur. *Serua*, inquit ad Patré Ioan. 17. *eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt*

Cordis munditia, probitatis & sanctitatis fons.

Pax præcipue inter Christianos seruanda.

Pax vnitatem Spiritus in Ecclesia conseruat

sint vnum sicut & nos, &c. Sicut n. Pater, Filius & Spiritus sanctus personæ tres sunt, vnus tamen Deus, vnicam numero habens naturã; ita vult Christus sui cultores, licet numero plures, pace & concordia vnũ effici, vt sint, quemadmodum de primæuæ Ecclesiæ Christianis legitur Act. 4. *multitudinis credentium cor vnum & anima vna, &c.* Hanc aũt Spiritus & animorum vnitatem inter Christianos seruandam, non solum exigit ipsa natura, quæ cæteris omnibus animalibus ad sui defensioné, vel etiam aliorum offensioné annis concessis, vnũ hominem nudũ & inermem in hunc mundũ introduxit vt animal pacificum, à pugna & contentione alienũ; sed & peculiaria illa, quæ Christianos singulariter concernũt, diuinæ bonitatis dona, ab eodé Apostolo, Ephesios ad illã vnitatem inuitaturo, enumerata postulant & requirũt.

Vnitas Spiritus Christianis necessaria.

Vnitas commendatur.

Cum n. dixisset cap. 4. *Soliciti seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis*, addit: *Vnũ corpus & vnus Spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, vna fides, vnũ baptisma, vnus Deus & Pater omnium.* Vnum n. corpus oés Christianos esse voluit Dominus, vt pacem inter se veluti membra eiusdé seruarent corporis. Vna item Christianorũ vocatio, qua ad cælestem beatitudinem sunt vocati; Vnus Dominus, quem Christum esse omnes agnosunt, & se eius seruos fatentur: Vna fides, qua idem omnes credũt; Vnus baptismus, qua abluti sunt; (vnicum enim est Baptisma Christi, quod in nomine SS. Trinitatis donatur) Vnus denique Deus & Pater omnium, nihil aliud efflagitare videntur, quàm vt horum omnium bonorum participes vni Spiritus & animi vnitate efficantur. Quare, non frustra modum arcæ ædificandæ præscribens Noaco Dominus, inter cætera,

de lignis leuigatis eam constructam, variisque mansiunculis exornatam, bitumine liniri intrinsecus & extrinsecus præcepit: *Fac tibi, inquit ad Noë Dominus,* Genes. 8. *arcam de lignis leuigatis: mansiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinsecus & extrinsecus.* Arcam hanc veræ Ecclesiæ Christi figuram gerere nemo dubitat; quam ex credentibus per pœnitentiam & alia Sacramenta perpolitis, & quasi leuigatis constantem, variis mansiunculis, id est, credentium statibus, distinctis vocationibus distinxit Dominus. Verum vt hi oés in hac sua vocatione diuersa, bene cohæreant, vt firma permaneat Ecclesia, vt aquas vel externæ & peregrinæ doctrinæ, vel tentationum & persecutionum nō intromittant, nec ab eis submergantur, bitumine & glutine firmissimæ charitatis, concordiæ & pacis intus & exterius & in vnoquoq; obliniri debent: Futurū alioqui vt arca in mediis tribulationum ac persecutionū procellis naufragium patiatur; quia *omne regnum in se diuisum desolabitur,* inquit Dominus, Lucæ 11.

Arca testamēti vnitatis Christianæ symbolum.

40. *Stultas autē & sine disciplina, quæstiones deuita, sciens quia generant lites.*

Stulti vocabulum, multiplicis est significationis. Iam n. & quidē ꝓpriè id significat, ꝙ vi, vita, humore, sapore, sapientia destitutū est, ꝙ languet, marcescit, & veluti aridū folium decidit. Itē id ꝙ vile est & abiectū, nulliusue pretij. Iuxta q̃ stulti significationem monet Timotheum Apostolus, vt eas q̃stiones deuitet, q̃ friuolæ sunt & insipidæ, nec ad pietatē vllo modo conducūt, sed sapientia & sapore destitutæ ad impietatē ianuam aperiunt. Accipitur itē Stulti 2.

Stulti vocabulo, quid intelligendum.

1.

nomen pro eo q, sensu & mente destituitur, nullius animi, nullius consilij, q oés suas cogitationes in rem contemptissimã abiecit. Sic 1. Reg. 25. Nabal, secundũ nomen suum stultus est, q nihil sublime cogitat, neq; dignã de rebus æstimationẽ iudiciumue habet.
3. Ex qua significatione emanauit illa eiusdẽ nominis acceptio, q̃ ad eum accõmodatur; q adeo abiectè de Deo sentit, vt Deum non agnoscat, neq; veram fidẽ ac religionem colat. Hinc ad idololatriam pertinét illa Deut. 32. *Popule stulte & insipiens*. Et 21. *In gẽte stulta irritabo illos*. Sic & Paulus c. 10. Rom. vocat idololatras, *Gentẽ insipientem*; & Psal. 73. Regius vates de iisdẽ: *Populus meus*, ait, *insipiens incitauit nomen meum*, id est, blasphemauit, contẽpsit me. Iuxta hanc acceptionem eas q̃stiones prohibet Timotheo Apostolus, quas contra Deum eiusq; ꝓuidentiam & doctrinã excitabat, abiectè nimis & humiliter de Deo sentiens Simonis schola. Q. d. Eas q̃stiones deuita, q̃ non solum Simonis impietatẽ, sed etiam stultitiam ostẽdunt, & à mea institutione & disciplina sunt alienæ.
4. Sumitur deniq; stultitiæ nomen ꝓ eo, q, homine ꝓbo & sapiente est indignum, nec in hominẽ cordatũ cadere potest. Quo pacto Iudicũ 19. de p̃postera libidine dictũ est: *Nolite facere malũ hoc, cessate ab huiusmodi stultitia*. Et Hierem. 29. *Ponat te Dominus sicut Sedechiam, & sicut Achab, quos frixit Rex Babylonis in igne, ꝓ eo ꝙ fecerunt stultitiam in Israel, &c.* id est, rem Israele indignã. Secundũ hoc significationẽ hic erit sensus: Cũ soleant impudentes illi Simonis discipuli inania multa contra veritatem & vitæ probitatem effutire, ne te similem præbeas ô Timothee, sed inania illa, quæ vani illi homines meditantur die ac nocte, tanquam à tua dignitate & instituto aliena deuita.

Stultæ, fatuæ & friuolæ sunt illæ quæstiones, quibus non tam ratione & argumentis vltro citroq; habitis, loquendo & vicissim respondendo, audiendoq; veritas inquiritur, quam ingenij ostentandi gratia, sine vlla spiritualis fructus spe mouentur; cum tamen ea sacræ scripturæ vtilitas in omni disputatione spectanda sit semper, quam Roman. cap. 15. exprimens Apostolus: *Quæcumq;*, inquit, *scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem, habeamus, &c.* Quibus verbis, vt omittam cætera, doctrinæ, quæ ex scriptura capitur, vtilitas consideranda proponitur, nempe in tribulationibus longanimitas, & certa aliquando fœlicitatis adipiscendæ fiducia, quæ homini in hac vita constituto, jugem affert consolationem. Vbi *consolationem* vocat Paulus, quam Jacob. cap. 5. suæ epist. *Domini finem appellat*, loquens de Iob & D. Petrus 1. Petr. 1. *posteriores glorias*, de Christi glorificatione mentionem faciens. Atq; ex his doctrinæ cœlestis exemplis, saluté animarum nostrarum pendere, docuit idé his verbis: *De qua salute exquisierunt atq; scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in nobis gloria prophetarunt, scrutantes in quod, vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi, prænuntians eas, quæ in Christo sunt passiones & posteriores glorias.* Paulus igitur Christum est imitatus, qui Lucæ vltimo, *stultos & corde tardos ad credendum* vocabat eos, qui scripturarum scopum ignorarunt, nec prohetarum vsum finemq; habuerunt cognitum & perspectum, quemadmodum ex seqq. verbis patet, vbi; *Nonne hæc oportuit pati Christum*, subiungit Dominus, *& ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moyse &*

Stultæ quæstiones, quæ?

Scripturæ sacræ vtilitas.

omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturas, quæ de ipso erant. Scripturarum namq; potissimum munus est, *patientiam & consolationem in nostram salutem* loqui, quam olim in *Prophetis spiritus Christi prænutiauerat.* Quamobrem hæc in libris diuinis inspiciéda atq; imitanda nobis proponuntur, vt maximũ salutis animarũ nostrarũ subsidiũ, in libris his positũ esse intelligamus. Ad fabricatores autẽ mendacij & cultores peruersorũ dogmatũ ꝑtinet, non rectam ratiocinando, vel disserendo de sacris rebus rationẽ tenere, sed importunis & inutilibus argumentis priuatã vrgere opinionẽ, vniuersalesq; Theologicas propositiones importunè & peruersè ad rem particularem applicare. Eiusmodi Doctores, vanis, ineptis & imperitis medicis nõ abs re cõparaueris, q b⁹ cũ nec morbi natura, nec grauitas sit cognita, vtilia oĩa negligunt pharmaca, & nociua oĩa atq; acerba adhibent, ipsaq; vulnera amplificant atq; discerpunt; cum tamen verus medicus salutaria adhibere debeat remedia & antidota.

Scriptura sacra potissimum munus.

Stultarum quæstionum sectatores, qui?

Notandum verò est, quod stultas & inutiles has quæstiones, *sine disciplina*, siue, prout Græcus textus habet, ἀπαιδεύτους, id est, ineruditas nominet, vel quantũ ad modũ quia caloris & contentionis plenæ sũt; vel ex parte materiæ disputationi subiectæ, vt si v. g. in dubium reuocetur, aliqua fidei veritas, quæ vnanimi totius Ecclesiæ consensu certa & indubitata sit semꝑ habita. Huiusmodi disputatores, vera sapiẽtia & consilio destituti, sine luce cõmuniter aberrãt cæcutiẽtes, stultescũt, offendũtq; passim litigãtes in crassissimis ignorãtiæ tenebris; q a disciplinæ impatiẽtes redargui, erudiri & emẽdari nolũt, vt recta via

Stulta quæstiones cur sine disciplina dicantur.

via incedant, vt vana hominũ aura neglecta, & inani laudis humanæ aucupio cõtempto, veritatis vim solam imbibant, & sæcularia contemnentes, cœlestia duntaxat sectentur.

41. *Seruum autem Domini non oportet litigare: sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati.*

Causam reddit Apostol⁹, cur velit Timotheũ stultas illas quæstiones, quæ *lites generãt*, deuitare; ideò videlicet, q, qui seruus Dñi verè vult dici & haberi, nullo modo debeat litigare. Vbi notandũ, *serui Domini*, siue *Dei* (ꝓ eo n. accipitur nomẽ *Domini*) titulũ esse honorificentissimum, & ingenuis vereq; liberis hominib⁹ dignũ, tum q a serui nomẽ ministros & famulos, tũ pcipuè, q a seruire Deo, omnẽ pietatis cultũ, & sancta oĩa obsequia & ministeria minimè seruilia cõphendit. Vnde Paul⁹, ob Euangelij pdicationẽ se *seruũ Christi* appellat, eoq; titulo sibi charissimos ornat & honorat Deus, q̃ vicissim illi gloriãtur. Prę se fert autẽ is *serui Dei* titulus, in amore seu amicitia (quę exactissimè cũ Deo ꝓpter inæqualitatẽ esse neq t) creaturæ amãtis subiectionẽ & modestiam, in qua qui magis ꝓficit, magis se etiam seruitutis nexu quodam deuinctum sentit; & quo maior est, eo se humilians magis, (vt præcipit Eccl. cap. 3.) *seruum se maximè inutilem agnoscit, & Dei etiam, ac seruorum suorum*: Quod quasi honorarium prænomen, post Damasum & Gregorium Pontifices Max. cæteri eorum successores gerunt. Libera igitur atq; ingenua est Dei seruitus, quemadmodum indicarunt illi, qui sunt

Serui Domini titulus honorificentissimus.

Serui Dei titulus, quid comprehendat.

Dei libera est & ingenua seruitus.

sunt in conspectu Agni, dum interdum imponunt sibi coronas & sedent, interdum deponunt & procidunt; vt ex hoc se Deo seruire, ex illo verò nihil sibi veræ libertatis, regiæq; nobilitatis imminui vel auferri significent, si Dei serui sint. Quod autem Christus Joan. 16. ait discipulis: *Iam non dicam vos seruos, &c.* perhonorifico *serui* nomine priuare eosdem noluit, sed eo loci intendit duntaxat Dominus ostendere, se non seruorum loco, sed amicorum habiturum; plurima videlicet ijs (quod amici faciunt) imposterum communicando. Imò cum Ioan. 13. dicat, *seruum non esse maiorem Domino suo*, satis demonstrat, se non ideò dixisse, quod discipulos posthac serui titulo non dignaretur, & ita serui esse desinerent, aut inciperent esse amici: Nam *qui eius* (Dei) *amicus efficitur*, ait Augustinus, tract. 85. in Joan. *non solum seruus esse non desinit, sed melior etiam seruus, quo magis amicus, seque quia coniunctior est, magis obnoxium agnoscit & seruum inutilem Luc. 7. cuius nempe non egeat bonis, qui ad amicitiam suam illum admittit.* Quare vult Apostolus à litibus, iurgijs & pugnis Timotheum habere alienum, eo quod indecens sit eis, qui se Dei pacis seruitio mancipärunt, eiusmodi litibus ac pugnis inutilibus se dedere.

Quomodo Christus Apostolos seruos dicat.

Seruo Dei à litibus abstinendum.

Et quia duæ sunt veræ iustitiæ partes, nec sufficit *à malo declinare*, nisi *bonũ fiat*, ideò malis fugiendis sectanda bona subiungit. Inprimis autem *litibus* summè contrariam *mansuetudinem* opponit, quam vult Episcopum erga omnes ita mitem, humanum & ab omni iracundia, seueritateq; alienum habere, vt verus *Domini seruus* & esse, & videri possit. Moysen quippe testatur Areopagita epist. 8. hac mansuetudi-

Mansuetudo sectanda.

suetudinis virtute, diuinam inter alia familiaritatē meritum, vt per quandam excellentiā, & Dei seruus seu famulus diceretur, & omnibus Prophetis ad diuina iussa exequēda p̄poneretur. Quasi honorificētissimo serui Dei titulo, ideò fuisset exornatus Moyses, q; eam quæ in Dn̄o est mansuetudinis virtutem videretur imitatus. In Timotheo igitur, Dei, siue Christi seruo, eam mansuetudinem req̄rit, quam in Christo fuisse sciebat: De cui⁹ mansuetudine, ex Esaia scribit Matth. c. 12. *Non contendet, neq; clamabit, neq; audiet aliquis vocem eius in plateis; Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet.* Quæ omnia, ad sum̄am Christi mansuetudinē declarandam spectant. Q. d. adeò mitē fuisse Christum Dn̄m & à nocendi animo alienū, vt neq; domi, neq; in plateis cū aliq̄ contendens, vociferat⁹ sit; q̄n imò ne arundinē q̄dē quassatam pessundederit ac fregerit, nec linum fumigans in quo aliqua ignis scintilla est, extinxerit. Et hoc, vt animarum pastoribus exemplū daretur, q̊modo ij, qui tenera & modica sunt virtute præditi, sint tractandi; tenerè videlicet & blandè, ne si asperè & durè cum illis agatur, virtutis potius extinguantur scintillæ, quā accendātur. Est autē hæc mansuetudininis virt⁹ Episcopo necessaria, vt eâ, oēs ad audiendū & parendū ijs, quæ ab illo dicuntur, inuitet; quemadmodū ex eo q; Apostolis in orbem prædicatū missis, p̄cepit Dn̄s, *ne virgam ferrent*, colligit Ambros. Matth. 10. Vnde Moysen & Dauidem ob mansuetudinem magis, quam ob rerū gestarum gloriā, populo fuisse charissimos testatur cit. Ambr. lib. 2. offic. cap. 7. *David*, inquit, *rex cum omnibus æquabat suam militiam fortis in prælio mansuetus*

Christi summa mansuetudo.

Episcopo necessaria est mansuetudo.

in imperio; ideò non cecidit, quia charus fuit omnibus, & diligi à subditis, quam timeri maluit. Timor enim temporalis tutaminis seruat excubias, nescit diuturnitatis custodiam. Hinc rectè ipse dicebat Psal. 131. Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.

Quid docibilis nomine ab Episcopo requiratur.

Mansuetudinis virtuti *docibilitatem* subiungit, qua voce, tam ad discendum, quàm docendum potentia & aptitudo significatur. Ab Episcopo n. in aliorũ informatione, admonitione, & reprehensione, præter lenitatem & mansuetudinem, eam exigit, cum iubet vt doctrinę, lectioni & meditationi attendat, quibus ad alios erudiendos reddatur idoneus. Nam inter eius sapientiæ, quæ desursum est, & qua præditum præsulem esse oportet, conditiones ponit D. Jacobus cap. 3. *vt sit suadibilis & bonis consentiens*, hoc est, vt faciles ac dociles, saniori doctrinæ melioribusque consilijs liquidæ veritati reddat, vt non sint amplius *prudentes apud semetipsos, & nimium sapientes* Rom. 12. non affixi alteram aurem terræ & alteram instar aspidis obturantis. Quasi Episcopus, tanquam Doctor & pastor quotidie studere debeat & erudiri, vt discēdi cupidos patienter & vtiliter, idone⁹ & parat⁹ sit docere, & in ijs, q̃ ad salutē necessaria sũt, instruere; vtq́; tũ fidei suæ commissos, tum etiam à veritate aberrãtes libenti⁹ erudiēdos suscipiat, quam verbis pugnare & litibus ac iurgijs sese implicari patiatur.

Requirit deinde in Episcopo patientiam & in corripiendo modestiam; patientię nomine intelligens, non tam quæ in aduersis æquo animo perferendis, quàm quæ in malis tolerandis & peccatorib⁹ ad pœnitentiã expectãdis, ex vi græcę vocis, cõsistit. Et hęc est creberrima patientiæ in sacris literis acceptio, vt

Patientiæ nomine quid intelligatur.

patet ex Matth. 18. *Patientiam habe mecum, & omnia tibi reddam.* Rom. 2. *An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis?* Quo etiam sensu dicitur Deus in sacris literis patiens. Esa. 42. *Tacui semper, silui, patiens fui.* Joel. 2. Nahum. 1. Et quia in quolibet principe summè est hæc virtus necessaria, vt patientia sua & longanimitate subditos, etiā feroces & rebelles conetur dissimulando emollire, & quodamōdo cicurare, ideò longanimitatem & patientiā illā, qua Deus erga peccatores vtitur, Episcopo ꝓponit erga delinquētes & immorigeros imitandas Apostolus, quos verbis contētiosis cōtra purā veritatē & fidei doctrinam pugnare contigerit. Q. d. Dñi seruitio mancipatum oportere *in spiritu lenitatis eos corripere*, qui *resistunt veritati*; si forte Deus det illis gratiā resipiscendi. Licet n. Diabolus sæpe errorē & hæreseôn zizania disseminet, quib⁹ fascinet, fallat, demētet, decipiat homines: ea tamen non statim patitur Deus eradicari, vt habeant resipiscēdi temp⁹, si forte ad meliorem mentē emendati redeant, qui seducti fuerant. Qua de re sapientes Augustinus, in Psal. 54. *Omnis malus*, ait, *aut ideò viuit vt corrigatur, aut ideò vt per illum bonus exerceatur. Vtinam* ergo, *qui nos modo exercent, conuertantur & nobiscum exerceantur; Tamen, quandiu ita sunt, vt exerceant, non eos oderimus; quia in eo quod malus est quis eorū, vtrū in finem perseueraturus sit, ignoramus; & plerumq; cum tibi videris odisse inimicū, fratrem odisti & nescis.* Hanc Dei bonitatē & longanimitatē in Episcopo imitandā ꝓponit, vt sicut is *solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos*, Lucæ sexto: ita & Episcopus mansuetudine indifferenter omnes irriget,

Patientia est principi necessaria virtus.

Dei longanimitas siue patientia.

Dei longanimitas Episcopo imitanda.

malos ad pœnitentiam sua longanimitate & patientia inuitet, eosdemq; bonorum operum lumine illuminet. Huius n. diuinæ bonitatis, longanimitatis, & patientiæ exemplum ad nostram informationē se positum dicit 1. Tim. 1. vt & in nobis singuli similem Dei patientiam admiremur, & incessanter de hoc singulari beneficio gratias agamus. Hæ sunt n. *diuitiæ bonitatis eius & patientiæ, & longanimitatis*, ait Apostolus Rom. 2. *quæ ad pœnitentiam nos adducere tentant*; de qua re pulchrè Chrysostomus hom. 5. de pœnit. *Nos homines quod multo tempore ædificamus, vno die destruimus: Deus contra cum struit, velociter struit; cū destruit, tardè destruit. Illud potentiæ bonitatis, istud potētiæ excellentia velox, mulcta de bonitate tardus. Sex diebus cœlum & terram & omnia quæ in eis sunt, creauit; Vt vnam vrbem Hiericho destrueret, septem diebus eam circuiuit, &c.* Ea tamen animi lenitate, ea modestia & mansuetudine in eos duntaxat vult Episcopum, vti Paulus, qui sunt ita decepti, vt de eorum pœnitudine & resipiscentia non sit pœnitus conclamatum; quia hæretici & ad superbam animositatem compositi, non tam iubentur hoc loco moneri, quam cane peius & angue deuitat, ab Ecclesiæ caulis procul arceri, cum *ita peccent, vt proprio iudicio iam sint condemnati.*

42. *Ne quando* DEVS *det illis pœnitentiam, ad cognoscendam veritatem &c.*

Vt non absq; causa, mansuetudinis virtutem & in correptionib⁹ modestiā à Timotheo exegisse videretur Apostolus, suæ admonitionis rationē reddit hoc sēsu; Ita modestè corripias peccatores, vt correctio

ctio tua illis ad pœnitentiam à Deo impetrandam conducat, resipiscantque, &c. *Applicatio enim virgæ mellitæ*, id est, dulcis & modestæ correptionis *ad os subditi, illuminat*, 1. Reg 14. Vel si cum Augustino & Leone epist. 91. legatur *ne forte*; particula videlicet, in rebus dubiis poni solita, monebit ideo modestè corripiendum, vt si forte Deus eis dederit pœnitentiam, ea non abutantur, sed resipiscant, &c. Quasi ab iis abstinendum & discedendum velit Apostolus, quos certum est, non esse reuocandos in viam rectam, quales sunt qui obstinato, pertinaci & hæretico animo suum errorem mordaciter tuentur, ne victi aliis videantur: Eos porro docendos & hortandos duntaxat desideret, de quibus aliqua conuersionis spes est relicta. In eos namque mansuetudinem adhiberi cupit, ne rationis iudicio per iram turbato, veritatis imbibendæ studium impediatur; quomodo errantes & laborantes ad se alliciebat Dominus Matth. 11. cum diceret: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*; Volens nimirum cum Regio vate, *docere mites vias suas*. Quem postea modum imitatus Apostolus, ex Galatis perfectiores cap. 6. monebat, *vt qui spirituales essent, eiusmodi errantes instruerent in spiritu lenitatis*, eo quod à fidei veritatem *annuntiaturis* requiratur, vt *bene patientes sint*, si cum fructu, diuini verbi semen in hominum corda disseminare velint.

Huius loci sensus duplex.

Cum quibus mansuetè agendum.

Sciendum porro est, in voce *pœnitentiæ* notionem esse ac significationem mutationis. Quem enim vere & proprie pœnitet eius quod egit, is profecto si posset, mutaret quod egit infectumque redderet: Sed quia id non potest, mutat animum, mutat consilium, mutat propositũ; Nam quod prius amauerat,

Pœnitẽtia vox, mutationem significat.

uerat, postea odit & detestatur; mutat amorem in odium, & delectationem in dolorem; mutat item consilium & propositum, quia quod prius facere deliberauerat, id postea firmissime statuit apud se, nunquam in posterum facere. Ex quo patet, *pœnitentiæ* vocabulo, facti vel dispositionis mutationem significari; cuius contrario sensu, cap. 11. epist. ad Roman. dixit Apostolus, *dona Dei esse sine pœnitentia,* siue impœnitibilia; & super quibus non mutat Deus suam sententiam. Eodem modo, apud Hierem. c. 26. *Noli subtrahere ab illis verbum, si forte audiant & conuertantur à via sua mala, & pœniteat me mali, quod cogito facere eis,* id est, mutem, prohibeam & auertam mala quæ minatus sum illis. Eandem significationem habere videtur illud Genes. 6. *Pœnituit eum, quod fecisset hominem,* id est, voluit delere ac interimere hominem à se conditum. Vnde super cit. verba disputans quæst. 50. in Genes. Theodoretus; *Quomodo,* inquit, *pœnitentia cadit in Deum, qui sua præscientia regit vniuersa? Sed pœnitentia Dei nihil est aliud* (addit ille) *nisi mutatio dispositionis eius. Pœnitet* enim, inquit ille, 1. Reg. 15. *quod constituerim Saul regem: pro eo quod est; statui illum deponere, & alterum regem creare. Et pœnitet me fecisse hominem, id est, decreui perdere hominum genus.* Hæc Theodoretus. Ne tamen quis putet, solam mentis mutationem aut erroris agnitionem, in suo significatu *pœnitentiæ* nomen inuoluere; quia præter hæc, etiam detestationem peccati, & vindictam sponte assumptam significat, quemadmodum ex plurimis SS. Patrum testimoniis licet colligere. Tertullianus enim, vt alios sileam, cum in libro de pœnitentia

Pœnitentia in Deum quomodo cadat.

Quid pœnitentia præter mutationem in suo significatu inuoluat.

tentia ait; *Confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus placatur*; pœnitentiam profectò non solam vitæ mutationem, sed pœnam sponte susceptam ad peccatum puniendum vocauit. Quo etiam sensu, sermone quinto de lapsis, dixit Cyprianus: *Pœnitentia crimine minor non sit.* Et S. Augustinus, epistola centesima octaua: *Est*, inquit, *pœnitentia bonorum & humilium fidelium pœna quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes: Dimitte nobis debita nostra.* Quod ipsum etiam ex ipso pœnitentiæ etymo confirmari potest. *Pœnitentiæ etymon.* Pœnitentia namque à pœna dicitur, quæ tum ad dolorem de peccatis præteritis (quæ contritio dicitur) tum ad mulctam pœnitentibus indici solitam (satisfactionem vocamus) referri potest. Cæterum *Contra Lutheranos pœnitentiæ osores.* ea pati non valentes delicatuli Lutherani, à pœnitentiæ nomine, vt ab ipsa pœnitentia adeo abhorrent, vt in omnibus fere scripturæ locis, pro eo pœnitentiæ nomine, resipiscentiam, id est nouam vitam substituant; ideo videlicet id libentius vsurpantes, quod in resipiscentiæ nomine, non ea quæ in Latino pœnitentiæ, & Græco μετανόιας inuolui putent, nempe eum, quem ipsi detestantur, peccatorum dolorem, vel indictam de iisdem peccatis mulctam; quos tamen vel Poëta Ausonius erroris conuincere, nedum confundere potest. Is enim in Epigrammat. de Occasione sic de Metanæa cecinit.

Sum dea quæ facti, non factique exigo pœnas;
Nempe vt pœniteat; sic Metanæa vocor.

Imo licet pro *Metanæa* resipiscentiam bene verti posse concederemus, is tamen resipiscere dicitur, teste Lactantio lib. 6. cap. 24. quem errati piget, & seipsum

ipsam castigat dementiæ, & confirmat ad rectius viuendum: quod longe aliud est, quàm sola mentis mutatio. Quamobrem impie cum suis sequacibus agit Lutherus, cum nihil amarum aut asperum, sed omnia dulcia ac suauia in pœnitétia agnoscit: id nimirum audire cupiens, pœnitentiam agi suauiter dormiendo, aut liberaliter potando. In quem, sicut & in omnes eius gregarios aptissimè conuenit, quod scribit Tertullianus, in lib. de pœnit. cum ait: *Num ergo in coccino & Tyrio pro delictis supplicare nos condecet? Cedo acum crinibus distinguendis, & puluerem dentibus elimandis & bisulcum aliquid ferri vel æris vnguibus repastinandis: Si quid ficti nitoris, si quid coacti ruboris in labia aut genas vrgeat. Præterea exquirito balneas latiores, hortulani maritimiq́; recessus, adiicito ad sumptum, conquirito altilium enormem saginam, defecato senectutē vini. Cum quis interrogauit, cur animæ largiaris? Deliqui (dicito) in Deum, & periclitor in æternum perire.* Hæc Tertullian. Vnde fit perspicuum, eos quos oppugnatæ veritatis pœnitet, non intellectu duntaxat errorem libenter suum agnoscere, sed etiam affectu consilium mutare; quo fit vt errasse se solum non fateantur, sed etiam doleant, plangant, pœnas de seipsis sumant, & vt sibi ignoscatur, exorent.

Lutherus, omnia suauia in pœnitentia agnoscit.

Pulchrum Tertulliani contra Lutheranos dictum.

Ex hoc Pauli loco colligitur, quàm falsum & impium fuerit Pelagianorum olim damnatorum hæreticorum dogma, qui, teste Augustino, lib. de Hæres. cap. 88. & in epist. 106. astruere sunt conati, gratiam illam, qua ab impietate liberamur, secundum merita nostra dari; cum tamen è diuerso apertis scripturæ sacræ locis nixi Orthodoxi, conuersionem ad pœnitentiam, diuina gratia præueniri atque inspirari

Impium Pelagianorum dogma.

rari semper docuerint. Nihil enim in Psalmis & apud Prophetas frequentius his vocibus: *Conuerte nos Deus salutaris noster.* Psalm. 84. *Deus virtutum conuerte nos.* Psalm. 79. *Errani sicut ouis quæ periit, quære seruum tuum.* Psalm. 118. Hierem. 31. *Conuerte me Domine, & conuertar.* Et infrà: *Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam.* In quem locum scribens Hieronymus: *Vide*, inquit, *quantum sit auxilium Dei, & quam fragilis humana conditio, vt hoc ipsum quod pœnitentiam agimus, nisi nos Dominus ante conuerterit, & nisi Dei nitamur auxilio, nequaq̃ implere valeamus.* Quod ipsum etiam ex illo Lucæ 22. eleganter ostendit Ambrosius, cum conuersus Dominus, negantem se Petrum respexit, talemque in eo contritionem excitauit, vt continuo egressus foras amarissimè fleuerit: *Quos*, inquit cit. Ambrosius, lib. 10. in Lucam, *Iesus respicit, plorant delictū. Negauit Petrus & non fleuit, quia nō respexerat Dominus; negauit secundo, & non fleuit, quia adhuc non respexerat Dominus; negauit tertio, & respexit Dominus, & ille amarissimè fleuit.* Sed omnium apertissime, huius loci testimonium adducens, confirmat Augustinus, lib. 5. in Iulian. cap. 3. cum ait: *Quantumlibet præbeat* (Deus) *patientiam, nisi ipse dederit, quis agit pœnitentiam?* Hinc Fulgentius, ex hoc eodem Pauli testimonio, Ecclesiasticum dogma proponit, libro de fide ad Petrum, cap. 31. his verbis: *Firmissime tene, & nullatenus dubita, neminem hic posse pœnitentiam agere, nisi quem Deus illuminauerit, & gratuita sua miseratione conuerterit.* Et Leo epist. 9. ad Theodorum Episcopum: *Ipsam*, inquit, *pœnitentiam ex Dei credimus inspiratione conceptam, dicente Apostolo: Ne forte det illis Deus pœnitentiam, &c.* Est quidem verum conuersionem ad Deum & pœnitentiam,

Nostra ad pœnitentiam conuersio, à Deo est.

Scriptura Patrumque authoritatibus probatur.

Pœnitentia, in potestate liberi arbitrij quomodo sit.

tiam, semper esse in potestate liberi arbitrij, cum possit homo semper conuerti quando voluerit. Id enim dicitur esse in potestate, (quemadmodum definit Augustinus, lib. 1. de ciuit. Dei cap. 10. & alibi) Quod *adest quando volumus, & quando nolumus nō adest*; quo sensu admittit ibidem Augustinus, fidem esse in potestate liberi arbitrij, quia credit homo si vult, & si non vult non credit: Cæterum, ipsum velle credere, conuerti, aut pœnitentiam agere, non potest homo habere, nisi à Deo per gratiam præuenientem acceperit, vt possit; cum in potestate hominis non sit, vt Deus ipsum vocet atque excitet, quemadmodum cum Apostolo hic apertè demonstrat Ecclesia, quando tam anxie orat pro infidelibus aliisque peccatoribus; Si enim suis viribus & absque diuina inspiratione, possent ipsi peccatores conuerti ad Dominum, inanes certè & inutiles essent tot ab Ecclesia pro his institutæ orationes. Quamobrem, vt rectè aduertit Augustin. lib. de corrept. & grat. cap. 5. quantumcumque diligenter, doctè & erudite Episcopi & Pastores doceant, frustra laborabunt, nisi Deus bonorum operum principium interueniat, qui speciali auxilio cor humanum præueniente & adiuuante, contritionem & dolorem de præteritis peccatis excitet.

De nullius in hac vita salute desperandum.

Ex hoc item loco conuincitur de nullius salute, donec in hac vita fuerit, desperandum esse, neque ab vllo subtrahendā correptionem, exhortationem & alia charitatis officia. Tametsi enim nonnulli ita desererentur à Deo omnique auxilio prorsus destituerentur, vt nulla ratione conuerti possent; nos tamē qui nescimus qui sint illi, de omnibus bene spe-

rare debemus, ac dicere cum propheta Ioël: *Quis scit, si conuertatur & ignoscat Deus, & relinquat post se benedictionem.* Ioël.2.cap. Hinc Augustinus, lib.o de corrept. & grat.cap.16. *Nescientes*, inquit, *quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus charitatis affectu, vt omnes velimus saluos fieri.* Et iterum: *Quantum ad nos pertinet, qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus, & ob hoc omnes saluos fieri velle debemus, omnibus ne pereant, adhibenda est à nobis medicinaliter seuera correptio.* Et S.Leo serm.4. de Epiph *Dum*, inquit, *hoc in corpore viuitur, nullius desperanda reparatio, sed omnium est optanda, auxiliante Domino, qui erigit elisos, soluit compeditos, & illuminat cæcos, &c.* Tanta est enim diuinæ bonitatis affluentia, vt non tam ad punienda, quàm ad emendanda & corrigenda peccata, se procliuem soleat exhibere; in eo quippe totus vt resipiscat impius & viuat. Eo minas omnes atq; terrores confert, vt deterreat & retrahat: Ideo dissimulat peccata, vt ad patientiam tanta patientia & benignitate peccatores adducat. Sap.11.Rom.2. Ideo cunctatur in inferendo supplicio, vt tempus pœnitentiæ concedat. Ideo *misericordia illius subsequitur*, & fugientem persequitur, vt apprehendat & *auertatur à via sua mala.* Psal:22.Hebr.2. Nam multo mirabilius est ignoscere quam punire, reducere, domum quam continere domi; reuocare & reducere de via iniquitatis, quam hominem non errantem ducere, & recta gradienti comitem se adiungere; denique iustificare impium, quàm coronare iustum. Magnum & præclarum diuinæ virtutis facinus in eo elucescit, quod peccatorem impetu

Diuina in peccatores bonitas.

Deus, ad miserendum quam puniendum procliuior.

maximo ruentem in scelera comprimat ac sistat instar præcipitis equi aut Dromedarij velocissimi attrahentis venenum amoris sui, de qua scriptum est Hierem. 2. *Nullus auertet eam.* Hinc est, quod vel Dei virtutem, vel hominis diuina gratia corroborati pœnitentiam iubeamur vehementer suspicere & admirari Eccles. 8. *Ne despicias hominem auertentem se à peccato, &c.*

43. *Et resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad illius voluntatem.*

Resipiscere, hoc loco quid?

Græcum, ex quo deductum est *resipiscendi* verbum, idem sonat ac redire ad sobrietatem; quasi diuersorum & erroneorum dogmatum sectatores, temulenti, mentis emotæ & ebrij sint, qui è potestate Dei se diaboli seruituti ita subiecerint, vt eius *laqueis* irretiti, neque à peccato resurgere, neque peccatum vitare possint; sed necesse sit, nisi gratia diuina iuuentur, & peccare mortaliter, & in peccati statu permanere. Nam per peccatum, necessitatem quãdam incurrerunt obsequendi, in ea re cõtra voluntatem Dei, voluntati Diaboli; quod verissime est illos quidem ea ratione non modo factos Diaboli seruos, sed eiusdem captiuos, cuius nutui obedire quodammodo est necesse. Illud enim maximè Diabolus propter odium erga Deum, & inuidiam, qua flagrat erga humanum genus, cupit & agit, vt homines perseuerando in peccato, & alia deinceps peccata committendo, diuinam maiestatem offendãt, nisi Deus ex misericordia illorum immutet animos, donando gratiam; eosque ex iniustis reddat iustos, vt ipsis vti possit

Absque diuino auxilio peccator à peccato resurgere non potest,

sit in charitatis obsequijs & seruitijs. Neque enim Deo seruire quis potest, nisi prius iustus, vt patet Num. 12. 14. Iob 12. Esa. 54. Gal. 1. Eph. 6. E contra verò mali & peccatores dicuntur quadam ratione non esse Dei, sed Diaboli serui & captiui. Roman. 8. *Qui spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Ioan. 8. *Qui facit peccatum seruus est peccati.* Per peccatum enim, hominis arbitrium redditur Dæmonis & peccati seruum, quia non habet potestatem nec vires, vt resistat peccato, & est in eo statu vt nequeat à peccato commisso sua se purgare virtute, nec in posterum potens est omne cauere peccatum, sicut nec omnem Dæmonis superare tentationem, sed potius nouis succumbere peccatis. Et hoc Paulus appellat *dominari* peccatum in homine, & *regnare in corpore*. Rom. 6. *Non*, inq̃t, *regnet peccatũ in vestro mortali corpore*. Et iterũ: *Peccatũ vobis non dominabitur*; de qua libertate S. Aug. memin. lib. 24. ciuit. c. 11. & alibi.

Homo per peccatum Diaboli captiuum efficitur.

Ex his fit perspicuum, in Ecclesia Dei peccatores, quamuis exterius dominentur, esse tamen tanquam seruos: At iustos, vt filios apud Deum, quemadmodum eleganter docet Gregorius, lib. 3. Mor. cap. 10. exponens illum locum Ecclesiastici, cap. 10. *Vidi seruos in equis, & principes quasi seruos ambulantes super terram.* Cum enim peccatores scelerum laqueis sint irretiti, constricti tenentur secundum *Diaboli voluntatem*, vt eo tendant, quo ipsi tanquam ductori & directori collibuerit: *Nescitis*, inquit Apostolus Rom. 6. *quoniam cui exhibuistis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obedistis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam.* Et paulò post: *Cum serui estis peccati, liberi fuistis iustitiæ*, id est, cum ad voluntatem

Peccatores ad Diaboli voluntatem captiui tenentur.

tatem Diaboli, peccato constricti tenebamini, illiusq; serui eratis, liberati quodammodo à seruitute iustitiæ & Dei. Quod verbis, quæ continuò subiungit magis declarat; sequitur enim: *Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificatione.* Vbi quod ante vocauerat seruitutem iustitiæ, vocat seruitutem Dei, quia singulari quadam ratione secundum iustitiam sumus in seruitute Dei, sicut contrà per peccatum, è seruitute Dei venimus in potestatem Diaboli. Quæ causa est, quod Joan. 12. ab ipso Domino vocetur Diabolus *princeps mundi* huius, id est, Dominus malorum omnium, qui habitant in mundo, quemadmodum ait Augustinus, tract. 52. in Joan. cuius & illa ibidé luculenta hac ipsa de re est oratio: *Possidebat Diabolus genus humanum, & reos suppliciorum tenebat chirographo peccatorum; dominabatur in cordibus fidelium, &c.*

Laquei Diaboli, diuersa significationis apud Paulum.

Laquei Diaboli vocabulis, pro diuersa materia diuersimodè, & in hac, & in priori epistolæ vtitur Apostolus. Prioris siquidem cap. 3. de Episcopo loquens: *Oportet*, inquit, *illum testimonium habere bonum ab ijs qui foris sunt; vt non in opprobrium incidat, & laqueum Diaboli.* Vbi talem vult in Episcopum eligi, qui non modò à fidelibus, sed etiam ab infidelibus & fidei hostibus *bonum habeat testimonium, ne in opprobrium*, id est, contemptionem *incidat*, & tandem despectus, Diaboli *laqueo* sese irretiri patiatur: Per *laqueum*, vel apostasiam à fide, vel inimicitias & odium subditorum aliaque similia mala intelligens, quæ alibi dicuntur *laquei mortis*. Prouerb. 21. *Impingetur in laqueum mortis, &c.* Eiusdem epistolæ cap. 6.

mala quæ ex inordinato diuitiarum appetitu proueniunt, enumerans: *Qui volunt*, inquit, *diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli.* Vbi per *Diaboli laqueum*, vel Auaritiam, vel potius vitæ superbiam (vt est apud D. Joanné) intelligit, sic dictā, quod ea primò captus, etiamnum homines capere non desinat Diabolus. Hoc porrò loco, *laqueus* idem est ac *rete*, quemadmodum etiam legit Theodoretus, & sæpius vsurpat Psalmographus. Quod enim Psal. 9. L X X. dixerunt: *In laqueo isto, quem absconderunt*, legit Hieronymus; *in reti.* Et iterum: *Rapere pauperem dum attrahit eum in laqueo suo*; pro eo Hieronymus habet, *ad rete suum*; & ita esse legendum, ex eo confirmatur, quod *laqueus* simplex sit, nec à venatore attrahatur; *rete* verò ex multis quasi laqueis nexis & implicatis compositum, & à venatore attrahitur ad captandas feras, & attractum expanditur, iuxta illud Hoseæ cap. 7. *Expandam super eum rete meum.* Alludit autem dicto Psalmo Regius Psaltes, sicut & hoc loco Apostolus, ad venatoris morem, qui retia solet primum tendere, deinde vbi animans, vel auicula doli ignara medium ingressa fuerit, ad se adducit rete & auiculam, siue feram summa celeritate per funiculos implicat.

Laqueus pro reti hoc loco accipitur.

Laqueus siue rete Diaboli hoc loco, quid?

Quare per *Diaboli laqueum*, siue *rete* hoc loco, intelligi poterunt primo, maxima ac præsentissima
vitæ, & salutis discrimina, quibus seu retibus qui- I.
busdam, per peccata inuoluuntur peccatores. Impius siquidem non vno, sed mille malorum & periculorum laqueis captiuus tenetur; imò reti maximo & longè amplissimo, quo necesse est ita premi & implicari inextricabilibus discriminibus irretitum,

vt sibi ipsi auxilio esse non possit. Quemadmodum enim animans, aut auicula funibus irretita dum pedem ex vno retis foramine extrahit, mox in aliud inserit, & dum explicatur ex vno, implicatur in alio; ita impius, hoc discriminum reti per peccatum inuolutus, dum se extricando erigere nititur, ruit statim ex vno peccato in aliud rursumq; conuoluitur, & detinetur, & suomet quasi conamine impeditur.

Alia laquei acceptiones.

Nec discrimina solum *laquei*, siue *retis* nomine, significantur, sed & supplicia, & ea quæ hominem à consectando & obtinendo sibi proposito fine detinent, quemadmodum sapienter insinuat in caput primũ. Lament. Hierem. scribens D. Hieronymus.

Laquei siue retis vocabulis insidia significantur.

Deinde cum *retia* & *laquei* sint venatoria instrumẽta, quæ arte & industria iaciuntur, licebit etiam *laquei*, siue *retis* vocabulis intelligere latentes ipsius insidias, quibus incautis peccatoribus paratis eosdem in mille difficultates & pericula Diabolus præcipitat. Atque hæc laquei acceptio, non infrequens est apud Regium vatem, cum suam infirmitatem, hostium verò suorum sæuitiam & dolum malum agnoscens, dixerit Psal. 139. *Absconderunt superbi laqueum mihi*, id est, insidias dolosq; mihi struxerunt. Sic etiam Psal. 10. de diuitum ac potentiorũ in pauperes sæuitia & tyrannide loquens: *Sedet*, inquit, *cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem, in laqueo suo humiliabit eum, &c.*

Laquei Diaboli ipsa sunt peccata.

Accipi denique possunt *laquei Diaboli*, pro ipsis erroribus & peccatis, de quibus ait Ecclesi. cap. 9. *Quoniam in medio laqueorum ing[illegible] & super d[illegible]tium arma ambulabis.* Ex ipsis e[illegible] s f[illegible] intexuntur & confici[illegible]

noſtrorum ſuppliciorum fiunt flagella, quemadmodum aliquando feciſſe dicitur filius Dei, Joannis ſecundo: Sed præter flagellum, manuum ac pedum vincula, quibus ligati, in tenebras exteriores mittuntur peccatores; ſicut ſcriptum eſt, Prouerbiorum 5. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Quin imò, nec tantum ex peccatorum funiculis laquei parantur, ſed rete etiam componitur, multis nodis implexum, multiſque laqueis ac maculis plenum. Ex luxuria ſiquidem *rete* fit, ſicut de meretrice dictum eſt, Eccleſiaſtici 7. *Laqueus* (propriè *rete*) *venatorum eſt*; Ipſa Auaritia rete eſt, cum ij *qui diuites volunt fieri, incidant in tentationem & laqueum Diaboli.* Rete quoque ſunt peccatorum fraudes & doli, in quos ipſe incidet, iuxta illud Pſalm. 140. *Cadent in retiaculo eius* (ſuis) *peccatores.* Et in vniuerſum, Prouerbiorum 9. *Peccantem virum iniquum inuoluet laqueus.*

Ex peccati funiculis flagella, laquei & retia conficiuntur.

Ex his omnibus fit euidens, in quanto periculo, miſeroque ſtatu verſetur impius, etiam in præſenti rerum ſtatu, cum *ducit in bonis dies ſuos.* Quamuis enim hic lætiſſimus viuat, intra tamen periculum eſt; cum pedes habeat poſitos intra laqueos & retia Diaboli. Conſtringi ſe nunc quidem non ſentit [illegible] niam nondum eſt adductum rete; adduce[illegible]n paulò poſt in morte, niſi reſipiſcat, vb[illegible] arctatos greſſus ſuos, conſtricta vincula [illegible]s pedes, quibus ligatis, iubebitur miti [illegible] *exteriores, vbi erit flætus & [illegible]ntium* [illegible] vigeſimo ſecundo. Poteſt, [illegible] in[illegible]ſtus in Diaboli laqueos &

Miſer peccatorum ſtatus.

retia per peccatum incidere, sed ita in illis incedit, vt se laqueo illo non implicet, sed potius premat, ne adduci rete & implicari possit, cùm videlicet maturè agnoscit & vitat discrimen. Impius verò peccator) quemadmodum ait Job capit. 18.) *Immittit pedem in rete & in vinculis eius ambulat.* Et hoc, iuxta imprecationem Regij vatis, Psalm. 140. dicentis: *Cadent in retinaculo eius* (siue Dei de ipsis vindictam sumentis, siue etiam iniquitatis & Diaboli) *peccatores*, vt ruant videlicet captis & constrictis pedibus: *singulariter ego sum*, addit iustus Dauid, *donec transeam*, id est, captis illis & impeditis, ipsum rete premens & conculcans pedibus, securus ego transeo.



CAPVT

CAPVT III.

*HOc autem ſcito, quod in nouiſ- 1.
ſimis diebus inſtabunt tempo-
ra periculoſa. * Et erunt homi- 2.
nes ſeipſos amantes, *cupidi, elati, ſuperbi, 3.
blaſphemi; * parentibus non obedientes, 4.
ingrati, ſceleſti; * ſine affectione, ſine pace, 5.
criminatores incontinentes; * immites, 6.
ſine benignitate proditores; * proterui 7.
tumidi * & voluptatum amatores ma- 8.
gis quàm Dei, * habentes ſpeciem quidẽ 9.
pietatis, virtutem autem eius abnegantes.
* Et hos deuita: * Ex his enim ſunt qui pe- 10. 11.
netrant domos, & captiuas dicunt mulier-
culas oneratas peccatis, quæ ducuntur va-
rijs deſiderijs; * ſemper diſcentes & nun- 12.
quam ad ſcientiam veritatis peruenĩẽtes.
* Quemadmodũ Iannes & Mambres re- 13.
ſtiterunt Moyſi; ita & hi reſiſtunt veritati;
* homines corrupti mente, * reprobi cir- 14. 15.
ca fidem. * Sed vltra non proficient: * In- 16. 17.

ſipientia enim eorum manifeſta erit o-
18. mnibus, ſicut & illorum fuit. * Tu autem
aſſecutus es meam doctrinam, inſtitutio-
nem, propoſitum, fidem, longanimitatẽ,
dilectionem, patientiam, perſecutiones,
19. paſſiones: * Qualia mihi facta ſunt An-
thiochię, Iconij, Lyſtris, quales perſecutio-
20. nes ſuſtinui? * Et ex his omnibus eripuit
21. me Dñs. * Et omnes qui piè volunt viuere
in Chriſto IESV, perſecutionem patientur.
22. Mali autem homines & ſeductores profi-
23. cient in peius: * errantes & in errorẽ mit-
24. tentes. * Tu autem permane in his quæ
25. didiciſti & credita ſunt tibi: * ſciens à quo
26. didiceris; * & quia ab infantia ſacras lite-
ras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalu-
27. tem * per fidem, quæ eſt in Chriſto IESV.
28. * Omnis ſcriptura diuinitꝰ inſpirata, vtilis
eſt ad docendum, ad arguendum, ad cor-
rigendum, ad erudiendum in iuſti-
29. tia: * vt perfectus ſit homo Dei,
ad omne opus bonum in-
ſtructus.

CAPVT

CAPVT III.

1. *Hoc autem scito, quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa.*

QVia Christianæ religionis veritas poterat in dubium reuocari, quæ in ipsa radice tot tyrannorum & Hæreticorum persecutionibus vndique iactabatur, vt eiusdem curam non videretur habere diuina prouidentia; admonet in Timotheo omnes fideles Apostolusque, ne quispiam his offendatur, & maximè quod tam multos ex credentibus, corruptę vitæ homines complectatur Ecclesia Christiana. Nā sub ipsis Ecclesiæ primordiis, imo ab Abel iusto vsq; ad Christum, semper mali fuêre permisti bonisque, & erunt vsque ad finem seculi, & eo plures, quo magis appropinquabitur ad finem. Ideo discipulum monet Apostolus, vt non ea duntaxat quæ sunt ante pedes dispiciat, cuiusmodi sunt profana & vaniloquia duorum apostatarum Himenæi & Phileti, quæ diligenter etiam vitanda sunt, sed etiam pericula, quæ finibus Ecclesiæ iam imminent, diligenter præcaueat. Hoc scito, inquit, hoc est, omnino sit tibi persuasum, & pro certo habeas imminere Pseudoprophetarum discrimina, quæ tibi gregique tibi commisso negotium facient.

Mali bonis semper permisti.

Hæc Pauli denuntiatio videtur esse prophetia diuinitus ei data: nam futura contingentia nosse, solius Dei est. Hanc & alias huic similes reuelationes habuit Apostolus non modo sensibili, nec per visiones imaginariasque; sed per supernaturalem mentis illustrationem, vt ex eius euentu fidei nostræ veritas

Paulina huius loci prophetia.

confirmari posset. Solet enim Deus diuinæ suæ sapientiæ arcana iustis suis amicis & familiaribus ita patefacere, vt non secus supremam illam, quã Deus in humanis rebus statuit rationem, omniumq; suppliciorum causam exploratam habeant, quàm si diuino consilio interfuissent, Deumq; prouidentem, disponentem, decernentem, præcipientem audiuissent, planeq; intellexissent, aut sua illis arcana & cõsilia patefecisset. Quod Psalm. 24. manifestè ostendit Regius vates, cum ait: *Firmamentum est Dominus timentibus eum*; quia videlicet suorum magister est & Doctor, atq; illis, quæ discernit & firmiter statuit facienda reuelat & manifestat, quemadmodum subiecta verba declarant: *Et testamentum ipsius vt manifestetur illis*. Hinc Amos 3. scriptum est: *Non faciet Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos*. Quibus verbis declarat Propheta, quàm amice Deus agat cum suis, quantum sanctissimos homines non solum amet & indulgenter habeat, sed etiam veneretur. Videtur enim Deus quasi nefas putare, non facere suos consiliorum suorum participes, vt ventura videant, & prædicent quæ & paulò pòst, & multos post annos homines visuri sunt, vt ex Dei consortio & amicitia diuinitatem quandam accepisse videantur, sicut scriptum est Esaiæ 41. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos*. Contra verò mali homines adeò longe ab hac diuinitate distant, vt etiam in ipso inferorum limine consistentes, securi sint, & longam sibi pacem promittant, sicut ait Paulus, 1. Thessal. 5. *Cum enim dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habentis, & non effugient.*

Deus arcana sua iustis reuelare consueuit.

Amici Dei diuinitate quadam donantur.

Tamet-

Tametsi verò *nouissima tempora* ad mundi finem & Antichristum quidam Commentarij referant, ad posteriora tamen tempora reuocanda sunt, quæ scilicet hanc Pauli prædictionem sunt consecuta, vt *nouissimi dies* sint idem, quod consequentes & futuri: Nam eorum, quæ hoc loco futura prædicűtur, quædam ipsius Pauli tempore; quædam paulò pòst eius obitum contigisse nullus dubitat. In hac significatione passim *nouissimos dies* sumit scriptura, vt patet Genes. 49. vbi Iacob Patriarcha conuocatis ad se filijs, annuntiat quæ ventura sunt illis *nouissimis temporibus.* Item Daniel, cap. 2. interpretaturus visionem statuæ, quam Rex in quiete viderat, sic illum est præfatus: *Indicabit tibi Deus, ô Rex, quæ ventura sunt in nouissimis diebus*, id est, postea, post tuũ imperiũ, &c. quemadmodum paulò infrà exponens, dicit: *Deus ostendet regi, quæ ventura sunt postea.* Sed hæc prioris epistolæ, cap. 4. fusè satis explicuimus.

Nouissima tempora hoc loco, quæ?

Dicit ergo Paulus, instare & præ foribus esse exitiosa discrimina, quæ ab Episcopo diligenter sunt attendenda, ne incautum gregem ex improuiso spirituales lupi inuadant. Certum est enim, paulò post subsecutos à Paulo pręsignatos & præscriptos Sectatores Simonis, Gnosticos & similes hæreticos, sicut ex B. Iudæ epistola, quam scripsit post excessum Apostolorũ, facile colligi potest, in qua *nouissimos dies* illos ab Apostolis prædictos, iam sua ætate venisse dicit: adeo vt per *nouissima tempora*, sit ætatis ille decursus intelligendus, qui futurus est post illud tempus, quo aliquid prænuntiatur. *Tempora* porro dicũtur eo modo *periculosa*, quo *dies* dicuntur alibi per Meto-

Paulina prædictio quando impleta.

Tempora quomodo periculosa dicantur.

tatem Diaboli, peccato constricti tenebamini, illiusq; serui eratis, liberati quodammodo à seruitute iustitiæ & Dei. Quod verbis, quæ continuò subiungit magis declarat; sequitur enim: *Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificatione.* Vbi quod ante vocauerat seruitutem iustitiæ, vocat seruitutem Dei, quia singulari quadam ratione secundum iustitiam sumus in seruitute Dei, sicut contrà per peccatum, è seruitute Dei venimus in potestatem Diaboli. Quæ causa est, quod Joan. 12. ab ipso Domino vocetur Diabolus *princeps mundi* huius, id est, Dominus malorum omnium, qui habitant in mundo, quemadmodum ait Augustinus, tract. 52. in Joan. cuius & illa ibidé luculenta hac ipsa de re est oratio: *Possidebat Diabolus genus humanum, & reos suppliciorum tenebat chirographo peccatorum; dominabatur in cordibus fidelium, &c.*

Laquei Diaboli, diuersa significationis apud Paulum. *Laquei Diaboli* vocabulis, pro diuersa materia diuersimodè, & in hac, & in priori epistolæ vtitur Apostolus. Prioris siquidem cap. 3. de Episcopo loquens: *Oportet*, inquit, *illum testimonium habere bonum ab ijs qui foris sunt; vt non in opprobrium incidat, & laqueum Diaboli.* Vbi talem vult in Episcopum eligi, qui non modò à fidelibus, sed etiam ab infidelibus & fidei hostibus *bonum habeat testimonium, ne in opprobrium*, id est, contemptionem *incidat*, & tandem despectus, Diaboli *laqueo* sese irretiri patiatur: Per *laqueum*, vel apostasiam à fide, vel inimicitias & odium subditorum aliaque similia mala intelligens, quæ alibi dicuntur *laquei mortis.* Prouerb. 21. *Impingetur in laqueum mortis, &c.* Eiusdem epistolæ cap. 6.

mala,

mala quæ ex inordinato diuitiarum appetitu proueniunt, enumerans: *Qui volunt*, inquit, *diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli.* Vbi per *Diaboli laqueum*, vel Auaritiam, vel potius vitæ superbiam (vt est apud D. Joanné) intelligit, sic dictá, quod ea primò captus, etiamnum homines capere non desinat Diabolus. Hoc porrò loco, *laqueus* idem est ac *rete*, quemadmodum etiam legit Theodoretus, & sæpius vsurpat Psalmographus. Quod enim Psal. 9. L X X. dixerunt: *In laqueo isto, quem absconderunt*, legit Hieronymus; *in reti.* Et iterum: *Rapere pauperem dum attrahit eum in laqueo suo*; pro eo Hieronymus habet, *ad rete suum*; & ita esse legendum, ex eo confirmatur, quod *laqueus* simplex sit, nec à venatore attrahatur; *rete* verò ex multis quasi laqueis nexis & implicatis compositum, & à venatore attrahitur ad captandas feras, & attractum expanditur, iuxta illud Hoseæ cap. 7. *Expandam super eum rete meum.* Alludit autem dicto Psalmo Regius Psaltes, sicut & hoc loco Apostolus, ad venatoris morem, qui retia solet primum tendere, deinde vbi animans, vel auicula doli ignara medium ingressa fuerit, ad se adducit rete & auiculam, siue feram summa celeritate per funiculos implicat.

Laqueus pro reti hoc loco accipitur.

Quare per *Diaboli laqueum*, siue *rete* hoc loco, intelligi poterunt primo, maxima ac præsentissima vitæ, & salutis discrimina, quibus seu retibus quibusdam, per peccata inuoluuntur peccatores. Impius siquidem non vno, sed mille malorum & periculorum laqueis captiuus tenetur; imò reti maximo & longè amplissimo, quo necesse est ita premi & implicari inextricabilibus discriminibus irretitum,

Laqueus siue rete Diaboli hoc loco, quid?

I.

vt

vt sibi ipsi auxilio esse non possit. Quemadmodum enim animans, aut auicula funibus irretita dum pedem ex vno retis foramine extrahit, mox in aliud inserit, & dum explicatur ex vno, implicatur in alio; ita impius, hoc discriminum reti per peccatum inuolutus, dum se extricando erigere nititur, ruit statim ex vno peccato in aliud rursumq; conuoluitur, & detinetur, & suomet quasi conamine impeditur.

Alia laquei acceptiones.

Nec discrimina solum *laquei*, siue *retis* nomine, significantur, sed & supplicia, & ea quæ hominem à consectando & obtinendo sibi proposito fine detinent, quemadmodum sapienter insinuat in caput primũ. Lament. Hierem. scribens D. Hieronymus.

Laquei siue retis vocabulis insidiæ significantur.

Deinde cum *retia* & *laquei* sint venatoria instrumẽta, quæ arte & industria iaciuntur, licebit etiam *laquei*, siue *retis* vocabulis intelligere latentes ipsius insidias, quibus incautis peccatoribus paratis eosdem in mille difficultates & pericula Diabolus præcipitat. Atque hæc laquei acceptio, non infrequens est apud Regium vatem, cum suam infirmitatem, hostium verò suorum sæuitiam & dolum malum agnoscens, dixerit Psal. 139. *Absconderunt superbi laqueum mihi*, id est, insidias dolosq; mihi struxerunt. Sic etiam Psal. 10. de diuitum ac potentiorũ in pauperes sæuitia & tyrannide loquens: *Sedet*, inquit, *cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem, in laqueo suo humiliabit eum, &c.*

Laquei Diaboli ipsa sunt peccata.

Accipi denique possunt *laquei Diaboli*, pro ipsis erroribus & peccatis, de quibus ait Eccles. cap. 9. *Quoniam in medio laqueorum ingredieris, & super dolentium arma ambulabis.* Ex ipsis enim peccatis funiculi intexuntur & conficiuntur, ex quibus non modo

nostrorum

nostrorum suppliciorum fiunt flagella, quemadmodum aliquando fecisse dicitur filius Dei, Ioannis secundo: Sed præter flagellum, manuum ac pedum vincula, quibus ligati, in tenebras exteriores mittuntur peccatores; sicut scriptum est, Prouerbiorum 5. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Quin imò, nec tantum ex peccatorum funiculis laquei parantur, sed rete etiam componitur, multis nodis implexum, multisque laqueis ac maculis plenum. Ex luxuria siquidem *rete* fit, sicut de meretrice dictum est, Ecclesiastici 7. *Laqueus* (propriè *rete*) *venatorum est*; Ipsa Auaritia rete est, cum ij *qui diuites volunt fieri, incidant in tentationem & laqueum Diaboli.* Rete quoque sunt peccatorum fraudes & doli, in quos ipse incidet, iuxta illud Psalm. 140. *Cadent in retiaculo eius* (suis) *peccatores.* Et in vniuersum, Prouerbiorum 9. *Peccantem virum iniquum inuoluet laqueus.*

Ex peccati funiculis flagella, laquei & retia conficiuntur.

Ex his omnibus fit euidens, in quanto periculo, miseroque statu versetur impius, etiam in præsenti rerum statu, cum *ducit in bonis dies suos.* Quamuis enim hic lætissimus viuat, intra tamen periculum est; cum pedes habeat positos intra laqueos & retia Diaboli. Constringi se nunc quidem non sentit, quoniam nondum est adductum rete; adducetur tamen paulò post in morte, nisi resipiscat, vbi sentiet arctatos gressus suos, constricta vincula, detentos pedes, quibus ligatis, iubebitur miti *in tenebras exteriores, vbi erit flætus & stridor dentium.* Matthæi vigesimo secundo. Potest, imò solet interdum iustus in Diaboli laqueos &

Miser peccatorum status.

retia per peccatum incidere, sed ita in illis incedit, vt se laqueo illo non implicet, sed potius premat, ne adduci rete & implicari possit, cùm videlicet maturè agnoscit & vitat discrimen. Impius vero peccator) quemadmodum ait Job capit. 18.) *Immittit pedem in rete & in vinculis eius ambulat.* Et hoc, iuxta imprecationem Regij vatis, Psalm. 140. dicentis: *Cadent in retinaculo eius* (siue Dei de ipsis vindictam sumentis, siue etiam iniquitatis & Diaboli) *peccatores*, vt ruant videlicet captis & constrictis pedibus: *singulariter ego sum*, addit iustus Dauid, *donec transeam*, id est, captis illis & impeditis, ipsum rete premens & conculcans pedibus, securus ego transeo.



CAPVT



CAPVT III.

*HOc autem ſcito, quod in nouiſ- 1.
ſimis diebus inſtabunt tempo-
ra periculoſa. * Et erunt homi- 2.
nes ſeipſos amantes, *cupidi, elati, ſuperbi, 3.
blaſphemi; * parentibus non obedientes, 4.
ingrati, ſcęleſti; * ſine affectione, ſine pace, 5.
criminatores incontinentes; * immites, 6.
ſine benignitate proditores; * proterui 7.
tumidi * & voluptatum amatores ma- 8.
gis quàm Dei, * habentes ſpeciem quidē 9.
pietatis, virtutem autem eius abnegantes.
* Et hos deuita: * Ex his enim ſunt qui pe- 10. 11.
netrant domos, & captiuas dicunt mulier-
culas oneratas peccatis, quæ ducuntur va-
rijs deſiderijs; * ſemper diſcentes & nun- 12.
quam ad ſcientiam veritatis peruenientes.
* Quemadmodū Iannes & Mambres re- 13.
ſtiterunt Moyſi; ita & hi reſiſtunt veritati;
* homines corrupti mente, * reprobi cir- 14. 15.
ca fidem. * Sed vltra non proficient: * In- 16. 17.

 ſipientia

ſipientia enim eorum manifeſta erit o-
18. mnibus, ſicut & illorum fuit. * Tu autem
aſſecutus es meam doctrinam, inſtitutio-
nem, propoſitum, fidem, longanimitatẽ,
dilectionem, patientiam, perſecutiones,
19. paſſiones: * Qualia mihi facta ſunt An-
thiochię, Iconij, Lyſtris, quales perſecutio-
20. nes ſuſtinui? * Et ex his omnibus eripuit
21. me Dn̄s. * Et omnes qui piè volunt viuere
in Chriſto IESV, perſecutionem patientur.
22. Mali autem homines & ſeductores profi-
23. cient in peius: * errantes & in errorẽ mit-
24. tentes. * Tu autem permane in his quæ
25. didiciſti & credita ſunt tibi: * ſciens à quo
26. didiceris; * & quia ab infantia ſacras lite-
ras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalu-
27. tem * per fidem, quæ eſt in Chriſto IESV.
28. * Omnis ſcriptura diuinit⁹ inſpirata, vtilis
eſt ad docendum, ad arguendum, ad cor-
rigendum, ad erudiendum in iuſti-
29. tia: * vt perfectus ſit homo Dei,
ad omne opus bonum in-
ſtructus.

CAPVT

CAPVT III.

1. *Hoc autem scito, quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa.*

QVia Christianæ religionis veritas poterat in dubium reuocari, quæ in ipsa radice tot tyrannorum & Hæreticorum persecutionibus vndique iactabatur, vt eiusdem curam non videretur habere diuina prouidentia; admonet in Timotheo omnes fideles Apostolus, ne quispiam his offendatur, & maximè quod tam multos ex credentibus, corruptę vitæ homines complectatur Ecclesia Christiana. Nã sub ipsis Ecclesiæ primordiis, imo ab Abel iusto vsq; ad Christum, semper mali fuère permisti bonis, & erunt vsque ad finem seculi, & eo plures, quo magis appropinquabitur ad finem. Ideo discipulum monet Apostolus, vt non ea duntaxat quæ sunt ante pedes dispiciat, cuiusmodi sunt profana & vaniloquia duorum apostatarum Himenæi & Phileti, quæ diligenter etiam vitanda sunt, sed etiam pericula, quæ finibus Ecclesiæ iam imminent, diligenter præcaueat. Hoc scito, inquit, hoc est, omnino sit tibi persuasum, & pro certo habeas imminere Pseudoprophetarum discrimina, quæ tibi gregiq́ue tibi commisso negotium facient.

Mali bonis semper permisti.

Hæc Pauli denuntiatio videtur esse prophetia diuinitus ei data: nam futura contingentia nosse, solius Dei est. Hanc & alias huic similes reuelationes habuit Apostolus non modo sensibili, nec per visiones imaginarias; sed per supernaturalem mentis illustrationem, vt ex eius euentu fidei nostræ veritas

Paulina huius loci prophetia.

Deus arcana sua iustis reuelare consueuit.

confirmari possetu. Solet enim Deus diuinæ suæ sapientiæ arcana iustis suis amicis & familiaribus ita patefacere, vt non secus supremam illam, quã Deus in humanis rebus statuit rationem, omniumq́; suppliciorum causam exploratam habeant, quàm si diuino consilio interfuissent, Deumq́; prouidentem, disponentem, decernentem, præcipientem audiuissent, planeq́; intellexissent, aut sua illis arcana & cõsilia patefecissetu. Quod Psalm. 24. manifestè ostendit Regius vates, cum aitu: *Firmamentum est Dominus timentibus eum*; quia videlicet suorum magister est & Doctor, atq; illis, quæ discernit & firmiter statuit facienda reuelat & manifestat, quemadmodum subiecta verba declarant: *Et testamentum ipsius vt manifestetur illis*. Hinc Amos 3. scriptum est: *Non faciet Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos*. Quibus verbis declarat Propheta, quàm amice Deus agat cum suis, quantum sanctissimos homines non solum amet & indulgenter habeatu, sed etiam

Amici Dei diuinitate quadam donantur.

veneretur. Videtur enim Deus quasi nefas putareu, non facere suos consiliorum suorum participes, vt ventura videantu, & prædicent quæ & paulò pòst, & multos post annos homines visuri suntu, vt ex Dei consortio & amicitia diuinitatem quandam accepisse videantur, sicut scriptum est Esaiæ 41. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos.* Contra verò mali homines adeò longe ab hac diuinitate distant, vt etiam in ipso inferorum limine consistentes, securi sintu, & longam sibi pacem promittant, sicut ait Paulus, 1. Thessal. 5. *Cum enim dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habentis, & non effugient.*

Tamet-

Tametsi verò *nouissima tempora* ad mundi finem & Antichristum quidam Commentarij referant, ad posteriora tamen tempora reuocanda sunt, quæ scilicet hanc Pauli prædictionem sunt consecuta, vt *nouissimi dies* sint idem, quod consequentes & futuri: Nam eorum, quæ hoc loco futura prædicũtur, quædam ipsius Pauli tempore; quædam paulò pòst eius obitum contigisse nullus dubitat. In hac significatione passim *nouissimos dies* sumit scriptura, vt patet Genes. 49. vbi Iacob Patriarcha conuocatis ad se filijs, annuntiat quæ ventura sunt illis *nouissimis temporibus*. Item Daniel, cap. 2. interpretaturus visionem statuæ, quam Rex in quiete viderat, sic illum est præfatus: *Indicabit tibi Deus, ô Rex, quæ ventura sunt in nouissimis diebus*, id est, postea, post tuũ imperiũ, &c. quemadmodum paulò infrà exponens, dicit: *Deus ostendet regi, quæ ventura sunt postea.* Sed hæc prioris epistolæ, cap. 4. fusè satis explicuimus.

Nouissima tempora hoc loco, quæ?

Dicit ergo Paulus, instare & præ foribus esse exitiosa discrimina, quæ ab Episcopo diligenter sunt attendenda, ne incautum gregem ex improuiso spirituales lupi inuadant. Certum est enim, paulò post subsecutos à Paulo præsignatos & præscriptos Sectatores Simonis, Gnosticos & similes hæreticos, sicut ex B. Iudæ epistola, quam scripsit post excessum Apostolorũ, facile colligi potest, in qua *nouissimos dies* illos ab Apostolis prædictos, iam sua ætate venisse dicit: adeo vt per *nouissima tempora*, sit ætatis ille decursus intelligendus, qui futurus est post illud tempus, quo aliquid prænuntiatur. *Tempora* porro dicũtur eo modo *periculosa*, quo *dies* dicuntur alibi per Meto-

Paulina prædictio quando impleta.

Tempora quomodo periculosa dicantur.

Metonymiam *mali*, & *seculum* vocatur *nequam*, non quod tempus ex se periculosum sit, aut dies natura sua malos incusemus, cum omnia quæ fecit Deus bona sint; sed aliquam circumstantiam, prauas scilicet hominum actiones & voluntates damnamus. *Tempora* namque siue *bona*, siue *mala* dicimus, propter aliqua, quæ in ipsis contingunt, quemadmodum obseruauit Chrysostomus.

2. *Et erunt homines seipsos amantes.*

Particula &, pro quia, sæpe in scriptura.

Particula, *&*, iuxta Hebræorum consuetudinem, pro, *quia*, sæpe in sacris literis posita reperitur, vt causam significet. Sic Ioan. 1. hæc verba; *Et Verbum caro factum est*; sunt causa antecedentis sententiæ; *dedit potestatem filios Dei fieri iis, qui credunt* in ipsum, quia scilicet *Verbum est caro factum. Si* enim *filius Dei non fuisset factus filius hominis, vtique homo non factus esset filius Dei*, inquit Augustinus, lib. 2. de peccatorum meritis & remiss. cap. 24. Sic Ioan. 17. *Et iam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio.* Item: *Et hi cognouerunt, quia tu me misisti, & notum feci eis nomen tuum.*

Huius loci paraphrasis.

Eodem modo hoc loco sumitur, hoc sensu: Pro certo tibi persuasum habe, ô Timothee, paulò post futura tempora, tibi tuoque gregi, imo toti Ecclesiæ periculosa; quia in iis futuri sunt homines seipsos potius, quàm Deum, suosque amantes. Cum enim varia Ecclesiæ discrimina prænuntiasset Apostolus imminere, causam horum assignat, priuatum multorum hominum sibi placentium, priuatisque suis commodis studentium amorem.

Quinam dicantur seipsos amare.

Dicuntur autem ij *seipsos amare*, qui id duntaxat agunt, vt sibi bene sit, nec Dei cultus proximorumque aut Reipub. cura tangun-

guntur, de quibus Philip. cap. 2. loquens Apostolus; *Omnes*, inquit, *quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi.* Ex hoc autem proprio sui ipsius amore, tanquam ex radice omnia mala oriuntur; quia, vt dicit Augustinus lib. 8. de Ciuit. c. 28. *ciuitatem Babyloniæ facit amor sui vsque ad contemptum Dei.* Nam cum propria voluntas primum locum tenet in aliquo, necessum est, vt Deus secũdum teneat; quia cum ante omnia propriæ voluntati in omnibus vult homo satisfacere, Deo non vult obedire, nisi quatenus propriæ voluntati obsequitur. In quo maximam inesse impietatem, nemo non videt, cum in ea vna omnis peccati radix sic sit sita, vt manifestam idololatriæ speciem contineat. Quid enim est aliud suæ propriæ voluntati ante omnia velle obsequi, quã eandem vt Deum colere? Hac enim ratione, Deus amore & obsequio debito nefariè spoliatur, cui titulo creationis, gubernationis, redemptionis omnis illi & supremus amor debebatur. Cum enim humana voluntas non nisi vnum aliquid principaliter, & sub ratione finis vltimi amare possit, sicut vxor, nisi vnum virum cõiugali fœdere iunctum; sequitur, vnum tantum esse summum hominis bonum, quod ab eo principaliter diligatur. Illud autem vnum, cum necesse sit, vt Deus sit, aut creatura aliqua; qui Deum pro summo bono non habet, necessarium est vt aliquam creaturam, tanquam summum bonum, colat. Inter creaturas autem, illud præcipuè voluntas amat, quod illi est coniunctissimum. Cum ergo nihil sit voluntati humanæ seipsa coniunctius, voluntatem autem homo sic habeat, vt ea vti posset quasi re distincta, cum sit intima: necesse est, si Deum principaliter

Sui ipsius inordinatus amor, omnium malorum fons.

Sui ipsius amor idololatria species.

voluntas non amet, vt seipsam principaliter amet. Vnde si Deus illi summum bonum non est, propria voluntas erit; & hinc fiet, vt amor nostri perpetuum cum Deo bellum gerat, Et quemadmodum, qui sceptrum & regale solium affectat, ad ea pariter omnia aspirat quæ Regi debentur obsequia: sic profectò, qui seipsum super omnia amando Dei solium inuadit, omnem pariter diuinitatem affectat, suisque desideriis & cupiditatibus omnia seruire desiderat. Atque hinc fit, vt ipsum Deum odio habeat, omnia eius mandata contemnat, simulque diuinam indignationem acerrimè prouocet. Ex amorum namque (Dei nempe & sui) diuersitate, varia & contraria effecta consequũtur, ita vt sicut amor Dei totius virtutis ac pietatis est fundamentum, sic totius impietatis & peccati origo sit priuata suiipsius dilectio. Amor Dei amanti pacem, tranquillitatem, suauitatem affert; amor nostri molestias, inquietudinem, jurgia procurat. *In domo* namque *superborum non desunt iurgia.* At *melior est buccella sicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio.* Prouerb. 13. & 17. Eodem modo amor Dei voluntatem nostram summa libertate donat, ab omni creaturarum subiectione liberat, & in alias omnes creaturas imperium concedit, quemadmodum locupletissimus testis esse potest Apostolus Philip. 4. cap. de seipso loquens: *Scio abundare, scio & penuriam pati, &c.* Amor nostri omnibus nos creaturis captiuos ac subiectos reddit. Auarus enim suo auro; superbus honori; animalis voluptati; gulosus ventri, cæterique peccatores omnes suis insanis cupiditatibus seruiunt; Quæ seruitus, vt ignominiosa est, ita & fœda, hominis vtpote

Amor nostri cũ Deo perpetuum bellum gerit.

Dei & suiipsius amoris antitheses.

Amor sui homines seruos, eosque viles efficit.

poto

pote animum ignobilem abiectum & turpem coram Deo reddens, *à qua* quidem *seruitute nos Christus* sua gratia *liberauit*, sicut Galatis cap. 4. scribens testatur Paulus, & Ioan. 8. Christus ipse dixit: *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis*. Sed sunt, qui hac libertate gaudere nolunt, ij videlicet, qui subiectionem suarum cupiditatum ita sequuntur, vt tanquam serui, carnis suæ desideriis obediant. Huiusmodi enim permittit Deus *ire post sua desideria*, & sequi quocumque rapit eos cupiditas; quod tantum est, vt maius supplicium excogitari non possit; de quibus videlicet verè dici posset, quod per Esai. 19. cap. de Ægyptiis dixit Dominus: *Tradam AEgyptum in manus dominorũ crudelium*. Huiusmodi siquidem supplicium humanæ naturæ contra naturalem ordinem repugnat, secundum quem ratio dominari debet appetitui, sicut Deus homini dixit Genes. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*. Quare sapienter monuit nos Sapiens, Ecclesiast, cap. 5. *Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentias cordis tui, & ne dixeris, quomodo potui, aut quis me subiiciet propter facta mea?* Et cap. 18. eiusdem libri: *Post concupiscẽtias tuas*, inquit idem Sapiens, *non eas, & à voluntate tua auertere*.

3. *Cupidi, elati, superbi, blaspemi?*

Amoris priuati multiplicia effecta subiicit Apostolus, quæ ad tria potissimũ reuocari possunt; quorum primum sit omnis mali perpetratio, secundum summi boni contemptio, postremum hypocrisis, seu fidei Catholicæ simulatio. Ac primum quidem priuatũ sui ipsius amorẽ quatuor filiarum matrem facit, quæ per diuinæ legis præuaricationem ab infi-

Priuati amoris, multiplicia effecta.

retia per peccatum incidere, sed ita in illis incedit, vt se laqueo illo non implicet, sed potius premat, ne adduci rete & implicari possit, cùm videlicet maturè agnoscit & vitat discrimen. Impius verò peccator) quemadmodum ait Job capit. 18.) *Immittit pedem in rete & in vinculis eius ambulat.* Et hoc, iuxta imprecationem Regij vatis, Psalm. 140. dicentis: *Cadent in retinaculo eius* (siue Dei de ipsis vindictam sumentis, siue etiam iniquitatis & Diaboli) *peccatores*, vt ruant videlicet captis & constrictis pedibus: *singulariter ego sum*, addit iustus Dauid, *donec transeam*, id est, captis illis & impeditis, ipsum rete premens & conculcans pedibus, securus ego transeo.

CAPVT



CAPVT III.

* HOc autem ſcito, quod in nouiſ- 1.
ſimis diebus inſtabunt tempo-
ra periculoſa. * Et erunt homi- 2.
nes ſeipſos amantes, * cupidi, elati, ſuperbi, 3.
blaſphemi; * parentibus non obedientes, 4.
ingrati, ſcęleſti; * ſine affectione, ſine pace, 5.
criminatores incontinentes; * immites, 6.
ſine benignitate proditores; * proterui 7.
tumidi * & voluptatum amatores ma- 8.
gis quàm Dei, * habentes ſpeciem quidē 9.
pietatis, virtutem autem eius abnegantes.
* Et hos deuita: * Ex his enim ſunt qui pe- 10. 11.
netrant domos, & captiuas dicunt mulier-
culas oneratas peccatis, quæ ducuntur va-
rijs deſiderijs; * ſemper diſcentes & nun- 12.
quam ad ſcientiam veritatis peruenię̄tes.
* Quemadmodū Iannes & Mambres re- 13.
ſtiterunt Moyſi; ita & hi reſiſtunt veritati;
* homines corrupti mente, * reprobi cir- 14. 15.
ca fidem. * Sed vltra non proficient: * In- 16. 17.

 ſipientia

CAPVT III.

1. *Hoc autem ſcito, quod in nouiſsimis diebus inſtabunt tempora periculoſa.*

QVia Chriſtianæ religionis veritas poterat in dubium reuocari, quæ in ipſa radice tot tyrannorum & Hæreticorum perſecutionibus vndique iactabatur, vt eiuſdem curam non videretur habere diuina prouidentia; admonet in Timotheo omnes fideles Apoſtolus, ne quiſpiam his offendatur, & maximè quod tam multos ex credentibus, corruptę vitæ homines complectatur Eccleſia Chriſtiana. Nã ſub ipſis Eccleſiæ primordiis, imo ab Abel iuſto vſq; ad Chriſtum, ſemper mali fuère permiſti bonis, & erunt vſque ad finem ſeculi, & eo plures, quo magis appropinquabitur ad finem. Ideo diſcipulum monet Apoſtolus, vt non ea duntaxat quæ ſunt ante pedes diſpiciat, cuiuſmodi ſunt profana & vaniloquia duorum apoſtatarum Himenæi & Phileti, quæ diligenter etiam vitanda ſunt, ſed etiam pericula, quæ finibus Eccleſiæ iam imminent, diligenter præcaueat. Hoc ſcito, inquit, hoc eſt, omnino ſit tibi perſuaſum, & pro certo habeas imminere Pſeudoprophetarum diſcrimina, quæ tibi gregiq́ue tibi commiſſo negotium facient.

Mali bonis ſemper permiſti.

Hæc Pauli denuntiatio videtur eſſe prophetia diuinitus ei data: nam futura contingentia noſſe, ſolius Dei eſt. Hanc & alias huic ſimiles reuelationes habuit Apoſtolus non modo ſenſibili, nec per viſiones imaginarias; ſed per ſupernaturalem mentis illuſtrationem, vt ex eius euentu fidei noſtræ veritas con-

Paulina huius loci prophetia.

confirmari possèt. Solet enim Deus diuinæ suæ sapientiæ arcana iustis suis amicis & familiaribus ita patefacere, vt non secus supremam illam, quã Deus in humanis rebus statuit rationem, omniumq́; suppliciorum causam exploratam habeant, quàm si diuino consilio interfuissent, Deumq́; prouidentem, disponentem, decernentem, præcipientem audiuissent, planeq́; intellexissent, aut sua illis arcana & cõsilia patefecissèt. Quod Psalm. 24. manifestè ostendit Regius vates, cum ait: *Firmamentum est Dominus timentibus eum*; quia videlicet suorum magister est & Doctor, atq; illis, quæ discernit & firmiter statuit facienda reuelat & manifestat, quemadmodum subiecta verba declarant: *Et testamentum ipsius vt manifestetur illis*. Hinc Amos 3. scriptum est: *Non faciet Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos*. Quibus verbis declarat Propheta, quàm amice Deus agat cum suis, quantum sanctissimos homines non solum amet & indulgenter habeat, sed etiam veneretur. Videtur enim Deus quasi nefas putare, non facere suos consiliorum suorum participes, vt ventura videant, & prædicent quæ & paulò pòst, & multos post annos homines visuri sunt, vt ex Dei consortio & amicitia diuinitatem quandam accepisse videantur, sicut scriptum est Esaiæ 41. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos*. Contra verò mali homines adeò longe ab hac diuinitate distant, vt etiam in ipso inferorum limine consistentes, securi sint, & longam sibi pacem promittant, sicut ait Paulus, 1. Thessal. 5. *Cum enim dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habentis, & non effugient*.

Deus arcana sua iustis reuelare consueuit.

Amici Dei diuinitate quadam donantur.

Tamet-

Tametsi verò *nouissima tempora* ad mundi finem & Antichristum quidam Commentarij referant, ad posteriora tamen tempora reuocanda sunt, quæ scilicet hanc Pauli prædictionem sunt consecuta, vt *nouissimi dies* sint idem, quod consequentes & futuri: Nam eorum, quæ hoc loco futura prædicũtur, quædam ipsius Pauli tempore; quædam paulò pòst eius obitum contigisse nullus dubitat. In hac significatione passim *nouissimos dies* sumit scriptura, vt patet Genes. 49. vbi Iacob Patriarcha conuocatis ad se filijs, annunciat quæ ventura sunt illis *nouissimis temporibus*. Item Daniel, cap. 2. interpretaturus visionem statuæ, quam Rex in quiete viderat, sic illum est præfatus: *Indicabit tibi Deus, ô Rex, quæ ventura sunt in nouissimis diebus*, id est, postea, post tuũ imperiũ, &c. quemadmodum paulò infrà exponens, dicit: *Deus ostendet regi, quæ ventura sunt postea.* Sed hæc prioris epistolæ, cap. 4. fusè satis explicuimus.

Nouissima tempora hoc loco, quæ?

Dicit ergo Paulus, instare & præ foribus esse exitiosa discrimina, quæ ab Episcopo diligenter sunt attendenda, ne incautum gregem ex improuiso spirituales lupi inuadant. Certum est enim, paulò post subsecutos à Paulo præsignatos & præscriptos Sectatores Simonis, Gnosticos & similes hæreticos, sicut ex B. Iudæ epistola, quam scripsit post excessum Apostolorũ, facile colligi potest, in qua *nouissimos dies* illos ab Apostolis prædictos, iam sua ætate venisse dicit: adeo vt per *nouissima tempora*, sit ætatis ille decursus intelligendus, qui futurus est post illud tempus, quo aliquid prænuntiatur. *Tempora* porro dicũtur eo modo *periculosa*, quo *dies* dicuntur alibi per Meto-

Paulina prædictio quando impleta.

Tempora quomodo periculosa dicantur.

Metonymiam *mali*, & *seculum* vocatur *nequam*, non quod tempus ex se periculosum sit, aut dies natura sua malos incusemus, cum omnia quæ fecit Deus bona sint; sed aliquam circumstantiam, prauas scilicet hominum actiones & voluntates damnamus. *Tempora* namque siue *bona*, siue *mala* dicimus, propter aliqua, quæ in ipsis contingunt, quemadmodum obseruauit Chrysostomus.

2. *Et erunt homines seipsos amantes.*

Particula &, pro quia, sæpe in scriptura.

Particula, *&*, iuxta Hebræorum consuetudinem, pro, *quia*, sæpe in sacris literis posita reperitur, vt causam significet. Sic Ioan. 1. hæc verba; *Et Verbum caro factum est*; sunt causa antecedentis sententiæ; *dedit potestatem filios Dei fieri iis, qui credunt* in ipsum, quia scilicet *Verbum est caro factum. Si* enim *filius Dei non fuisset factus filius hominis, vtique homo non factus esset filius Dei*, inquit Augustinus, lib. 2. de peccatorum meritis & remiss. cap. 24. Sic Ioan. 17. *Et iam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio.* Item: *Et hi cognouerunt, quia tu me misisti, & notum feci eis nomen tuum.*

Huius loci paraphrasis.

Eodem modo hoc loco sumitur, hoc sensu: Pro certo tibi persuasum habe, ô Timothee, paulò post futura tempora, tibi tuoque gregi, imo toti Ecclesiæ periculosa; quia in iis futuri sunt homines seipsos potius, quàm Deum, suosque amantes. Cum enim varia Ecclesiæ discrimina prænuntiasset Apostolus imminere, causam horum assignat, priuatum multorum hominum sibi placentium, priuatisque suis commodis studentium amorem. Dicuntur autem ij *seipsos amare*, qui id duntaxat agunt, vt sibi bene sit, nec Dei cultus proximorumque aut Reipub. cura tangun-

Quinam dicantur seipsos amare.

guntur, de quibus Philip. cap. 2. loquens Apostolus; *Omnes*, inquit, *quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi.* Ex hoc autem proprio sui ipsius amore, tanquam ex radice omnia mala oriuntur; quia, vt dicit Augustinus lib. 8. de Ciuit. c. 28. *ciuitatem Babyloniæ facit amor sui vsque ad contemptum Dei.* Nam cum propria voluntas primum locum tenet in aliquo, necessum est, vt Deus secũdum teneat; quia cum ante omnia propriæ voluntati in omnibus vult homo satisfacere, Deo non vult obedire, nisi quatenus propriæ voluntati obsequitur. In quo maximam inesse impietatem, nemo non videt, cum in ea vna omnis peccati radix sic sit sita, vt manifestam idololatriæ speciem contineat. Quid enim est aliud suæ propriæ voluntati ante omnia velle obsequi, quã eandem vt Deum colere? Hac enim ratione, Deus amore & obsequio debito nefariè spoliatur, cui titulo creationis, gubernationis, redemptionis omnis illi & supremus amor debebatur. Cum enim humana voluntas non nisi vnum aliquid principaliter, & sub ratione finis vltimi amare possit, sicut vxor, nisi vnum virum cõiugali fœdere iunctum; sequitur, vnum tantum esse summum hominis bonum, quod ab eo principaliter diligatur. Illud autem vnum, cum necesse sit, vt Deus sit, aut creatura aliqua; qui Deum pro summo bono non habet, necessarium est vt aliquam creaturam, tanquam summum bonum, colat. Inter creaturas autem, illud præcipuè voluntas amat, quod illi est coniunctissimum. Cum ergo nihil sit voluntati humanæ seipsa coniunctius, voluntatem autem homo sic habeat, vt ea vti posset quasi re distincta, cum sit intima: necesse est, si Deum principaliter

Sui ipsius inordinatus amor, omnium malorum fons.

Sui ipsius amor idololatria species.

voluntas non amet, vt seipsam principaliter amet? Vnde si Deus illi summum bonum non est, propria voluntas erit; & hinc fiet, vt amor nostri perpetuum cum Deo bellum gerat, Et quemadmodum, qui sceptrum & regale solium affectat, ad ea pariter omnia aspirat quæ Regi debentur obsequia: sic profecto, qui seipsum super omnia amando Dei solium inuadit, omnem pariter diuinitatem affectat, suisque desideriis & cupiditatibus omnia seruire desiderat. Atque hinc fit, vt ipsum Deum odio habeat, omnia eius mandata contemnat, simulque diuinam indignationem acerrimè prouocet. Ex amorum namque (Dei nempe & sui) diuersitate, varia & contraria effecta consequũtur, ita vt sicut amor Dei totius virtutis ac pietatis est fundamentum, sic totius impietatis & peccati origo sit priuata suiipsius dilectio. Amor Dei amanti pacem, tranquillitatem, suauitatem affert; amor nostri molestias, inquietudinem, jurgia procurat. *In domo* namque *superborum non desunt iurgia.* At *melior est buccella sicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio.* Prouerb. 13. & 17. Eodem modo amor Dei voluntatem nostram summa libertate donat, ab omni creaturarum subjectione liberat, & in alias omnes creaturas imperium concedit, quemadmodum locupletissimus testis esse potest Apostolus Philip. 4. cap. de seipso loquens: *Scio abundare, scio & penuriam pati, &c.* Amor nostri omnibus nos creaturis captiuos ac subiectos reddit. Auarus enim suo auro; superbus honori; animalis voluptati; gulosus ventri, cæterique peccatores omnes suis insanis cupiditatibus seruiunt; Quæ seruitus, vt ignominiosa est, ita & fœda, hominis vtpote

Amor nostri cũ Deo perpetuum bellum gerit.

Dei & suiipsius amoris antitheses.

Amor sui homines seruos, eosque viles efficit.

pote animum ignobilem abiectum & turpem coram Deo reddens, *à qua* quidem *seruitute nos Christus* sua gratia *liberauit*, sicut Galatis cap. 4. scribens testatur Paulus, & Ioan. 8. Christus ipse dixit: *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis*. Sed sunt, qui hac libertate gaudere nolunt, ij videlicet, qui subiectionem suarum cupiditatum ita sequuntur, vt tanquam serui, carnis suæ desideriis obediant. Huiusmodi enim permittit Deus *ire post sua desideria*, & sequi quocumque rapit eos cupiditas; quod tantum est, vt maius supplicium excogitari non possit; de quibus videlicet verè dici posset, quod per Esai. 19. cap. de Ægyptiis dixit Dominus: *Tradam Ægyptum in manus dominorũ crudelium*. Huiusmodi siquidem supplicium humanæ naturæ contra naturalem ordinem repugnat, secundum quem ratio dominari debet appetitui, sicut Deus homini dixit Genes. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*. Quare sapienter monuit nos Sapiens, Ecclesiast. cap. 5. *Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentias cordis tui, & ne dixeris, quomodo potui, aut quis me subiiciet propter facta mea?* Et cap. 18. eiusdem libri: *Post concupiscẽtias tuas*, inquit idem Sapiens, *non eas, & à voluntate tua auertere*.

3. *Cupidi, elati, superbi, blasphemi.*

Amoris priuati multiplicia effecta subiicit Apostolus, quæ ad tria potissimũ reuocari possunt; quorum primum sit omnis mali perpetratio, secundum summi boni contemptio, postremum hypocrisis, seu fidei Catholicæ simulatio. Ac primum quidem priuatũ sui ipsius amorẽ quatuor filiarum matrem facit, quæ per diuinæ legis præuaricationem ab infi- *Priuati amoris, multiplicia effecta.*

nito & summo bono auersæ, in rebus creatis & finitis spem salutemque suam positam habent. Harum porro primogenita est *Cupiditas*, qua homines seipsos amantes suam iniquè agendo, potentiam impotenter exercent. Vnde Psalm. 51. eosdem alloquens Regius vates: *Quid gloriaris*, inquit, *in malitia, qui potens es iniquitate?* & de quibus per indignationem pronuntiat Psalm. 10. *laudari* peccatorem *in desideriis animæ suæ, & iniquum benedici. Diues* enim (impius) *locutus est, & omnes tacuerunt; & verbum illius vsque ad nubes perducent: Pauper vero* (iustus) *locutus est, & dicunt; quis est hic? & si offenderit, subuertent illum.* Iacob. 3. Ecclesiast. 13. Hinc est, quod diuitiarum *cupiditatem* vocet Diogenes, *malitiæ velamen* & verum vitiorum latibulum, in quo & facere & loqui liceat quicquid libet. Quæ causa est, quod prioris epist. cap. 6. hanc eandem *cupiditatem* omnium malorum *radicem* & principium appellarit noster Apostolus; quia licet multa bona promittat, nihil tamen boni præstat aut confert, sed mali plurimum. *Dormierunt*, ait Regius vates, *viri diuitiarum somnum suum, & nihil inuenerunt in manibus suis.* Cui accinens Augustinus, serm. 13. de Innocent. *Cum acquiruntur*, inquit, *diuitiæ, falsam lætitiam tribuunt, & cum perduntur, veram tristitiam derelinquunt; & hoc quia vera bona videntur afferre, quæ tamen vera non sunt.* Fallit quippe mirum in modum diuitiarum huius mundi cupiditas mortales, quia ea bona non præstat, quæ cupidus expectabat. *Telas araneæ*, ait Esaias, cap. 59. *texuerunt telæ eorum; non erunt in vestimentum opera eorum inutilia.* Quemadmodum enim aranea se totam euiscerat, vt telam amplam texat, qua muscas capiat, quam

Quid sit cupiditas.

Cupiditas, malitiæ velamen.

Cupiditas omnium malorum radix.

Diuitiæ huius mundi fallaces

quam vbi texuerit vnicus, scopæ ictus dissoluit: Ita & diuitiarum cupidi, Æsopico videlicet cani vmbrã insectanti, & id quod habet, amittenti similes, dum meras vmbras bonorum quærunt, veris bonis excidunt, quia auri sacra fame laborantes, & quasi surdi cœciq;, quæ verè bona sunt, vel cernere, vel audire, vel gustare nequeunt. *Furor* enim *illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non audit voces incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Psal. 57.

Altera proximè ætatis soror subsequitur *Cupiditatem Elatio*, siue dominij appetentia, siue etiam iactãtia, prout ipsa vox Græca ἀλαζόνες sonat: Quasi sui ipsius amantes tales futuros prædiceret, qui sciẽtiam & sanctimoniam suam essent iactaturi, cum tamen sint vanissimi. Triplex est autem huius iactantiæ & elationis gradus. *Triplex elationis gradus.* Primus, cum sola cogitatione sibi ipsi quis applaudit, memor eorum quæ sibi bene operari videtur. 1. Secundus est cum etiam in proprias laudes erumpit, aut certè sua benefacta cupide commemorat, alijsq; quasi venalia exponit, 2. inanem laudem, seductionem & alia huiusmodi ex illa commemoratione duntaxat captans. Tertius denique est eorum, qui ab hac duplici stultitia & iniquitate liberi, alienis tamen fauoribus & laudibus exultant. De his omnibus sapienter Greg. lib. 22. Moral. cap. 8. *Sic profectus est hominum*, ait, *sicut incrementa esse conspicimus arbustorum. Vis quippe futuræ arboris prius in semine est, postmodum in ortu, atque ad extremum producitur in ramis sic vniuscuiusque virtus crescit operantis. Seminatur namq; in intelligentia, oritur in operatione, coälescit ad profectus latitudinem: sed cum*

quemlibet sua intelligentia extollit, arbor quæ oriri poterat ex semine putrescit. Cum porrò post operationem bonam elationis & ostentationis peste corrũpitur, quasi iã orta siccatur. Cum verò neque intelligentia, neq; operatio corrumpitur, sed fauor laudantium operantis animum auertit, linguarũ ventos arbor pertulit, & omne quod in ea arbustũ creuerat, tempestas famæ radicitus euulsit. Hæc Gregor.

Quanta porrò sit hæc iactantiæ & elationis iniquitas, his verbis satis indicat Job, c. 31. cũ de seipso ait: *Si lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meã ore meo; quæ est iniquitas maxima & negatio contra Deum altißimum. Ille* enim *manum suam proprio ore osculatur*, qui opera manuum suarum proprio ore commemorat, cõmendat, buccinat. In quę verba lib. 22. Mor. c. 10. Greg. *Qua in re*, (elationem & iactantiam intelligit) inquit, *quis despicitur, nisi is qui ipsa operandi munera largitur? Nam authoris sui gratiam negare conuincitur, quisquis sibi tribuit quod operatur. Hæc est iniquitas maxima, quoniam omne peccatum, quod ex infirmitate est, spem nequaquam perdit, quia à supremo iudice veniam requirit, &c.* Luculentum huius rei exemplũ exhibuit nobis Dñs, in illo Pharisæo, qui Luc. 18. iactabũd⁹ dicebat: *Domine gratias ago tibi, qa nõ sum sicut cæteri homines, raptores, iniusti, &c.* Sic n. is in iustitia suorũ operũ confidebat, vt *quasi eius iam plenitudine saturatus* (ait Aug.) *nihil sibi addi ad iustitiã peteret, imò sic de sua iustitia gloriabatur, vt alios cõtemneret, se alijs pferret; quasi Deus ita sibi vni faueret, vt alijs misericordiã non impenderet, quicquid tandem ab eo petijssent.*

Elatio siue iactantia, quanta sit iniquitas.

Vbi tamen sciendũ est, non omné de bonorũ operũ iustitia gloriã, quæ per gratiam fiunt, esse inanem aut reprehensibilem; cum B. Virgo ab Elisabeth laudata

Non omnis de bonis operibus gloria inanis.

ðata & prædicata, eo quod credidisset, eius laudes tantum abest vt reprehenderit, vt potius Deum in suis magnificè glorificauerit dicens: *Magnificat anima mea Dominũ, &c. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Vnde & ipse Paulus laudabiliter 2. Cor. 1. dixit: *Gloria nostra hæc est, testimoniũ conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis & sinceritate Dei conuersati sum⁹ in hoc mundo.* Sic 4. Reg. 2. Rex pius Ezechias, cum dixisset; *Memento Domine, quomodo ambulauerim coram te in veritate & corde perfecto*: exauditus à Deo sanitatem est adeptus. Horum exemplo Catholici viri sæpenumero compelluntur res à se preclarè gestas commemorare, vt commendare eruditionem, suas virtutes prodere, ne videlicet tales vel tacendo, vel dissimulando apud bonos (non sine scandalo) habeantur, quales ab improbis & sectarijs & impostoribus mendaciter confinguntur. *Catholici sæpe se laudare coguntur.*

Pulchrè autẽ horum iactabundorũ animũ moresque descripsit Job, cap. 15 cum ait, eos elatos mente & corpore, *cucurrisse aduersus eum* (Deum) *erecto collo & pingui ceruice armatos esse.* Vbi *currere erecto collo*, indomitam quandã superbiam notat, ea ratione, quã oculorũ elatio solet esse arrogãtis habitus, quemadmodũ est videre apud Esaiam c. 3. vbi dicitur; *filias Israël ambulasse extento collo, &c.* Et c. 37. ait Propheta: *super quem exaltasti vocem, & leuasti altitudinem oculorũ tuorum?* Hæc n. apud Prophetã illa omnia afferunt, q̃ cõtraria sunt humiliationi, & capitis siue ceruicis demissioni atq; animi cõsternationi: Ducta nempe Metaphora à lasciuiente & procaci vitulo, qui cum iugũ excusserit, aut nunquã admiserit, aduersus herũ recalcitrat, & currit aduersus eũ petitq; cornibus. *Elatorum mores.* *Currere erecto collo quid.*

Ab hoc scelere plurimum se abfuisse testatur Regius vates Psal. 130. cum ait: *Domine*, inquit, *non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei: neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me*: nempe vt sibi ipsi plus æquo placeret, de se amplius, quã in se erat placeret, altaq; saperet; sed humilem ac paruũ se in oculis suis fuisse dicit; Et hoc ex cõsideratione potissimum diuinæ magnitudinis cum sua vilitate cõparatæ. Vt hoc verò confirmet, protinus subdit: *si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam, sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea.* Quibus verbis se tanta animi demissione fuisse dicit, vt si quando forte humanum aliquid passus, deserere humilitatem & intra se anima ipsius exaltari inciperet, Deus vicissim illi ostendebat, quàm sibi relictus, atque à Deo desertus nihil esset. Is enim à quo Deus suæ visitationis & consolationis lac subtrahit, miser & miserabilis est, non aliter ac puerulus, cum à lacte matris auellitur, &c.

David ab elatione alienus.

Tertium germen, quod ex priuato sui amore pullulat, *superbia* est; quæ licet impropriè ad quoduis peccatum reuocari possit, singulare tamen ab omnibus distinctum esse peccatum annotauit D. Augustinus, in libro de natura & gratia, cap. 29. Consistit autem superbia, in appetitu alicuius excellentiæ, seu altioris gradus, quam ipsi personæ spectata eius dignitate, atq; adeò etiam diuinę ꝓuidẽtiæ lege congruit, quemadmodũ intimauit idem Aug. lib. 4. de Ciuit. Dei, cap. 13. dicens: *Quid est superbia, nisi peruersæ celsitudinis appetitus?* Cui lib. 10. Etymol. subscribens Isidorus: *Qui vult*, inquit, *supergredi quod est, superbus est*. Et licet cætera peccata in Dei non-

In quo consistat superbia.

medio-

mediocrem iniuriam cedant, vtpote per quæ eius honor maximè læditur, cum omnis peccator Deũ contemnat: superbia tamen Deum maximè inhonorat. *Superbus* enim, quemadmodum inquit, D. Bernardus, serm. 5. de Natal. *non colit Deum, sed aduersus eum extollitur, impius planè & infidelis. Gloriam meam, ait Dominus, alteri non dabo; & superbus, Ego inquit, mihi eam licet non dederis vsurpabo. Non enim placet ei angelica distributio, dans gloriam Deo, pacem hominibus.* Hæc Bernardus. Hinc est quod *Deus superbis resistere* dicatur. Jacob. 4. ideò videlicet, quod cum superbi ipsi Deo velint suum bonum auferre, Deus ex opposito pugnare videatur, vt se suaq; bona tueatur, & vim vi quasi repellat. Contemnit enim superbus Deum, inordinatè se amando. Hinc Augustinus, libro 14. de Ciuit. Dei cap. 28. duas illas ciuitates distrinxit; terrenam, quam facit amor sui vsq; ad contemptum Dei: Cœlestem verò amor Dei vsque ad contemptum sui. In illa fuerunt sapientes, qui cum potuissent cognoscere Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, obscuratum est insipiens cor eorum. De qua re dolens, conqueritur Dominus, Esai. cap. 1. *Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Qui contemptus, licet ex omni peccato nascatur, ex superbia tamen maximè proficiscitur. Quare licet omnis peccator Dei contemptor dici possit; sicut & omnis pietatis & religionis cultor, Dei quoque cultor & honorificator; (1. Reg. 2. *Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*) superbus tamen peccando, maximus Dei contemptor est & verè dici potest

Superbia maximè Deum inhonorat.

Superbus, maximus Dei contemptor.

Superbia omnia mala turpitudine superat.

test. Superbia quippe omnia alia peccata turpitudine superat, cum præter illa, quæ alijs vitijs & peccatis insunt, plurima habeat singularia. Ac inprimis cætera peccata & vitia interdum quiescunt, nec semper nec vbiq; in homine apparent: sola superbia omni loco ac tempore se profert & ostentat. Cætera vitia consortio gaudent; sola *superbia* solitudinẽ q̃rit, societatẽ non admittit, oĩa sibi defert; se solũ *superbus* in pretio haberi, oĩbus anteponi cupit. Cætera vitia nõ nisi à vitijs & materia vitiosa generãtur, fouẽtur, ꝓficiuntur: eademq́; oĩa contrarijs virtutibꝰ extinguũtur & corrigũtur: Sola *supbia* ex ipsis virtutibꝰ nascitur, nõ nisi bonis insidiatur, ex pietate, ex rebus p̃clarè gestis ortꝰ sui principiũ & incrementũ sumit, q̃ cætera solẽt perimere. Cætera vitia singula, singulas duntaxat ꝑdunt virtutes: sola *superbia* omnes perdit, omnia bona tollit, omnia præclarè gesta euacuat, mercede spoliat, Deo reddit exosa. Cætera peccata, saltem cum ætate languescunt, & vinci se tandẽ patiuntur: solius *superbiæ* tanta est pertinacia, vt alijs omnibus vitijs profligatis, sola audeat in campo manere, virtutiq; pugnam per totam ætatem, inferre. Cætera peccata quasi per tertiam personam, vt propter vtile aut iucundum, quod in peccato perpetrãdo prætenditur: Sola *superbia* per seipsum hominẽ in vniuersum à Deo separat, quasi bellum contra Deum gerit; quam etiam contra eam pugnando, per seipsum punire solet, cum alia alijs medijs puniat. *Odibilis enim est coram Deo & hominibus superbia*, ait Ecclesiasticus, cap. 10. Hinc est quod *superbiam* magis hominem polluere doceat Chrysostomus, hom. 15. in Joan. quàm maxima & grauissima fornicatio-

Superbia cum alijs vitijs confertur.

Superbia enormitas.

nicationis & adulterij peccata. *Quia*, inquit S. Pater, *fornicatio etsi indigna venia sit, potest tamen quispiam concupiscentiam in excusationem adducere: Superbia autem ne minimam habet excusationem, propter quam, vel vmbram saltem veniæ consequatur, &c.*

Quarta priuati amoris filia est *blasphemia*, qua incomparabili Dei excellentiæ maxima iniuria irrogatur. Vsu siquidem Scripturæ scriptorumq; Ecclesiasticorum solet accipi *Blasphemiæ* nomen, pro verbis, quibus de Deo dicitur quod ei non conuenit, aut negatur q; eidem congruit; licet (minus tamen communiter) etiam ad res & personas, quæ Deum attingunt, soleat extendi. Honorem enim ab homine Deo impensum, aliquod Dei bonum esse, fit ex eo euidens, quod Deus odio habeat blasphemiam suiq; contemptum, ametq; suum honorem & gloriam à mortalibus sibi delata, quæ tamen impudenter admodum rapiunt blasphemi, dum falsam de Deo sententiam proferunt, quę in eius cōtumeliam redundat. Hinc illa grauissima querimonia, apud Esai. cap. 53. *Propter vos nomen meum blasphematur tota die*; Sicut & vbicumq; de illius nomine honorificando, ac minime blasphemando sermo est. Quare, & blasphemiam sui nominis, cū contemptu coniunxit apud Ezech. cap. 10. *Blasphemarunt me Patres vestri, cum spreuissent me contemnentes.* Quo pertinet etiā illa expostulatio Jerem. 2. *Quid inuenerunt in me Patres vestri iniquitatis, quia elongauerunt à me.* Huius peccati enormitatem & grauitatem tantam esse subindicat Dn̄s, vt Matt. 12. dicat, omne peccatum remittendum hominibus, si videlicet pœnitentiam agant; *spiritum* autem *blasphemiæ*, id est, ipsam blasphe-

4. Filia Blasphemia.

Quid sit Blasphemia.

Blasphemia contemtui coniungitur.

Blasphemia peccati grauitas.

blasphemiam, non remittendam. *Et quicumque dixerit verbum in filium hominis remittetur ei; qui verò dixerit blasphemiam contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo neque in futuro;* Cui sententiæ consentiunt D. Marcus cap. 3. & Lucas 12.

4. *Parentibus non obedientes, ingrati, scelesti.*

Eorum scelerum quæ in proximum committuntur, catalogum texit: ac inprimis maiores siue parentes ponit, contra quos per impietatem, ingratitudinem & alios quosuis modos delinquere mortales contingit. Cap. 1. ad Rom. *immorigeros*, qui se nemini volunt subijcere, nemini obedire, nulli subesse, sed potius pro suis tantum peruersis cupiditatibus viuere in eorum numero collocat Apostolus, qui *non probauerunt Deum habere in notitia, quos Deus tradidit in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt. Est* enim *quasi peccatum ariolandi repugnare*, vt dicitur, 1. Reg. 15. *& quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere*: propterea Prouerb. cap. 30. *Oculum qui subsannat Patrem*, ait sapiens, *& qui despicit partum matris suæ effodiant corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.* Cum Deus in duabus tabulis lapideis mandata tradidisset, ac in priori tabula illa essent exarata, quæ Dei honorem & charitatem spectant; in secunda, reliqua sunt scripta, quæ ad proximi charitatem attinét, inter quæ primum locum obtinere voluit hoc de parentibus honorandis præceptum. Exo. 20. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Cui soli præ-

Inobedientia, peccatum.

li præcepto, in tabulis, longæ vitæ additur promissio, quod Deus propagare soleat vitam filiis, qui parentes honorant eisque morem gerunt, vt quibus post Deum, acceptam referre debent ipsam vitam. Hinc est quod Paulus Ephes. 6. hoc præceptum, *primum* appellet *in promissione*, id est, primum tabulæ secundæ, cum promissione longæ vitæ: *Filij*, ait Apostolus, *obedite parentibus vestris in Domino; hoc enim iustum est; Honora patrem tuum & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, vt bene sit tibi.* Quomodo autem honorandi sint parentes, cap. 3. docet Ecclesiasticus, cum ait: *In opere & sermone & in omni patientia, honora patrem tuum.* Non solum verbis, sed & opere honorandos vult parentes *in omni patientia*, vt scilicet, ætatis senilis ac decrepitę molestię patienter tolerentur. Vnde: *Si defecerit sensu* (intellectu) *pater* (adiungit sacer author) *instar pueri, veniam da, & ne spernas eum in virtute tua*, id est, in robore tuo, *sed venerare senem puerum; pasce illum, qui te prius pauit, da illi, qui tibi teipsum dedit.*

Soli de parentibus honorandis præcepto, addita promissio.

Quomodo parentes honorandi.

Ingratos hoc loco vocat Apostolus, non modò eos qui pro beneficiis acceptis nullam gratiam reddunt, sed eos maximè, qui pro bono malum retribuunt; tametsi vtraque ingratitudinis ratio peccatum sit, amicitiam & charitatem mutuam (quæ vita spiritualis est animæ) grauiter lædens. Si enim *malum pro malo reddere*, turpe & detestabile est, Rom. 12. quanto grauius crimen erit, malo bonum compensare; cùm de hac ingratitudine diuina comminatio Prouerb. 17. legatur: *Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius.* Quod si *naturali lege gratitudinis compensatio plus reddere teneatur, quàm beneficio acceperit,*

Ingrati, qui?

ceperit,

ceperit, quemadmodum ordinariè terra (iuxta Senecam) facit; certè indignum incommodis commoda compensare erit & detestabile. Naturale siquidem est homini, gratuito alicuius beneficio peraliquam vicissim gratiam, vicem reddere; *(Gratia enim pro rebus meritò debetur inemptis)* Scelus ergo erit maximum, damnis dona compensare quæ hominum societatem, animorum concordiam & ciuilem cohabitationem maximè impediunt; quemadmodū ex D. Augustino, lib. 83. quæst. q. 31. his verbis ex Cicerone sumptis, colligitur: *Gratia est, in qua amicitiarum & officiorum alterius memoria & remunerandi facultas continetur.* Quibus verbis, à beneficiis cumulato exigitur, vt conuenienti modo per gratiam remuneretur gratuitum beneficium, ab aliquo benefactore liberaliter acceptum, iuxta Pauli Coloss. cap. 3. præceptum, dicentis: *Grati estote:* quia videlicet, (vt videre est apud Sapientem Sap. 16.) *ingrati spes tanquam hybernalis glacies tabescet, & disperiet tanquam aqua superuacua.*

Ingratitudo scelus maximū.

Ingratus, secūdum Senecam quis.

Est autem ingratus, iuxta Latinum Sapientem, qui se beneficium accepisse inficiatur, vel dissimulat, vel non reddit, vel obliuiscitur. Hanc ingratitudinis notam maximè incurrit is, qui Deo, à quo iugiter donis ac beneficiis cumulatur, gratias non agit; cum tamen, D. Augustino authore, in epist. ad Marcellin. nihil Deo melius dicere possimus, quàm *Deo gratias. Quid enim*, inquit ille, *melius vel animo geramus, vel ore promamus, vel calamo scribamus, quàm Deo gratias?* Hinc est, quod primum peccatum ab Esaia veteri populo, iubente Deo, exprobratum, ingratitudo erga accepta beneficia fuerit. Sic enim cap. 1. incipit

Ingratitudo erga Deum.

incipit Propheta: *Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Deus locutus est: Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: populus autem meus non cognouit me.* Quare, sicut nullius virtutis firmior est memoria, quàm accepti beneficij; ita vix vllum beneficium ingratitudine deterius, adeo vt cùm ingratum quis dixerit, pessimum dixisse videri possit, quemadmodum indicarunt Romani, cum seruo concessam libertatem nullo alio scelere, quantumuis maximo, nisi sola ingratitudinis culpâ reuocari posse statuerunt. *Ingratus homo, pessimus.*

Ingratis subiiciuntur *scelesti*, qui Græcè ἀνόσιοι dicuntur, id est, sine sanctitate; vt, in quibus nihil sit sanctimoniæ aut religionis, qui nulla, vel Dei, vel parétum, vel benefactorum, vel etiam patriæ habita ratione, in maxima quæque flagitia & scelera proruunt. Horum maximè studium est, veritatem rebus falsis & apparentibus argumentis impugnare, virtutem habere ludibrio, pietatis opera contemnere, contra vnum Dei populum conuenire, contra vnam virtutem multis vitiis conspirare. *Scelesti, qui.*

3. *Sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes.*

Improborum hominum nequitiam erga proximum æqualis secum conditionis, quatuor membris exprimit; quorum primum ad cordis actum reuocat, cum dicit: *sine affectione*; cui vocabulo respondet vox vnica ἄστοργοι. Illum autem pietatis ac charitatis affectũ significat Græca vox στοργὴ, quo parentes sangun- *Sine affectione esse, quinam dicantur.*

guntur erga liberos, & vicissim illi erga eos, quo frater erga fratrem, cognatus erga cognatum. Vnde, qui eò processerunt in vitiis, vt ad hos quoque communes affectus, & ad ipsum naturæ sensum obsurduerint, ἄστοργοι vocantur, id est, moribus inurbani, & omni amoris amicitiæque sensu carentes, vt qui aliorum miseriæ compati nescientes, crudelitatem, minas & cædes semper videantur spirare. Huiusmodi plerumque sunt impij diuites, inhumani & immisericordes, qui de abundantia mensæ, nulli vel peregrino, vel hospiti refectionem præbent, quemadmodum *epulo ille diues* Lucæ 16. cum refertissimã mensam haberet, ne micas quidem mensæ illius *mẽdico Lazaro dari* patiebatur. Huiusmodi etiam affectus stultissimi & inhumanissimi fuit, *secundum nomẽ suũ*, stultus Nabal, 1. Reg. 25. qui de cibo suo nihil voluit reliquum *esse Dauid & pueris eius. Tollam*, inquit ille, *panes meos & aquas meas, & carnes pecorum quæ occidi tonsoribus meis, & dabo viris, quos nescio vnde sint?* Quare Dauid prætulisse figuram mendici in lib. 1. Reg. quæst. 57. scribẽs, obseruat Theodoret. Significãs n. egestatem rerum necessariarũ: *Inueniãt*, inquit, *pueri gratiam in oculis suis; da quod inuenerit manus tua.* Quid differunt hæc verba à verbis quibus vtuntur mendici? Sed vir ferus & sine omni affectione, tantum abest vt aliquid dederit, quin etiam irriserit contra illud Sapientis; *Noli afflicto addere afflictionem.*

Diuites, plerũq; inhumani.

Dauid, mendici figura.

Sine pace. Græcè habetur ἄσπονδοι, quod Erasmus vertit *nescij fœderis*, vel, vt eadem vox græca redditur Rom. 1. *sine fœdere*. Quemadmodum enim præcedens vox ad domesticos & conciues, quibus misericordia debetur, pertinet; Ita hæc ad alienos; cum qui-

quibus boni fœderis & amicitiæ vinculis copulari solent, qui naturâ non sunt coniuncti. Huiusmodi fœdera suiipsius amatores nescire ait Paulus, vel si semel inierint, violant, tanquam pactorum violatores, & fœderum iura rumpentes ac fœdifragi, de quibus apud Esaiam cap. 48. *Non est pax* (boni fœderis & amicitiæ scilicet) *impiis dicit Dominus*. Potest & hic horum verborum reddi sensus, quasi eos *sine pace, sine fœdere* futuros dicat, quod irreconciliabiles sint, vt quos semel læseris, non possis vllo fœdere aut vlla satisfactione placare.

Sui amatores, nescij fœderis & fœdifragi.

Alius huius loci sensus.

Criminatores siue *calumniatores* & aduersarij, ex proprietate Latini sermonis, non solum ij dicuntur, qui quoquo modo alteri aduersantur aut repugnãt, sed etiam qui in iudicio aduersus nos contendunt, nostræque causæ contradicunt; vel, secundum I.C. qui falsa crimina cuipiam intendunt, & per fraudem & frustrationem, alios vexant litibus, animoque hostili, proximo obsistere & repugnare conantur. Hæc nominis proprietas ex illo Domini dicto Matth. 5. constare potest: *Esto consentiens aduersario tuo cito, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te aduersarius iudici, &c.* Vbi, & Lucæ 12. eadem est vis & significatio *calumniatoris, Diaboli* & malitiosi *criminatoris*. Hinc est quod hoc *aduersarij* nomine, dictus sæpe in scriptura reperiatur Dœmon, cui respondet Græcum *Diaboli*, tum alibi, tum Apocal. 12. vbi dicitur: *Proiectus est Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Sathan*, id est, criminator, mẽdax, calumniator, quemadmodum eius nominis explicatio eodem Apocal. loco redditur: *Proiectus est accusator fratrum suorum, qui accusat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.*

Criminatores qui propriè dicantur.

Dæmon cur Diabolus seu criminator dicatur.

Iudas, cur dictus Diabolus.

Eandem ob causam, Iudas oportunè dictus est Ioan. 6. *Diabolus*, hoc est, criminator & calumniator, qui & piis Domini operibus repugnabat, & aduersabatur & calumniabatur, accusabatque Christi Domini facta & aliorum Apostolorum. Accedit etiam quod Diaboli & Pharisæorum, Christum calumnantium, ministrum se præbuerit, vt deferret Iesum apud iudicem iniquum. Ex quibus colligitur huius loci διαβόλους, siue *criminatores* & *calumniatores* debere vocari, qui non tam viribus ad nocendum, quàm malitia, mendacio & fraude criminationibusq́; falsis proximo aduersantur. In quo quidem Diabolum imitantur, qui in eo peculiariter mendacij & falsæ criminationis verus author & pater esse cognoscitur, quod cùm nobis ad peccatum author sit, deinde peccati ad quod nos incitauit, reos agit, de quo aptè dixit Chrysostomus, homil. 19. in Act. Apost. *Ferre eum qui contumelia afficit, Dei est: contumelia afficere immeritum Diaboli est.* Quo sensu, *Diabolus homicida fuit ab initio.* Ioan. 8. *Qui enim odit fratrem homicida est, & ille ab initio odit homines:* Hoc pacto omnis detractor & susurro, membrum Diaboli est: Vnde sequitur maledictum aut detractionem ipsi maledicenti & detrahenti maximam esse confusionem.

Criminatores hoc loco, qui?

Incontinentis vocabulum hoc loco quid denotet?

Quamuis *incontinẽtis* vocabulum, græco ἀκρατεῖς respondens, ab intemperantibus distinguat Aristoteles in Ethicis; generaliter tamen accipi debere ex interpretibus colligitur, quæ per defectum illi continentiæ opponitur, quæ firmat & perficit voluntatem, ne ab insurgentibus appetitionis sensitiuæ passionibus, pertrahatur ad id, quod est rectæ rationi contrarium; quasi incontinentiæ ratio in volun-

tate cedente & succumbente alicui tali inordinato affectui per consensionem consistat. Hanc incontinentiam reuocat ad ventrem, linguam & alia membra Chrysostomus; quasi Paulus cibi, potus, vestitus & reliquorum ad vsum vitæ pertinentium intemperantiam innuere voluerit.

6. *Immites, sine benignitate, proditores.*

Quæ sequuntur vitia, cõditionis inferioris proximum attingunt. *Immites* autem dicuntur, qui ex innata quadam crudelitatis & sæuitiæ libidine, ita cum hominibus agunt, vt lupi & feræ potius, quàm homines iure videri possint, iuxta illud; *homo homini lupus*. Ipsam quippe humanitatem, qua homines constituti dicimur, hoc ipso exuit is, qui non humanos, id est, lenes & temperatos, sed lupinos, id est, efferos & crudeles mores induit. Cum enim *natura hominis*, vt scribit Lactantius, lib. 2. cap. 20. *imbecillior sit quam cæterorum animalium, quæ ad perferẽdam vim temporum, vel ad incursiones à suis corporibus coërcendas, naturalibus munimentis prouidentia naturalis armauit; homini autem quia nihil istorum datum est, accepit pro istis omnibus miserationis affectum, qui plane vocatur humanitas, qua nosmet inuicem tueremur.* Hæc Firmianus, qui lib. 6. cap. 11. non immerito addit; *Conseruandam eam humanitatem, si homines dici velimus.* Homine enim, teste Seneca, lib. 1. de Ira, cap. 5. *nihil amantius, nihil mitius, dum in recto animi habitu est. Homo in adiutorium mutuum generatus est, vt aliorum commodis impendere sit paratus, &c.* Quare hoc immite hominum genus, tanquam perniciosam Reipub. pestem, à communi conuictu remouendum, sapienter præcipit M. Cicero,

Immites, qui?

Homo crudelis, non homo.

Crudeles à Reipub. vt perniciosiss. remouendi.

cero, lib. 3. Offic. cum ait: *Hoc genus* (crudelium hominum) *pestiferum & impium, ab hominum communitate exterminandum.* Etenim, vt membra quædam amputantur, si ipsa sanguine, tanquam Spiritu carere cœperunt, & nocent reliquis partibus corporis: Sic in ista figura hominis, feritas & immanitas belluæ, à communitate & tanquam humanitate corporis segreganda est.

Sine benignitate. Græca vox est ἀφιλάγαθοι, quæ Latinè reddi potest, non amici bonis, vel sine amore bonorum; ita vt *Benignitas* hoc loco, sit humanæ voluntatis propensio, qua homo fertur in proximũ, vt ei non modo bene velit, sed etiam faciat, vel (prout eam describit Hieronymus, in cap. 5. epist. ad Galat.) sit virtus inuitans ad familiaritatem sui, dulcis alloquio, moribus temperata. Quasi diceret Apostolus, tales eos futuros, vt quem sint visuri insigniter bonum, pium, iustum, odij eum potius, quàm amoris affectu sint prosecuturi; ideo videlicet, quod *contrarius is sit operibus eorum, & gratis abscondant interitum laquei sui.* Sap. 1. Psalm. 34. Non enim contrarium suis moribus iustum ferre possunt impij, quòd is bene viuendo, pietatemq́; colendo, videatur eorum vitam & impietatem coarguere. Hinc à primo Caino vsq; ad nefarios deicidas, ciuitas filiorum Dei ab impiissimorum Babyloniorum Ciuitate assiduo, perpetuoq́; bello lacessita fuit, nec vllam vnq̃ pacis cogitationẽ sumpsit; imo verò vnum, illudq́; perpetuum consilium cœpit, repetiit, promouit, quo iustis noceret. Quod Christus suis Apostolis futurum prædixit, cũ Ioan. 15. dixit: *Eritis odio omnibus hominibus* (impiis) *pp̃ter nomẽ meum,* id est, propter me, quia videlicet pietatem colitis.

Benignitatis descriptio.

Impĳ iustis semper aduersantur.

Diuersa

Diuersa autem sunt impiorum arma, quibus non tam se tegere, quam iustis nocere conantur. Arcus enim habet, vt *sagittent in occultis rectos corde*. Psalm. 101. gladium gestant, qui innocentem sanguinem profundat: *Et lingua eorum gladius acutus*. Psalm. 60. Nouaculam gerunt, quæ quasi ex insidijs & minimo sensu ac fere nullo grauissimè lædat: *Sicut enim nouacula acuta faciunt dolum*. Psalm. 15. Laqueum parant, in quem iustus imprudens incidat. *Absconderunt* quippe *superbi laqueum*. Psal. 139. Fustē sumunt, qui cedat, tundat, comminuat ossa; *Virgam* videlicet *superbiæ, & sceptrum exactoris*. Prou. 14. Dentes acutissimos habent, qui mordeant & dilacerent; nam est *generatio, quæ commandit molaribus suis*. Esai. 9. Aculeos præterea venenatos, quos altè defigunt. *Circundederunt me sicut apes, &c.* Psalm. 117. Ignem, qui in iustorum tabernacula iaculatus &c. stragem edat, *Et exarserunt sicut ignis spinis*. Psal. 117.

Diuersa impiorum in iustos arma.

Proditores, Græce habetur προδόται, & interprete Chrysostomo cum alijs, significat *desertores amicitiæ* & sodalitatis: quasi eo perfidiæ processuros sui amantes diceret Apostolus, vt nulla amicitiæ, necessitudinis ac perceptorum beneficiorum habita ratione, ad amicorum siue sociorum vel leuissimā calamitatem, societatis & amicitiæ vinculum sint protinus disrupturi. Talis proditor fuit Judas Ischariotes, qui derelicta Christi cæterorumq; Apostolorum societate & amicitia, *abijt ad principes sacerdotum & seniores*, vt eum morti traderet, à quo vitam acceperat. Tales item fuerunt ij, de quibus Job cap. 6. grauissimis verbis conqueritur, cum ait: *Fratres mei præterierunt me, sicut torrens, qui raptim transit in con-*

Proditores qui.

Vera amicitia, quędam est fraternitas.

uallibus. Quibus verbis, *fratrum* (sic amicos vocat, quod vera amicitia quędam sit fraternitas & animorum æqualitas seu coniunctio vt indicatum habetur Prouerb. 17. *Omni tempore diligit, qui amicus est, & frater in angustiis comprobatur*) perfidiam & in cõstantiam eleganti torrentis similitudine explicat. Quemadmodũ n. torrens optimo & maximè opportuno æstatis tempore, cũ, vel viatoribus, vel terræ arenti vsui esse posset, deficit & arescit; hyeme verò copiosissimis aquis retundat, cũ nulli vsui esse videtur, vtpote q, terra arboresq; cœlestibus pluuijs abundè pfunduntur: Ita multorũ amicitiæ, cùm opus non sunt, turgent, & fluctus atq; spumas magnificẽtissimarum pollicitationũ in sublimè tollunt; in aduersitate autem prorsus disparent & euanescũt. His amicitiæ & sodalitatis violatoribus, quasi per minas, diuinum supplicium dicto cap. 6. adiungit idem SS. Propheta Job, cum ait: *Qui tollit ab amico misericordiam, timorẽ Domini derelinquit.* Quasi dicat, eos qui vinculum illud perfectionis, quo amici inter se colligantur, vt in bonis & perfectione communicent, dissoluunt, adeoq; faciunt, vt ab amico debita tollatur misericordia, ipsum quoq; Dei omnipotenis timorem sit necesse, vt abijciant. Tanta est enim honestæ amicitiæ & societatis laus, vt qui ab illa discedit, à Dei amicitia discedat, & qui non timet amicitiam violare, & amicum lacescere, timorem Dñi derelinquat. Quare, sicut eadem est charitas, qua Deum diligimus, & proximum propter Deum: ita etiam eadem pietas & religio eos pios efficit erga Deum & beneficos erga proximum; adeò vt qui amicitiæ legem violat, veram religionem verumq;

Violatorum amicitiæ supplicium.

Amicitia laus.

Dei

Dei cultum & pietatem cum charitate coniunctam non habeat.

Per huius etiam loci *proditores*, præter iam dictos amicitiæ desertores, arcanorum consiliorum & secretorum non reuelandorum patefactores, vult intelligendos Augustinus tract. 123. in Joan de quibus scriptum habetur Prouerb. 11. *Qui ambulat fraudulenter, reuelat secreta.* *Alia proditorū acceptio.*

7. *Proterui, tumidi, &c.*

Quæ subijciuntur peccata, in seipsum potius, quã in alios committi videntur. Ac primo, eos *proteruos* futuros dicit, id est, secundum Græcæ vocis προπετεῖς etymologiam, *præcipites* & *temerarios*. Licet autem dicantur apud Latinos ij *temerarij* siue *præcipites*, non qui plus audent quàm oportet, sed, qui facilè, nullo adhibito consilio credunt, vulgique rumoribus nullo negotio assentiuntur, quemadmodum fit ex multorum Historicorum & Poëtarum dictis euidentissimum: nihilominus tamen duplicem *temeritatem* duplici virtuti oppositam faciunt Theologi. *Proterui siue temerarij qui.*

Vnam *Prudentiæ*, per defectum opponentes, à *Præcipitatione* ita distinguunt, vt hæc sit Consilium non satis maturum aut circumspectum, pro qualitate negotij: aut etiam definitio planè inconsulta eius, quod sit agendum; ita tamen vt consilium illud immaturum, ex solo impetu voluntatis procedere debeat: Si enim illud immaturum consilium non ex impetu voluntatis, sed ex contemptu aliquo regulæ agendi procedat, *Temeritas* erit. Alteram *Temeritatem Fortitudini* per excessum, contrariam volunt, eamq; dicunt, cum quis temerè audet & aggreditur q, nõ debet, aut sicut nõ debet, aut quãdo nõ debet: *Duplex temeritas duplici virtuti opposita.* 1. 2.

Quam

Quam *Temeritatem*, plurimun Scriptura vituperat; vt patet Eccl. 8. *Cum audace* (temerario) *non eas in via, ne forte grauet mala sua in te.*

Tumidi nomine qui intelligendi.

Tumidi. Græcè habetur τετυφωμένοι, id est, *inflati*, Et per hoc, intelligit Apostolus eos, qui in re quapiá sibi insignes videntur, & ex ea opinione, quam de se habent, inflantur; similititudine videlicet sumpta à follibus, qui flatu turgescunt. Quemadmodum enim folles quamuis depressi, modico flatu eoque non proprio, sed ascititio inflati tument; ita & illi, de quibus hoc loco Paulus, vilis licet conditionis, modicis huius mundi bonis ijsq́; non proprijs, sed alienis, quasi quodam vento inflati tument & superbiunt, &c.

8. *Voluptatum amatores magis quam Dei.*

Duæ hominis vxores virtus & voluptas.

Rectè dixit in lib. de sacrif. Abel & Cain, Philo, duas esse hominis vxores, *virtutem*, nempe & *voluptatem.* Virtute, naturæ humanæ nihil conuenientius cum fingi possit, tum ei maximè necessaria est. Cum enim vnicuique rei naturale sit, vt finem suum appetat, tum solius *Virtutis* præsidio, DEVS, qui vltimus finis noster, & sola beatitudo esse debet, appetitur. Homines enim particula quædam sunt ipsius Dei, qui nostrum quoddam totum est, cuius, non per naturam, sed per gratiam, pars quædam sumus, quæ nos *consortes diuinæ naturæ effecit* 2. Pet. 1. Cum igitur naturę diuinæ participes effecti simus, certum est beneficijs Deum esse nostrum parentem, potestate Dominum, electione DEVM. *Elegit enim nos in filio suo* renatos in peculium & populum suum, sic-

Homines sunt quodammodo Dei quædam particula.

ut olim in amico suo Abraham, & electo suo Isaac, & dilecto suo Iacob, veterem populum elegerat: Quamuis nouo redemptionis beneficio, quo filius Dei factus est caro nostra, & frater noster, non iam solum Dominus Deus noster sit, sed & pater noster quo etiam titulo, quotidie eum inuocamus.

Dei super omnia amor homini naturalis

Ex quibus fit euidens, quàm Dei super omnia amor, hominum generi sit naturalis & consentaneus. Quis enim nescit vni Deo omnia referri accepta oportere? Si namque beneficia ipsius gratuita spectes, nullius maiora fuerunt aut esse possunt. Si amicitiæ rationem habere velis, eius tanta in homines fuit dilectio, vt Deus pater *filium suum vnigenitum dederit*, Ioan. 3. & Filius, seipsum eiusdem causâ, tradiderit. Tit. 3. vt hominem amicum de inimico faceret. Et, si bonitatis pulchritudinisque eximia species amorem promeretur, immensa illius pulchritudo & præ filijs hominum species, qui *lucem habitat inaccessibilem*, immensæq; illius bonitatis diuitiæ animo comprehendi nō possunt. Certè, si amor precio emitur, nemo humano amori maius preciū consignare poterit, quam ille qui vitam ei cœlestem & gloriam certissimò retribuet. Quare, his & mille alijs titulis, naturalem hominis amorem naturaliter in Deum iustissimè potentissimeq; ferri debere, nemo non videt; adeò, vt *voluptatum* improbi *amatores*, paruam, vel certè nullam naturæ suæ rationem habeant, cum postposito Deo, *voluptates* & terrenas huius mundi delicias diligunt. Hinc est, quod huiusmodi non abs re passim *ainmales, carnales, &c.* homines vocet Apostolus, vt *quorum venter Deus sit, &c.* Philipp. 3. Quamobrem, serm. 33. de verbis Domini, *rerum terrenarum amorem, spiritualium pen-*

Varij amoris tituli in Deo.

Voluptatum amatores carnales & animales dicuntur

narum viscum appellat D. Augustinus, quo visco plurimos capit tartareus auceps, idcircò videlicet, quod *voluptas* sit omnium esca malorum, (vt Plato eam vocauit) qua homines capiuntur, vt hamo pisces; sapienter proindè M. Cicero eandem *blandissimam Dominam* appellauit, quæ non aliter ac iniqua vxor, viro dominatur, tyrannidemq; exercet blandissimam. Quò autem blandior, eò est periculosior, quia vehementius allicit; quia, vt author est citatus Cicero lib. 2. offic. *Voluptates blandissimæ Dominæ sæpe maiores partes animæ à virtute detorquent*. In regno namq; voluptatis, virtuti locus esse non potest, quemadmodũ idem ex Archyta Taréntino testatur, in illo, quem de senectute inscripsit, cum ait: *Impedit consilium voluptas rationi inimica, ac mentis perstringit oculos, nec habet vllum cum virtute commercium*. Quæ cum ita sint, rectè *voluptatem* rabidũ laniantemq; canem appellat Nazian. Greg. in orat. 11. vt moneat hominẽ, qui rabie agitari, aut laniari nõ vult, à voluptatis amore alienum esse debere, cùm nulla capitalior pestis, corporis voluptate hominibus à naturâ sit data.

Voluptas viscum.

Voluptas, canis rabidus.

9. *Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.*

Loco *speciei*, habetur Græcæ μόρφωσις, idem sonans ac Latinè *formatio*; huius porrò loci *virtus*, vim siue robur & potentiam, non habitum rationi rectæ consentaneum significat: Et est, quasi diceret Apostolus, tales impostores futuros, qui dictis, credendi, viuendique modum alijs præscribant; quasi ipsi pietatem & virtutem ament, cùm tamen diuersa sequantur, & faciant. Ab huiusmodi Hypocritis,

Huius loci sensus.

critis, Matthæi ſeptimo. Dominus diligenter attendendum præmonuit, eo quod *veniant ad vos*, inquit, *in veſtimentis ouium*, id eſt, cum pietatis ſpecie, cum tamen intrinſecus *ſint lupi* rapaces, qui nihil minus, quàm pietatem colunt. Quod proprium Hæreticorum eſſe, quos ſuperbia, Ambitio & aduerſarius noſter Diabolus in agrum Eccleſiæ mittit, nullus non videt, cum vel ipſi hodierni temporis Sectarij, præter Euangelium plenis buccis nihil concrepent, nullo tamen pacto ſecundum Euangelium docẽt & viuunt. Nec mirum: *Sicut enim Dæmon in angelum lucis ſe transfigurat*, vt ait Paulus 2. Corinth. 11. Sic ſuos commutat miniſtros Sathanas. Eiuſmodi *Pſeudoapoſtoli*, ait, *ſunt operarÿ ſubdoli transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. Et non mirũ: Ipſe n. Satanas transfigurat ſe in angelum lucis; non eſt ergo magnum, ſi miniſtri eius tuansfigurentur velut miniſtri iuſtitiæ.* Transfigurãt ſe lupi in oues, ouinaque pelle lupinam tegunt rapacitatem, foris oues, intus lupi, virtutis & pietatis ſpeciem quandam oculis obijciunt; ex corde Hæreſeos venenum euomunt; *verbis confitentur ſe noſſe Deum, factis autem* eundem *negant*, Tit. 3. Scripturam profitentur, ſed inſtigante Diabolo, aliud faciunt, quàm Scriptura præſcribat: ad ſanctorum vitam & mores per ſimulationem, ſeſe quantum poſſunt, effingunt, ſed gloriam, honores, opeſque hoc artificio aucupantes. *Hæretici, veri hypocritæ.*

Hanc hypocryſim, ſiue ſimulationẽ cauendã monuit Apoſtolus, Coloſſ. ſcribens, cap. 2. cum ait: *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate & religione angelorum*, id eſt, interprete Hieronymo; Nemo ficta humilitate ſuperbus, & angelos ſe videre mentiens fruſtra ſe *Hypocriſis vitanda.*

apud homines iactet. Huius generis Hypocritæ fuerunt olim Pseudoprophetæ illi, qui *pallio induebantur saccino*, vt mendacia sua habitu tegerent, quemadmodum videre est apud Zachariam, cap. 13. vbi dicitur: *In die illa confundentur Prophetæ* (falsi) *vnusquisque ex visione sua cum Prophetauerint. Nec operientur pallio saccino, vt mentiantur.* De quorum Prophetarum supplicio ibidem subijcitur: *Cum Prophetauerit quispiam vltra, dicent ei pater eius & mater eius, genitores eius, &c.* Quibus verbis, Dei Propheta Hæreticum & impostorem siue Pseudapostolum, qui praua doctrina populum corrupit, adeò morte vult esse dignum, vt ab ipsis etiam progenitoribus huiusmodi supplicio debeat mulctari.

Hypocritarum supplicium.

Quod porrò hodierni Sectarij, pietatis & religionis speciem quandam externam præ se ferant, eius verò vim omnem & energiam abnegent, ita est perspicuum, vt probatione vix indigeat. Quid enim aliud est illa Reformationis Ecclesiæ professio, cum se abusuũ, qui in Ecclesiam irrepserunt, *Reformatores* dicunt, Ecclesiam suam Reformatam vocant, quàm veræ pietatis & religionis species? Hoc enim dum dicunt, aliquam veteris & purioris Ecclesiæ formam videntur agnoscere. Cæterùm species & forma duntaxat pietatis est, non ipsa veritas, cùm id respuant & abnegent, in quo posita est tota Christianæ pietatis vis & medulla, nempe fidẽ, spem & charitatem: Hoc autem inde manifestè apparet, quod nullius sæculi politiam, & formam Ecclesiasticam admittant, omniumq; sæculorum ritus & cæremonias damnent, vniuersos Patres & scriptores Ecclesiasticos ab ipso Apostolorum tempore,

Sectariorum nostri temporis hypocrisis.

Reformata Lutheranorum Ecclesia.

re, excipiant. Pietatis etiam speciem habet, Apostolicam paupertatem profiteri, contra Ecclesiastico rum possessiones & fortunas debacchari, &c. Sed virtutem eius abnegant, cum Ecclesiasticorum prouentus liberè inuadant, summaque ambitione honores Ecclesiasticos appetant. Pietatis etiam simulatio est, fidem & fiduciam de promissionibus Christi, deque eius gratuita propitiatione extollere, nostris operibus & qualitatibus, tanquam immundis & semper contaminatis omnem salutis rationé tollere: Hoc enim ad Christi gloriam plurimum facere videtur. Sed pietatis abnegatio est, quod sub huius vanæ fidei & fiduciæ prætextu, à debita pœnitentiâ ante reconciliationem, & à studio bonorũ operum post reconciliationem, homines auellent. Pietas esse videtur, Christum propitiatorem pro peccatis nostris, Christum iustitiam, redemptionem & sanctificationem ita prædicare, vt solius Christi iustitia nobis imputata, nostra sit iustitia: Id enim & nobis dulce, dum ab omni iustitiæ comparandæ labore nos liberat; Christo verò Domino videtur gloriosum, dum eius passionem & mortem *qua* sola *nos in sempiternum sanctificauit*, Hebr. 9. vehementer extollit, vt *qui gloriatur non nisi in Domino glorietur*. Sed tantum abest à pietate, vt impia & horrenda sit blasphemia, vtpote quæ Christi passioni vnum tribuat, alterum vero, quod æquè debetur, adimat. Neq; enim Christi passio solùm fuit propitiatio contra pœnas peccato debitas, quas in corpore suo pertulit *vulneratus propter iniquitates nostras, portans dolores nostros*. Esaiæ 53. nec solum fuit redemptio peccatorum præteritorum in iis, quos semel iustificat, remittendo pec-

Lutherani paupertatem profitentur, vt bona Ecclesiast. tollant.

Redemptionem per Christum in vno amplificant in aliis negant.

Passionis Christi fructus.

cata, iuxta illud Roman. 3. *Quem proposuit propitiationem per fidem in sanguine eius, propter remißionem praecedentium delictorum, &c.* quæ duo, tanquam speciem pietatis habentia ostentant Hæretici) sed præterea Christi passio fuit redemptio à seruitute peccati & Diaboli in ipsis iam credétibus & iustificatis, quemadmodum pluribus locis tradunt SS. Literæ Rom. 8. Coloss. 1. Tit. 2. Hebr. 2. &c.

Matrimonium suadent, vt virginitatis statum tollant.

Veræ pietatis prætextum videtur habere hæc illorum oratio, se propter occultas immunditias & vagas libidines, cælibatum Cleri, ipsumque Monachismum in vniuersum è medio tollere: sed nihil est preter manifestum carnis patrocinium, Christo Saluatori & Apostolo ex diametro aduersum, quorum ille Matth. 19. laudat *eunuchos se castrantes propter regnum Dei;* hic vero vult *omnes esse sicut seipsum,* cælibes videlicet; adhortatur *viduam sic permanere*, affirmat *virgines, si non nubant, melius facere*. 1. Corinth. 7.

Vnum mediatorem contra Sanctorum inuocationem stabiliunt.

Insignis denique pietatis laruam habet, frequens apud eos vnius solius Mediatoris Iesu Christi professio. Sed detracta larua, impietas apparet, cum sub hac verissima propositione, impium sensum contra sanctorum patrocinia, intercessiones, inuocationes nefariè stabiliant. Neque enim sic vnus mediator est Christus, vt nullo sensu alij mediatores esse possint; cum non sic & eo sensu sancti mediatores habeantur, quo Christus vnus est mediator. Agnoscũt enim Catholici cum Apostolo, vnum & solum mediatorem Christum Iesum, qui per se, immediatè, suâ virtute, plenariè, & ex iustitiæ rigore Patrem interpellet pro nobis: Sanctos verò omnes non per se, sed per Christum, non virtute sua excludendo Christum,

Quomodo Christus & sancti mediatores constituantur.

stum, sed virtute donorum Christi; non immediatè & proximè, sed mediante Christo capite, cuius membra sunt, non plenariè, sed ex parte & certa proportione, qualis inferiori membro competit ratione capitis; nec denique ex rigore iustitiæ absolutæ, sed ex diuina misericordia, *qui coronauit eos in misericordia & miserationibus.*

10. *Et hos deuita.*

Pronomen, *hos*, vel importunos sui ipsius amatores, vel hypocritas, qui pietatis quandam speciem habent, cùm eius vim & energiam ignorent, demõstrat. Verbo verò *deuitandi*, sic Antistitis animum ab illorum societate auersum cupit, vt nihil cum eis commune, siue factis siue dictis eundem habere velit; quin potius eosdem detestetur, abominetur, & auerso corrugatoque vultu se eosdem odio prosequi declaret. Huius verbi synonymum videtur esse obseruatio, eius epistolæ, quæ Romanis scripta est, cap. 16. *Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab eis; nam per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.* Eidem respondet, quod 2. Ioan. 1. ait Dilectus Christi Discipulus: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere in domum, nec aue ei dixeritis.* Huc etiam accedit verbum *attendendi*, quo Matth. 7. vtitur Dominus, vt scilicet diligẽter ab impostoribus & pseudoprophetis, Christi cultores caueant. Vbi homil. 19. Auctor operis imperfecti in Matth. *Non dixit*, inquit, *aspicite, sed attendite: Aspicere enim est simpliciter videre; attendere autem est cautè considerare. Vbi enim*

Deuitandi verbum quid denotet.

Hæretici vitandi.

certa res est & indubitabilis, aspicitur; vbi autem incerta & dubitabilis, attenditur. Attendere autem iubet non corporali aspectu, sed vigilantia spirituali. Hæc ille. Sic Ioannes, 1. suæ epist. cap. 4. *Nolite omni spiritui credere, sed probate, an ex Deo sint:* Vbi *probare*, sicut & *attendere*, examen & discussionem significant diligentem. Quæ scripturæ frequẽtes admonitiones plurimum hodie sunt necessariæ, eo quòd sit difficile hæreticum magistrum à Catholico, falsum prophetam à vero, lupum à pastore discernere, nisi attendas, nisi probes, nisi obserues. Adulatorem à vero amico, hypocritam à vero iusto, verisimile à vero, difficilius est discernere & distinguere, quàm apertum hostem, manifestè impium, & euidenter falsum cognoscere.

Non tantum hæreticorum familiaritas, sed verba & libri vitanda.

Cum porrò pseudoprophetas deuitandos cupit Apostolus, non tantùm eorum consortia & familiaritatem prohibet; sed præterea eorum voces & verba nullo modo vult audienda, cum etiam eorum libros & scripta non esse legenda, eo quod vtrobique par periculum immineat, & eorum *sermo vt cancer* quotidie latius *serpat*. Quamobrem, S. Irenæus, lib. 3. cap. 3. *Tantum*, inquit, *Apostoli & eorum discipuli habuerunt timorem, vt neque verbotenus communicarent alicui eorum, qui adulterauerant veritatem.* Cui subscribens Augustinus, epist. 62. *Hæreticum*, inquit, *sicut vitandum monemus, ita non abnuimus quibuscumque modis corrigendum:* Et hoc, quia *viperea sunt Hæreticorum colloquia*, vt ait S. Leo, serm. 18. de passione Domini, ita vt Christiano *nihil commune esse debeat cum eis, qui solo sunt nomine Christiani.* Quare iamiam moriturus B. Antonius, vt in vita eius indubitatus author Athanasius,

nasius, scriptum reliquit, sic est suos allocutus: *Zelum meum contra Hæreticos omnes & veritatis hostes tenete. Scitis, quia nihil vnquam illis molliter aut pacificè locutus sum. Itaque venena illorum & colloquia prorsus vitate.* Nec dissimilis fuit sancti Basilij ad suos subditos admonitio, epist. 73. *Congressus*, inquit, *Hæreticorum subdolos & ad subuersionem audientium instructos declinetis.* Cuius rei tres causas subiungit. Prima; *vt dilectionem*, inquit, *erga nos sinceram custodiatis*; Non enim potest pastorem suum colere, Ecclesiamque diligere, qui cum Hæretico libenter conuersatur, alienoque aurem præbet. Secunda; *vt Patrum fidem infractam & sanam seruetis*; Eam enim semper imminuere & infringere conatur Hæreticus, dum ipsorum loco se audiri præcipit. Tertia; *vt apud Dominum, tanquam probati veritatis amici deprehendamini*, nempe iuxta illud Apostoli 1. Corinth. 11. *Oportet hæreses fieri, vt qui probati sunt in nobis, manifesti fiant*, id est, vt firmi & validi in fide innotescant. Vnde, qui Hæreticos non vitat & auersatur, eorumque dictis lubētes aures præbet; nec Pastorem suum Christi loco diligit, nec maiorum suorum fidem reueretur, nec firmus ac probatus est veritatis amicus.

Hæretici cur vitandi tres S. Basilij rationes.

1. 2. 3.

Quod si igitur tantopere vitanda sunt Hæreticorum colloquia, quanto magis libri; cum oratio in libris scripta sit magis composita & artificij plena, quàm quæ in colloquiis vsurpatur. Semper deinde libri ad manus esse possunt, cùm conciones & colloquia sint raræ. Verba denique ore prolata mox transeunt, at verba in libris manent, perpetuò & semper nobis adsunt, nobiscum peregrinantur, nobiscum

Hæreticorum libri nullo modo legendi.

1. 2. 3.

4. domi sedent, &c. Accedit præterea, quod libri magis spargantur, cum possit aliquis per libros toti fere terrarum orbi simul loqui, & multorum domos & cubicula penetrare, quos author libri nunquam vel vidit, vel alloquetur, quemadmodum vel vnus impius Ioannes Wicleff exemplo esse potest, qui viua voce paucissimos in Anglia peruertit, cùm tamen libris totam fere Bohemiam infecerit. Tametsi vero Hæreticorum libris multa bona contineri videantur, quibus proinde propter aliqua mala, boni priuari non debeant, recte tamen occurrit beatus Gregorius, libro quinto capite vndecimo Moral. hoc esse proprium Hæreticorum, vt veris falsa permisceant, & bonis mala. Nam *si sola falsa & mala dicerent*, inquit, *ab omnibus repellerentur; si sola vera & bona, Hæretici non essent. Itaque omnia miscent, vt ex malis bona inficiant, & per bona mala sua abscondant.* Et hæc etiam causa est, cur Christus & Apostoli prohiberent Dæmones vera dicere, ne videlicet per ea vera fidem sibi acquirerent, & postea falsa etiam illis crederentur. Sic Lucæ 4. Dominus non sinebat Dœmones dicere; *Tu es Christus, Filius Dei.* Et Actor. 16. cap. Apostolus prohibuit Diabolo dicere; *Isti homines serui Dei excelsi sunt, quia annuntiant vobis viam salutis. Quamuis* enim *sint*; ait sanctus Leo Magnus, epistola nonagesima tertia, capite decimo quinto; *in Hæreticorum scriptis* (addo & dictis) *quædam, quæ videantur eruditionis & pietatis speciem habere, nunquam tamen vacua sunt venenis:* Nam, vt scribit ante citatus Gregorius, miscent recta peruersis, vt ostendendo bona auditores ad so per-

Hæretici mala bonis admiscēt.

Dæmones vera dicere cur prohibiti.

pertrahant, & exhibendo mala, latenti peste corrumpant.

11. *Ex his enim sunt qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis.*

Causam reddit Apostolus, cur Hæreticos & pseudoprophetas præceperit deuitandos, hoc sensu: Dixi vt deuites auerseris que eos, qui nimio sui amore tenentur, externamque pietatis & religionis speciem duntaxat præ se ferunt; quia huiusmodi sunt, qui nihil intactum relinquunt, sed, qua sunt impudentia, vel ipsa domus abdita perscrutantur, vt mulierculas alliciant, suisque falsis dogmatibus easdem faciant sibi obnoxias. *Penetrandi* namq; verbo, clancularem & impudẽtem impostorum ad fallendum ingressum significare voluit Apostolus; cum non per ostium, sed aliunde, simplicium penetralia rimentur hæresum suarum zizania saturi sectarij. Sicut enim edulij odore illecti canes sensim, vel in culinã, vel in penu reptitant, donec artificiosa quadam velocitate (quasi aliud agentes) prædam eripiant: ita Hæretici, non minori pietatis specie, quàm conficto defendendæ veritatis studio aggrediuntur innocentes, errorum laqueis paulò post irretiendos. Vnde, quia *fur*, iuxta Domini sententiam; *non venit nisi vt furetur, mactet & perdat*, adiungit Apostolus, eos sua impudentia & decipiendi facultate, *mulierculas ducere captiuas*; eo quòd videlicet,

Cur hæretici deuitandi.

Hæreticorum impudentia.

Penetrandi verbum quid importet.

Hæretici mulierculanum adminiculo sæpius vsi.

in more semper habuerit hæresis, vt fallendi initium à mulierculis faciat; quarum opera magnam semper editam stragem nemo non nouit. Omnes quippe, vel saltem plerique Hæretici, ad suas hæreses astruendas fœminarum adminiculo & ministerio vsi sunt, quemadmodum fusè persequitur diuus Hieronymus, ad Ctesiphontem aduersus Pelagianos, vbi inter cætera: *Simon Magus*, inquit, *hæresim condidit Helenæ meretricis adiutus auxilio. Nicolaus Antiochenus choros duxit fœmineos. Marcion Romam præmisit mulierem, quæ decipiendos sibi animos præpararet. Montanus immundi Spiritus prædicator, multas Ecclesias per Priscam & Maximillam, nobiles & opulentas fœminas, primùm auro corrupit, deinde hæresi polluit.* Sic Diabolus Heuam adorsus est, vt per eam primi parentis innocentiæ & sanctitati insidiaretur. Genes. 3.

Hæretici Diabolis imitatores, mulieribus abutuntur.

Hoc ipsum Hæresiarchæ ferè omnes ad eius imitationem effecere, cum mulieribus abutentes, ad stabiliendos errores earum opera sunt abusi, quemadmodum constat ex historiis Ecclesiasticis, Hieronymo item & Augustino. Et hoc ideo, quòd fœminæ sint discendi cupidæ, probandi iudicium non habentes, garrulæ, placidæ, conceptæ opinionis tenaces, pietatis prætextu adornatæ, quarum consilia quàm sæpè fuerint viris perniciosa, iam inde à condito mundo, luculenter docet Scriptura. Certè, primæ mulieris consilium quàm generi nostro fuerit perniciosum, ingemimus; vt sileam Iezabelis consilium, Zares vxoris Aman, Herodiadis, & similium, quarum ope ad decipiendos virorum animos vsus est, & etiamnum vtitur Cacodæmon.

Muliebre ingenium.

Vnde

Vnde cap. 7. dixit Ecclesiasticus; *amariorem morte esse mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius; vincula sunt manus illius; qui placet Deo effugiet illam; qui autem peccator est, capietur ab illa, &c.* Vbi significat Sapiens, terram mareq; infestari à turpi fœmina, imò & aërem, Ecclesiast. 9 *Ne respicias multinolam, ne forte incidas in laqueos illius.* Est quippe illa laqueus auiculis simplicissimis, de quibus dictum est, Prouerb. 7. *Adolescens sequitur eam, quasi bos ductus ad victimam, &c.* Velut si auis festinet ad laqueum, &c. Sed hæc videntur potius artis & calliditatis, quàm fortitudinis & virtutis, de qua tamen habetur Eccl. 9. *Ne des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtute tua, & confundaris.*

Et hinc factum est, vt *muliercularum* nomine, non solum miseram naturæ conditionem, sed morum etiam prauitatem indicare soleat scriptura. Est enim mulier totius iniquitatis, scelerum, mendaciorum inuentrix, machinatrix & typus, vti Zachariæ cap. 5. ostenditur. Nam cùm vidisset Propheta mulierem sedisse in medio amphoræ, dictum illi ab angelo est: *Hæc est impietas*: Quasi fœminæ iniquitas, omnem scelerum modum atque mensuram non solum implere, sed etiam cumulare & excedere videatur. *Muliercularũ nomine morum peruersitas designatur.*

Dicuntur porrò illæ *mulierculæ*, quæ ab impostoribus decipiuntur, *duci captiuæ*, quia qui ad peccandum ab aliquo inducitur, eius seruus & captiuus efficitur, iuxta id quod Joan. 8. dixit Dominus: *Qui facit peccatum, seruus*, id est, captiuus & mancipium, *est peccati*; quia peccato est obstrictus & subditus, eò quod illi obediuit, & ab illo est superatus, *Mulierculæ cur captiuæ dicantur.*

iuxta illud Pauli Rom. 6. *Nescitis, quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum serui estis eius cui obedistis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam.* Et illud 2. Petri 2. *A quo quis superatus est, huius & seruus est.* Quamuis enim peccati transeat actus, macula tamen velut stigma permanet; propter quam dicitur homo *seruus peccati* & permanere in mortifero peccato, quandiu illa permanet. *Captiuus* namque est, neque à peccato suis se viribus liberare potest, sed Dei solius gratia & meritò Christi, in cuius aduentu dicitur Lucæ 4. *captiuis peccatorum prædicata remissio.*

Peccato peccati seruus efficitur.

Seruitutis peccati fœditas.

Tanta est porrò seruitutis peccati fœditas, eius vt seruitute fœdius quidquã vel dici, vel fingi non possit, aut etiam cogitari. Si enim turpissimam existimant homines & abiectissimam mancipiorum seruitutem, multò sanè & abiectior est impiorum seruitus, cum illa corporis sit, hæc animi nobilissimi: illa stigma inurat ori; hæc menti: illa corpus obstringat vinculis, hæc animum grauissimis oneret compedibus. Vnde illud Prouerbiorum 5. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.*

Peccati natura

Pulchrè autem peccati naturam expressit hoc loco Apostolus, cùm eas *mulierculas duci captiuas* dixit, quæ sunt oneratæ peccatis; eo quod sit iustum, vt qui *in sordibus est, sordescat adhuc*, quemadmodum Apocal. 22. scriptum est. Sordibus enim scelerum obnoxijs haud difficile est à Pseudapostolis contaminari & falsorum dogmatum inquinari erroribus, variorumq; peccatorum confusione (qualis est in aceruis) & diuersis concupiscẽtijs pecuniarum, glo-

riæ,

riæ, iactantiæ, honoris, deliciarnm, voluptatum, ad hæresim pellici, quemadmodum hodierna docent tempora. Tantum est enim peccati pondus, vt eò nihil magis vehementer mentis oculos perstringat, nihil magis deijciat atq; prosternat (quemadmodum annotauit Chrysostomus, homil. 40. in Matth.) quam male actæ vitæ & peccatorum conscientia & recordatio. In quem sensum, Psalm. 37. Regius vates: *Iniquitates*, inquit, *meæ supergressæ sunt super caput meum; & sicut onus graua grauatæ sunt super me*. Sunt enim iniquitates & peccata sicut onus graue grauantia super peccatorem, & ita grauantia, vt necesse sit miserè corruere, nisi Deus ab eo tollat & transferat peccatum, quemadmodum capite secundo, indicauit Esaias, cum ait: *Grauabit illos iniquitas sua, & corruent & non adijcient vt resurgant*. Huius rei exemplum esse potest Jonas Propheta, qui vnico inobedientiæ peccato grauatus mare nauigans, ita eo pondere nauem depressit, *vt ea periclitaretur conteri*, quemadmodum dicitur Jonæ primo. Nec profuit nautis eius nauigationis socijs, mittere vasa, quæ fuerant in naui in mare, *vt alleuiaretur ab eis*, nisi cum ipso peccatore peccatum tollerent, propter quod oriebatur tempestas, & propter cuius grauitatem *ibat mare, & intumescebat super eos vt nauis periclitaretur conteri*. Nihil enim est peccato grauius, cuius grauitatem infinitam esse, videtur agnoscere Job, capite vigesimo primo, cùm de impijs loquens: *Ducunt*, inquit, *in bonis dies suos & in puncto ad inferna descendunt*. Descensus in puncto siue in instanti, non nisi ex infinita quadam grauitate

Peccatum pondus grauissimum.

Exemplum grauitatis peccati.

Nihil peccato grauius.

grauitate fieri potest: Nam ex Philosophiæ regula, quò maior est grauitas, eò velocior descensus; ita vt infinita debeat ibi esse grauitas, vbi descensus in instanti. Hinc est, quod illi spiritus in solidissimo & quasi ære fuso Empyrei cœlo creati, vbi se peccati pondere grauissimo alligarunt, lapsi præcipites *in puncto ad inferna descenderunt.* Et cum nihil sit ijsdem angelis subtilius, nihil ad ascendendum aptius, vnico tamen superbiæ peccato quasi magno pondere addito in tartarum detracti, eodem ita alligantur, vt nulo modo eo vnde exciderunt, remeare possint. Sic & animas, quæ purgatorij ignis loco continentur, nihil aliud prohibet in cœlum euolare, nisi hoc pondus, id est, aut leues culpæ, aut peccatorum pœna nondum persoluta. Quin & ipse Christus, qui nulli peccato obnoxius, peccata nostra ad pœnæ solutionem duntaxat assumpsit, vsque adeò illorum grauitate depressus est, vt per Regium vatem, Psal. 68. dicat: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Quare, parum est hoc pondere grauatos Ægyptios *descendisse in profundum quasi lapides.* Exod. 15. Parum quoque eo pondere depressam submergi Babylonem colligato *ad librum sententiæ & supplicij illius lapide*, & *non consurgere à facie afflictionis quam Dominus adducit super eam.* Jer. 51. Parũ sumi ab *angelo forti lapidem quasi molarem magnum & mitti in mare*, eo dicente: *Hoc impetu mittetur Babylon & vltra iam non inuenietur.* Apocal. 18. Parum denique impiam illam mulierem proijci in medio amphoræ, & mitti massam plumbeam in os eius; nisi postquam *leuauerunt amphoram inter cælum & terram*, dimittatur, vt *in puncto ad inferna descendat.* Zach. 5. Job 21.

Peccati pondus infinitum.

Cur

Cur autem *mulierculæ* ab impostoribus decepta, peccatorum, siue etiam hæreseos captiuæ efficiantur, duplicem rationem reddere videtur Apostolus; quarum prima est ipsum peccatum, cum dicit *oneratas peccatis*: quasi diceret, ideò peccatorum captiuas, quia peccatis oneratæ. Solent enim peccata, quæ per pœnitentiam expiata non sunt, suo pondere animum in alia deprimere, vt autor est Gregorius; ita vt peccata, non solum sint peccata, sed & causæ sequentium peccatorum, & pœnæ antecedentium. Quod hoc exemplo declarat Gregorius, libro vigesimo quinto, Moral. capite 9. *Effrenata ventris ingluuies in feruorem luxuriæ plenitudinem carnis instigat; perpetrata autem luxuria sæpe aut periurio aut homicidio tegitur, ne humanarum legum vltione puniatur. Ponamus igitur ante oculos, quod quidam voracitatis sibi frena laxauit, quod voracitate superatus adulterij facinus admisit; deprehensus autem in adulterio, latenter virum adulteræ, ne ad iudicium traheretur, occidit. Hoc ergo adulterium inter voracitatem & homicidium positum, de illa videlicet nascens, & hoc generans, peccatum est, & pœna &, causa peccati: peccatum est per semetipsum; pœna autem peccati est, quia culpam voracitatis auxit, causa autem peccati est, quia subsequens homicidium generauit.* Hæc ille.

Duplex ratio cur mulieres captiuæ dicantur.

I.

Peccata, & causa sequentium, & pœnæ antecedentium peccatorum.

Vnde Deum peccata peccatis punire, non solum docet Paulus, Roman. 1. qui Ethnicorum sapientes in pœnam fœdissimæ idololatriæ, *traditos* fuisse testatur *in reprobum sensum* & turpissima flagitia. Et ad Thessalon. capite secundo, his verbis: *Quia charitatem veritatis non receperunt vt salui fierent, ideò mittet illis Deus operationem erroris vt credant menda-*

Peccata peccatis punit Deus.

cio, &c. Sed etiam Regius vates, immò ipse Christus in persona & verbis Prophetæ, cum in Judæos dicit ad Patrem Psalm. 68. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam.* Quam doctrinam secutus D. Augustinus, libro quinto contra Julian. capite tertio. *Cæcitas mentis*, inquit, *quam solus remouet illuminator* DEVS, *& peccatum est, quo in* DEVM *non creditur; & pœna peccati est, quo cor superbum digna animaduersione punitur; & causa peccati est, cùm mali aliquid cæci cordis errore committitur.* Et Isidorus, libro secundo, de summo bono, cap. 19. *Pœna*, inquit, *peccati peccatum admittitur, quando pro merito cuiusq; peccati Deo deserente in aliud peccatum deterius itur, de quo amplius qui admiserit, sordidetur. Præcedentia itaq; peccata sequentium criminum sunt causæ, vt illa quæ sequuntur sint præcedentium pœnæ, &c.* Hæc Isidorus.

Obiectio. Quomodo peccatum pœna dici possit.

Sed cùm peccatum ita voluntarium sit, vt, si voluntarium non sit, peccatum esse non possit; pœna verò vt pœna inuoluntaria sit, nec pœna dici possit, si voluntaria sit; Item, cum omnis pœna iusta sit, vtpote à diuina descendens iustitia, quemadmodum disputat, libro 1. Retract. cap. 9. D. Augustinus: non immeritò quis dubitauerit, quomodo peccatum peccati pœna esse, Deus verò peccata peccatis punire dici queat? Ad hoc dubium

Responsio.

respondet D. Thomas, 12. quæst. 80. artic. 2. Peccatum consideratum secundum suam causam, ex qua oritur, puta subtractionem diuini auxilij, quo seruabatur & tenebatur homo, ne rueret in maxima scelera, pœnam esse alterius peccati. Hac enim ratione, occulto & seuero Dei iudicio, sicut ait Augustinus

Augustinus, vindicatur peccatum, dum offensus Deus præcedentibus peccatis, subtrahit auxilium gratiæ suæ: quo amoto, partim impulsu Dæmonum, partim procliuitate carnis & infirmitate humani animi, p̄cipitatur homo in omne peccati genus. Propter hanc igitur subtractioné gratuitæ p̄seruationis hominũ à peccando quã & effecit Deus, & quæ est pœna quædã & supplicium peccatorum, peccatum quod propter talem subtractionem deinde committitur, dicitur peccatum esse, & peccati pœna.

Secunda ratio.

Secunda captiuitatis ratio petitur ex subsequentibus verbis; *Quæ ducuntur variis desideriis*; Quasi ideò vellet *mulierculas* deceptas Apostolus, quod proprijs suis desiderijs ducantur, sequanturq; quocumq; rapit eas cupiditas. Facilè est enim eum decipi & in peccatorum siue hæreseos captiuitatem duci, qui propriorum desideriorum captiuus per peccatum effectus, ab ijsdem quocumq; lubet ducitur, & in talem suarum cupiditatum subiectionem venit, vt quasi seruus obediat desiderijs carnis suæ. Quæ res quàm turpis & fœda sit homini, ex eo patet, quod naturalis humanæ naturæ ordo peruertatur, secundum quem ratio dominari debet appetitui, non appetitus rationi, sicut Deus homini dixit Genesis quarto: *Sub te erit appetitus tuus & tu dominaberis illius.* Hinc est, quod nos moneat Sapiens, Ecclesiastici capite quinto: *Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentias cordis tui, &c.* Et cap. 18. *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere.* Qui namque proprijs suis desiderijs ducitur, verè dici potest traditus *in manus crudelium Dominorum*, quemadmodum de Ægyptijs per Esaiam c. 9. dixit

Propria sua desideria sequi, contra naturã.

Propria hominum desideria crudeles belluæ.

Dominus. Desideria siquidem nostra & cupiditates, crudeles sunt belluæ, & in homines truculentæ, ipsis vrsis, leonibus, tigribus, & quibuslibet alijs truculentissimis bestijs truculentiores, nobisq; nocentiores, quemadmodum ex eo colligi potest, quod Philosophos, qui propter honorem diuinum in vilissima animalia translatum, acerrima luere supplicia debebant, non huiusmodi belluis discerpendos aut deuorãdos tradiderit Dominus, sed in obsequiũ & seruitutem suarum cupiditatum & libidinũ. Cui rei ratio hæc reddi potest, quòd homo sit animal rationale & mortale, cui, licet mors quantumlibet atrox, contingat, nihil tamen accidit humanæ naturæ alienum: mortalis quippe moritur: Cùm verò proprijs desiderijs ductus quid agit nationi contrarium, tum conditioni & naturæ rationalis dignitati perinsignis irrogatur contumelia.

12. *Semper discentes & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes.*

1. Huius loci expositio.

Sunt nonnulli infimæ notæ scriptores, qui huius loci sententiam immediatè ad *mulierculas* referri oportere arbitrentur, quæ curiosæ nimis & sciendi cupidæ, (sicut Athenienses Act. 17.) *ad nihil aliud vacant, nisi addiscere & audire aliquid noui*, ita vt quod de vna fœmina scripsit Satyricus, de omnibus ferè dictum videatur:

Mulieres natura curiosæ.

Hæc eadem nouit quid toto fiat in orbe.

Ideò videlicet quod propria ac peculiaris sit illis interrogandi, inqrendi, sciendi curiositas. Cuius rei exemplũ esse potest Sarai, Abrahami vxor quæ pro

muliebri ingenio, post ostium tabernaculi, clanculum audiuit colloquium Angeli cum Abrahamo. Genes. 18. Quã curiositatis pruriginem in eo notatã fuisse videri potest, quod ex nomine Saræ literulam expunctam voluit Deus, nomini vero Abraham additam, Genes. 17. quasi fœminas vellet minus sciendi curiosas, id est; pauciorum literarum; viros verò literatiores. Hinc est quod in magnam, tum patientiæ, tum etiam sapientiæ laudem, de Salomone narrent SS. Literæ, quòd omnes muliebres quæstiones & curiositates, sibi à Regina Saba propositas, & patienter audierit, & sapienter responderit: *Locuta est ei* (Regina Saba) *quæ habebat in corde suo* (inquit Scriptura) *& docuit eam Salomon omnia verba quæ proposuerat.* Magna est enim patientia & doctrina opus, ad muliebres quæstiones; quia, sicut audiendi & perdiscendi auidissimæ sunt fœminæ, ita & per contandi & inquirendi; adeo vt cùm natura sua garrulæ sint, semel data loquendi & interrogandi optione, nullum statuant percontandi, & percontando cunctandi finem. *Eius rei typus.*

Melior verò & ad Pauli mentem magis accommodata esse videtur eorum sententia, qui ad *sui amantes, superbos, &c.* hæc eadem reuocant; Quasi Paulus vellet innuere, neminem fidei doctrinæ discipulum esse idoneum, nisi qui in oculis suis paruulus, de seipso humiliter sentit. Quod ipsum prioris epistolæ, cap. 6. inculcans: *Si quis aliter docet*, inquit, *& non acquiescit sermonibus Domini nostri Iesu Christi & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ, superbus est, nihil sciens; sed languens circa quæstiones & pugnas verborum.* Quasi diceret: Quia aliquis supra se effertur, suique amore *Alia & melior huius loci expositio.*

Superbi in fide indociles.

ducitur., alios, id est, Ecclesiæ sensum contemnit; ideo *nihil scit*; quia superbi sunt indociles in fide, qui, cùm multa dicere, multa quærere, multa circa curiosa scrutari velint, tantum abest vt aliquid proficiant, vt nec ad puræ veritatis cognitionem peruenire possint: Sicut è diuerso in fide euadunt grauiter eruditi, qui Spiritus humilitatem induti, fidei veritatibus ab Ecclesia propositis, sine ratiocinatione obediunt, quemadmodum cap. 12. Romanis scribens, inculcat Apostolus: *Idipsum sentientes*, ait, *non alta sapientes, sed humilibus consentientes, &c.* Q.d. tum demum fidei seruari vnitatem, si populus pastoribus, & pastores ad inuicem consentiant, si non alta sapiant; sed potius humiles Ecclesiæ discipuli & paruuli esse non desinant. Ideo Psalm. 18. Regius vates, ad veram sapientiam docere viam cupiens: *Testimonium Domini fidele* vocat, *quod sapientiam præstat paruulis:* Volens significatum, sacram veritatem, quam Deus nobis fideliter & firmiter testatur, non quosuis facere sapientes, sed *paruulos*, hoc est, voci diuinæ obedientes, quæ vox est Ecclesiæ, tanquam lucerna in nocte, qua firmi mentis oculi contenti esse debét iuxta illud Augustini, lib. 13. Confess. cap. 18. *Animalis homo tanquam paruulus in Christo, lactisque potator, donec roboretur ad solidum cibũ & aciem firmet ad solis aspectum, non habeat desertam noctem suam, sed luce lunæ stellarumque contentus sit.* Atq; hæc est illa *sobrietas*, quam cap. 12. ad Roman. docet Apostolus: *Dico*, inquit, *per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Quod, quale sit, protinus ostendit, subiungens: *Et*

Fidei veritates non nisi paruulis nota.

vni-

vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei. Quæ diuisio, non æqualis, sed secundum mensuram, cuiusmodi sit statim quoque ostendit: *Sicut in vno corpore,* inquit, *multa membra habemus omnia autem membra non vnum actum habent, ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, &c.*

Ex quibus fit euidens, illum ad *sobrietatem sapere,* qui vocatus ad docendum docet, non verò vocatus, discit. Neque enim, verbi gratia, in scripturis interpretandis, quilibet idoneus est, nisi cui aliquis assit, qui sensum illi aperiat, tum suum intrinsecus, tum ipsarum scripturarum extrinsecus, quemadmodum paulò pòst luculento exemplo fusius declarabitur. *Ad sobrietatem quisnam sapiat.*

Magnus siquidem eorum error est, qui per seipsos, suopte ingenio, labore, & studio, sacras scripturas & fidei Catholicæ veritates posse intelligere præsumunt, quemadmodum hodie vulgus hæreticorũ factitat; cum tamen sacrarum Literarum liber sit sacer & diuinus, qui non nisi diuino quodam spiritu accepto potest intelligi. Cum porro hic Dei spiritus in Ecclesia duntaxat vera, & simul in Christi corpore mystico habeatur, qui sacras scripturas intelligere vult, earumque sensum sibi aperiri cupit, vt eas intelligat, ante omnia ad Iesum veniat oportet, qui corporis mystici caput est, & se Eclesiæ adiungat, cum extra corpus suum caput non inueniatur. Vnde, qui res fidei ad amussim vult intelligere, nec Paganus, nec Mahometista, nec Hæreticus esse debet. Christus siquidẽ post suam resurrectionẽ, in se dũtaxat credẽtibus *sensum aperuit,* vt *intelligere possent scripturas.* Ad illos namque solos venit, illos solos docuit, *Ad scripturas intelligendas, fide & diuino spiritu opus.*

cuit, illis solis apparuit, non cæteræ Iudæorum turbæ, &c. Quare, illis solum sensus, vt scripturas intelligant, aperitur, quibus Iesus iam per fidem est factus familiaris. Vt enim Scripturas quis intelligat, fides, eaque orthodoxa Catholica inprimis necessaria est, quemadmodum indicauit Apostolus 2. Corinth. 5. de Iudæis loquens: *Cum transierint ad Dominum, auferetur velamen.* De Gentibus verò, Ephes. 4. *Ambulant Gentes in vanitate sensus sui, obscuratum habẽtes intellectum, &c.* De Hæreticis 1. Timoth. 1. *Volentes esse legis Doctores, non intelligunt, &c.* Et hoc loco elati, *superbi, &c.* dicuntur, *semper discentes, & nunquam ad agnitionem veritatis peruenientes*, de quibus 1. Petri 3. dicit Apostolorum Princeps, quod sint *indocti*, quia scilicet nesciunt regulam fidei; *sint instabiles*, quia in ea firmiter fundati non sunt, sed *circumferuntur omni vento doctrinæ.* Ephes. 4. Vt ergo sensus cuipiam aperiatur ad intelligendas Scripturas, rectam fidem esse ante omnia necessariam, vel ipsæ Scripturæ nos docent, Esaiæ 7. *Nisi credideritis, non intelligetis.* Ex quibus Prophetæ verbis argumentantur SS. Patres contra varios Hæreticos & infideles, vt Scripturarum & Catholicæ fidei in illis ignorantiæ causam ostendãt. Hinc, contra Faustum Manichæum, Augustinus, lib. 4. cap. 2. *Sed vos ista* (Scripturæ) *non intelligitis; quia sicut Propheta dixit, Nisi credideritis, non intelligetis. Non enim estis eruditi in regno cælorum*, id est, in Ecclesia Christi Catholica. Non satis est quomodocumque doctum esse, sed *in regno cælorum*, hoc est, in Ecclesia Catholica, vt Augustinus, imò Christus ipse Matth. 13. insinuat: *Omnis scriba in regno cælorum, similis est patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera.*

Fides, est necessarium ad Scripturas intelligendas medium.

13. Quem-

13. *Quemadmodum autem Iannes & Mambres restiterunt Moysi, ita & hi resistunt veritati.*

Homines illos *sui amantes, superbos, &c.* quos supra *deuitare* à Timotheo voluerat, certorum quorũdam perditorum hominum exemplo depingit, de quibus tria profert in medium mala, quorum considerato fideles ab eorum societate non difficulter potest disiungere. Primum est agnitæ veritatis impugnatio; alterum obstinata contra omnem rationem pertinacia: Tertium priuati iudicij, aduersus omnem maiorũ & fidei doctrinam oppositio; cùm è diuerso, apud Deum sapere, non sit aliud, quàm abiecta propria prudentia, iuxta vocem docentis Ecclesiæ, vt discipulum & paruulum sapere, quemadmodum cap. 39. prædixerat Esaias, tempore Messiæ futurum: *Perdam*, inquit Propheta, *sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo.* De quo etiam Matth. 11. cap. exultans Saluator; *Cõfiteor*, inquit, *tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus & reuelasti ea paruulis.* Cui ipsius Discipulus subscribens 1. Corinth. 1. *Stultam*, inquit, *fecit Deus sapientiam huius mundi: Et quia in Dei sapientia, non cognouit mundus Deum per sapientiam, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes.* Quæ omnia manifestè docent, viam ad fidem & veram sapientiam esse, vt Ecclesiæ pastores & magistros, tanquam paruuli discere & obedire parati, audiamus, non tanquam sapientes de doctrina fidei, aut Doctoribus ipsis, vel ingenio, vel ratione, vel præiudicio nostro iudicaturi. Eiusmodi sane erant illi Capharnaitæ, qui, Ioan.

Tria hæreticorum mala.

1. 2. 3.

Vera ad fidem & sapientiam via.

cap. 6. licet Christum docentem & pascentem longis itinerum spatiis sequerentur, dociles tamen non erant fidei discipuli cùm credere & obedire docenti vt paruuli, nollent, sed rationes & modos, quibus illa fieri possent, quæ Christus docebat, tanquam sapientes scrutari & cognoscere cuperent. His adiungi posset Nicodemus, Ioan. 3. & Augustinus, qui lib. 3. confess. cap. 3. ex eorum numero in prima ætate se fuisse scribit: *Tumor*, inquit, *meus refugiebat modum eius* (de Scriptura loquitur) *& acies mea non penetrabat modum eius. Nam ea erat quæ cresceret cũ paruulis, sed ego dedignabar esse paruulus, & turgidus fastu mihi grãdis videbar, &c.* Ideo B. Ambrosius, cum Augustino adhuc tali colloqui, eumq; de fide instruere recusabat: Respondit enim, adhuc eum indocilem esse, eò quod inflatus esset nouitate hæresis, quam tenebat, sicut ipsemet fatetur Augustinus, lib. 3. confess. cap. 12.

Quinam resistant veritati. Duorum ergo Magorum exemplo, qui Moysi restiterant, commonstrat Apostolus, qui sint ij qui *veritati resistunt*; nempe *superbi*, *elati*, sibi solis non aliis se maioribus, sapientes. Vbi notandus venit *Scriptura scribendi modus.* Scripturæ scribendi modus, qui in rerum narrationibus sæpe circumstantiam aliquam vel personæ, vel loci, vel temporis omittit, quam alius scriptor posterior earundem rerum suppleat & exponat. Certe cap. 8. Exod. scribitur duntaxat, *Magos vehementer restitisse Moysi coram Pharaone*, sed quinam fuerint illi Magi, quodue illis nomen, tacuit illic Moyses, quæ noster Apostolus hoc loco expressit, dicens illos fuisse *Iamnem* & *Mambrem* vocatos. Verum vn-

Iannis & Mambris nomina vnde desumpta, varia sententia.

1\.

de horum nomina acceperit Apostolus, non vna est Interpretum sententia. Chrysostomus, Theophylactusque, & Theodoretus eos fuisse dicunt Magos Ægyptiorum, qui in Exodo portentis edendis certauerunt cum Moyse; habuisse autem Paulum eorum nomina ex traditione Hæbreorum, aut ex reuelatione Spiritus sancti. Origenes, in tract. 35. in Matth. 2.
citans huius loci verba, ait nomina hæc Magorum non inueniri in Scripturis publicisque, sed in secreto quodam libro, qui inscribitur, *Liber Iannis & Mambres.* Vulgò putatus Ambrosius, in hunc locum, dicit 3.
hoc exemplum esse de apocryphisque: *Iannes & Mambres fratres erant,* inquit, *& Magi, vel venefici Ægyptiorum, qui magicis suis artibus virtuti Dei quæ per Moysem operabatur, æmulatione commentitia resistere se posse putabant: Sed cum Moysis virtus in operibus cresceret, humiles facti cum dolore vulnerum fateri coacti sunt Deum in Moyse operari.* Hæc ille. Plinius verò, libro trigesimo capite primo, horum Magorum mentionem faciensque, vocat Iamne & Iotape, falsò dicens eos fuisse Iudæosque. De his narrans Exodi historia, dicit à Pharaone accersiri iussos *Sapientes & maleficos,* qui per incantationes Ægyptiacasque, & arcana quædam, similia operibus Moysi facerent. *Sapientes* autem vocat, vel Astrologos & Philosophosque; præsertim verò magiæ naturalis peritosque; vel eo nomine significat sacerdotesque, qui apud Ægyptios existimatione sapientiæ, omnium maximè celebrantur. Maleficos autem appellat qui magicas artes malo modo, & in malum vsum exercebant. Horum item nomine significantur prestigiatores &

Sapientes olim quinam dicti.

Necromantici qui magicis artificiis abutebantur ad patranda scelera, ad adulteria & furta, atque homicidia, ob idque sunt nominati *malefici*. Nam & faciebant mala, & malo modo, Dœmonum videlicet inuocatione atq; auxilio, adhibitisque multis fraudibus & mendaciis atque hominum deceptionibus.

Corollar. *Haeretici Magis deteriores.*

Ex quibus colligitur, Pauli sententia Sectarios omnes, Ecclesiam Catholicam (quæ sedes veri, imo columna & firmamentum veritatis est) oppugnantes, Magis & maleficis esse deteriores, quos *Ethnicis & Publicanis* alibi comparat Saluator, eo quòd priuato sensui pertinaciter adhærentes, docentis & attestantis Ecclesiæ vocem aspernentur, quæ fidei medium certum, & infallibilis cognoscendæ veritatis regula est atque amussis, vt quæ nec falli potest, nec fallere. Certum est enim Deum voluisse per Ecclesiæ vocem nos docere, & nos huic voci obedire; voluisse item nos iuxta hanc vocem sapere; voluisse denique iuxta hanc vocem testificari & manifestare omnem veritatem, sicut ipse intrinsecus testificatur & reuelat.

Haeretici, morte digni.

Conficitur 2. Lutheranos & Caluinistas, qui summi sacerdotis (qualis erat Moyses) imperio, tantum abest vt velint obedire, vt potius ei resistant, instar Iannes & Mambres maleficorum, dignos esse qui *morte moriantur*. Deut. cap. 12. Et quia (vt est apud Iob c. 24) *rebelles sunt lumini*, etiam digni iudicantur qui errorum cæcitate percussi, *in tenebris ambulent*, cum diuinæ scientiæ nefarium bellum indixerint. In lucem namque ipsam sic insurgunt, tanquam diuinæ legis & supremæ prouidentiæ atque Numinis contemptores, Deum ipsum eiusque prouidentiam exacerbare decreuissent.

14. Cor-

14. Corrupti mente.

Hæreticis & Pseudoprophetis insitum videtur, vt cum semel veritatem oppugnare cœperint, ipsū etiam naturæ & rationis lumen, quo facienda & fugienda homini dictantur, simul amittant. Hoc enim ipsum impij testantur, contra insitum lumen & innatam rationis legem non solum rebellando; sed & contra illam sic in vetitum nitendo, quasi solis ipsius lumen reformidarent, ne à lumine manifestentur ipsorum tenebræ, quia *nescierunt vias eius* (*luminis*) *nec reuersi sunt per semitas eius.* Quamuis n. subinde *luminis vias* ingredi videantur; protinus tamen auertunt faciem & pedem, atque sic obstinato animo nunquam reuertendi ad rectum lucidumque iustitiæ tramitē, recedūt: Dequo ipsimet impij *vias luminis* appellantes, Sap. 5. & 6. loquuntur: *Viam veritatis & solem intelligentiæ & viam Domini*; at verò tenebras *viam iniquitatis & perditionis & vias difficiles.* Multifariam autem *mente corrumpi* Sectarios contingit. Vel sanam, falsa & impia doctrina vitiando: *Corrumpunt* enim *bonos mores colloquia praua*, 1. Cor. 15. vel animali cupiditate, carnisq; ac sæculi desiderijs 1. affectum deprimendo; in cuius typum dicitur, Exo. 2. 8. *Aegypti terra à muscis corrupta*: contra quas cupiditates, Apostolorum princeps fideles cohortatur, 2. Petri 1. vt *fugiant eius quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem*; quia, *qui seminat in carne, de carne metet corruptionem.* Galat. 6. Et Genes. 6. *Corrupta est terra coram Deo, & repleta est iniquitate. Cumq; vidisset Deus terram esse corruptam, &c.* Vel, operationis bonæ inordinatâ intentione; quo sensu dixit, c. 5. eius, quæ 3.

Natura lumen amittunt Hæretici.

Sectarij multifariam mente corrupti dicuntur.

est ad Galatas Apostolus, *modico fermenti totam massã corrumpi.* Quam ob causam, discipulos suos monebat Luc. 12 Dominus, vt *attenderent à fermento Pharisæorũ, quod est hypocrisis.* Vel, per incautam sensuũ euagationẽ: Sic 2. Reg. 9. Dauid visa Betzabeâ, secutus est suam concupiscentiã; & iudices visa muneribus, facilè corrumpuntur, *ne iustè iusta decernãt.* Vnde Paulus 2. Corinth. 11. *Timeo, ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua; ita corrumpantur sensus vestri.* Vel corruptæ vitæ per offendiculum exemplo; Sicut enim basilisci aspectu aër inficitur; sic morum vitæque corruptelis innocentum animi corrumpuntur; de quibus Apocal. 11. scribitur, *eos esse exterminandos, qui corruperunt terram.*

4.

3.

15. *Reprobi circa fidem.*

Impij, qui veritati resistunt ita viuunt, quasi sanæ mentis iudicio corrupto, nullam rerum humanarũ esse apud Deum prouidentiam existimarent. Cùm enim fides, & Dei timor retinaculum quoddam & salutare vinculum sint, quo arcetur & prohibetur homo à malorum commissione (quemadmodũ attestatur Sapiens, Prou. 15. *Per timorem declinat omnis à malo:* Et Eccl. c. 1. *Qui sine timore est, non poterit iustificari.* Item *Regius* vates, Psal. 110. *Initium sapientiæ timor Domini*, qui veritati fidei repugnantem siue opinionem siue persuasionem habuerint, ac imbiberint, fiunt quasi equus indomitus, qui fræno abiecto insaniens, in omne peccatum, absq; retinaculo ruit præceps: De quo ad Eph. cap. 4. scribens Apostolus; *desperantes*, inquit, (id est fidem, & spem Dei non habentes) *tradiderunt semetipsos impudicitiæ, in operatio-*

Hæretici in vitia præcipites ruunt.

operationem omnis immunditiæ. Atque ex vna hac falsa persuasione, consequitur statim perfecta corruptio & fœditas multiplex omnium peccatorum, propter quæ homo fit abominabilis coram Deo. Quemadmodum enim sal in carne à corruptione præseruat atque fœtore; ipso verò pereunte, & deficiente, caro mox coruptionem patitur, atque consequenter fœtorem; ita fides ac timor Dei, vbi adfuerit, à corruptione animam præseruant & gratiam, acceptabilemq; Deo faciunt: Vbi v. defuerint, mox corruptio & fœditas consequitur peccatorum, Deoq; anima abominabilis & odibilis redditur. *Mentis corruptio.*

Sic vsu venit sectarijs, circa fidem per superbiam pertinaciter reprobis, vt sæpe, tanquam insipientes *dicant in corde suo; non esse Deum; eo quod ita corrupti sint & abominabiles in suis studiis*, vt veluti iumenta quædam in suarum impietatum stercore computruerint, sintq; facti propter magnitudinem & multitunem suorum facinorum, detestabiles & execrabiles ante Deum, & omnes homines pios; maximè verò coram Ecclesiæ & sacrorum principibus, quorum authoritati detrahunt, dignitatem contemnunt, sapientiam detestantur, ac doctrinæ puritatem impudenter irrident. Ex eo namque, quod Ecclesiæ & SS. Patrum authoritati derogant, non credunt; cui tamen fides authoritati debet inniti, sicut scientia rationi; quemadmodum etiam est author D. Augustinus. Inde est, quod prioris epistolæ ad Timotheum, cap 1. *naufragos à fide* vocet Apostolus eos, qui aliud docent, quàm Apostoli, & eorum successores tradiderint. Ibidem, cap. 6. quosdam *promittentes falsi nominis scientiam, circa fidem excidisse* affirmat; *Sectarij circa fidem pertinaciter reprobi.*

mat; quemadmodum supra cap. 1. *Hymenæum & Philetum* pronuntiauit *à fide excidisse*, eò quòd veritati resisterent, sicut hodie Petri cathedræ omnis generis sectarij resistunt.

16. *Sed vltra non proficient.*

Magna & plausibilia sub ipsis initijs promittũt Sectarij, quæ leues & inconstantes nouitatis amatores mirificè delectant; licet *vapor* quidam sint *ad modicum parens*: Ideò dicit Apostolus, eorum, quo tenentur studium, vt quàm plurimos in suam partem pertrahant, diuturnum non habiturum successum. In quam ferè sententiam, lib. 13. contra Faustum, explicans hunc Hierem. cap. 30. locum, Augustinus. *Perdix fouit quæ non peperit: Addit*, inquit S. Pater, *prouidentissimè*: *In dimidio annorum suorum derelinquet eas, & in nouissimo suo erit insipiens*; vt ostendat hæreses diù non præualituras, quemadmodum præualuit Ecclesia Romana, idq; quàm diutissimè, adeò vt cæteras omnes sectas aboleuerit. Nempe, est hoc veræ Ecclesiæ proprium, vt varijs modis impugnata, semper præualeat, sicut Psalmographus in persona Ecclesiæ canit, Psal. 128. *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi.* Vnde Theodoretus: *Sufficit*, ait, *hæreticorum exitus ad eorum falsitatem conuincendam. Quod enim falsum est, facilè dissoluitur; firmæ autem & stabiles sunt veritatis vires. Quocirca, euanuerunt quidem diabolicæ operationis fabulæ, valuerunt autem & germinauerunt Euangeliorum dogmata. Et cum multi ea oppugnauerint populi, & populorum duces, regesq;, & Imperatores, permanserunt supra petram collocata Ecclesiæ fundamenta. Infaustarum autem*

Hæreticorum successus non diuturnus.

Hæreses diu præualere non possunt.

Hæreticorum exitus.

autem execrandarumq́; hæreseôn prædicatores, fugerũt nullo persequente. Dei enim vox est, in Esaia, c. 51. Audite me, qui timetis iustum, populus meus lex mea in cordibus eorum. Nolite timere opprobrium hominũ, & blasphemias eorũ ne timeatis. Sicut n. vestimentum, sic eos comedet vermis, & sicut lanam, sic eos deuorabit tinea: Salus autem mea in æternum erit, & iustitia mea non deficiet. Hæc Theodoretus, lib. 3. Hæret. fabul. in princip.

Ex quibus colligitur Ecclesiã Romanam, quæ tot centenarijs annorũ, contra reliquas omnes hominũ sentẽtias p̃ualuit, esse veram Ecclesiã; deinde reliq̃s & electos, quos fingũt Sectarij, semper iuxta Romanam Ecclesiã latentes extitisse, non potuisse vlla ratione Ecclesiæ membra esse, vtpote qui pro hæreticis damnati & extincti fuerint; quemadmodũ breuiter ostendi potest ex nostri temporis infausta historia. Nam priusquã à fide apostatando excideret Lutherus, nullum in religione erat dissidiũ, sed *credentiũ omniũ cor vnũ & anima vna.* Ipso autẽ Luthero tanq̃ nouatori & impostori contradictũ est Romæ, & alibi per sum̃um Pontificẽ, Imperatorẽ, & Catholicas totius orbis terrarum Academias. Sed quandiu floruit vel p̃ualuit Lutheri hæresis, vt floreret? Vix hodie est ex eius sequacib⁹, paucos reperire, q̃ se Lutheranos à suo impio Euangelista vocare velint, vel qui impuram eius doctrinã aperte ꝓfiteantur; Caluino & alijs Antichristi p̃ambulonibus, eius gloriã, imò Euangeliũ passim obfuscantibus & explodentibus. Eodẽ modo hæreses omnes ante Lutherũ exortas, diu non extulisse caput, faciũt p̃teritorũ temporũ pleriq́; annales testatũ; quemadmodũ de Hussitis, Albigensibus, Waldensib⁹, &c. probari posset, si breuitati

Ecclesia Romana, vera est Ecclesia.

Lutherana hæresis.

uitati non studeremus. Qui hac de rè plura videre vult, legat Gregorium Magnum lib. 9. mor. cap. 7. in Job. Item lib. 7. D. Hilarij de Trin. Ambr. lib. 9. in Lucam, cap. 7. Clementem Alexand. lib. 6. strom. in fine.

17. Insipientia enim illorum manifesta erit omnibus; sicut & illorum fuit.

Probat Apostolus studium, quo tenentur sectarij, vt quam plurimos pertrahant in suam partem, amplius non habiturum successum, eò quod non ita multò post, declaranda sit mundo eorum insipientia, patefaciendæ imposturæ, atq; errores detegendi. Vbi non ignorandum est, Paulo esse familiare, mundi sapientiam appellare *insipientiam* siue *stultitiam*. Ad Romanos capite primo. *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt*. 1. Corinth. 1. *Nonne Deus stultam fecit sapientiam huius mundi?* Ad cuius confirmationem adiungit, Deum *infirma mundi elegisse, vt fortia quæque confunderet*. Deinde sciendum est, ob maius bonum à Deo quædam mala sæpè permitti nec impediri, ex quibus gloria ipsi⁹ postea magis enitescit, & amplius Ecclesiæ authoritati incrementum accedit. De primo loquens Paulus, Rom. 9 *Dicit scriptura Pharaöni*, Exodi 9. *Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuntietur nomen meum in vniuersa terra*. Q. d. Ad eum finem, ô Pharáo, te seruaui, vt cognoscant omnes ex te, quàm potens sit Deus Israël, & vt gloria nominis mei celebretur in vniuerso orbe. Eodem modo frequenter patitur aduersus Ecclesiam

Mundi sapientia apud Paulum, insipientia est.

Deus ob maius bonum mala permittit.

Cur Deus hæreses in Ecclesia patiatur.

Ecclesiam sectas insurgere, & impios hæreticos impunè contra fideles grassari; vt vel Ecclesiæ antistites excitatos officij moneat; vel, vt credentium fidem & constantiam, calamitatibus immissis, melius probet; vel vt plures ad Ecclesiæ gremium prouocatos, armet contra insensatos ipsius hostes, fidei doctrina, & Euangelicæ veritatis prædicatione, quibus præsidijs religio Christiana maximè nititur & stabilitur. Sicut enim in Ægypto Israëlitæ quo magis affligebantur, eò magis multiplicabantur; ita quò magis tam infideles quã Hæretici Ecclesiam oppugnant; eò magis ea ipsa triumphans exultat. *Granum* enim *frumenti cadens in terram, multum fructum affert, si prius fuerit mortuum*; sicut reipsa Dominus *in altum exaltatus, omnia trahendo ad seipsum*, morte sua comprobauit. Eodem modo, ait hoc loco Apostolus, Hæreticis insipientibus euenturum, quod resistentibus Moysi Magis accidit: Nempe, quòd sicut DEVS, suâ voluntate permisit maleficis, vt duo priora signa, ad Moysis & Aäronis imitationem patrarent, quæ tamen passus non est, vt ciniphes facerent, licet minus esset prioribus portentum; ita sæpe dissimulat insignem sectariorum impietatem & audaciam, quam tamen suo tempore nouit, erecta rursus Ecclesiæ gloria, reprimere. Dei namque permissu, sicut multa & magna possunt Dæmones facere, ita impij & hæretici; Deo tamen non permittente nihil possunt exequi, quamuis paruum & vile sit, vt erant ciniphes; quos tamen facere, adhibitis magicæ artis viribus & dæmonum potentia,

Deus hæreticos suo tempore confundit.

non potuerunt. Pari ratione Pseudoprophetæ per dulces sermones & imposturas, quasi pstigiatores decipere possunt innocétes & simplices, pmittente ad temp⁹ Deo, vt electorũ animi firmitas pbetur, & maius inde pmiũ ac copiosioré coronã suo tépore adipiscantur; licet interim suo tépore hæreticorũ fraudes, pfidiã, & nocendi artes manifestet & patefaciat.

Sectariorum rebus prosperis, Catholicorum fides probatur.

Quemadmodũ n. magna tùm bonorũ tentatio fuit, quãdo similia eorũ fecère Magi quę faciebat Moyses & Aäron; ita constantiũ Catholicorũ fides, pietas, & vera religio mirificè probatur, quando Sectarijs ex sentẽtia, cuncta prosperè & ad nutũ eueniũt. Verum non *sinit nos Deus tentari supra id quod possumus.* 1. Cor. 10. sed est *adiutor in opportunitatib⁹* & tribulatione est. Licet n. q nouitatib⁹ student erroris finé inuenire non possint, sed noua semper commenta & corrupta dogmata adinueniant; cũ ea erroris sit vis vt facilè sisti nequeat; nouit tamen Deus, suo tempore, eorum impietatem & fallaciam non aliter manifestare, ac Magorum Moysi obsistentium impotentiam & imposturas olim detegebat, vt omnibus impostorum amentia neminem lateat. Quo pacto opera D. Joannis, qui in Asiam minorem superueniens, vbi contra religionem Christianam errores Pseudoprophetæ disseminauerant, scriptis eosdem euulsit. Quamuis enim Deus Matthæi vigesimo quarto, dixerit Pseudoprophetas *multa signa & prodigia facturos*, ita *vt decipiant etiam* (*si fieri posset*) *electos*; scire oportet ait Aug. lib. 3. de doctr. Christ. cap. 7. & 8. quædam miracula à sceleratis hominibus fieri, qualia sancti facere non possunt; nec ideò tamen potioris loci esse apud Deum existimandos.

Sectariorum conatibus resistit Deus.

Non

Cur impij quædoque plura possint quam sancti.

Non enim acceptiores Deo, quàm populus Israel, erant Magi Ægyptiorum, quod non posset populus ille facere quod illi Magi faciebant: quamuis Moses in virtute Dei maiora facere potuerit. Sed ideo non omnibus sanctis ista tribuuntur, ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi, existimantes in talibus factis maiora dona esse quam in operibus iustitiæ, quibus æterna vita iure comparatur. Propterea gaudere prohibens Dominus Discipulos Lucæ 10. *Nolite in hoc gaudere*, inquit, *quoniam Spiritus vobis subiiciũtur: sed in hoc gaudete, quoniam nomina vestra scripta sunt in cælis.* Cum ergo talia faciunt Magi, qualia nonnunquam sancti faciunt, talia quidem visibiliter esse apparent, sed ex diuerso fine & diuerso iure fiunt. Illi enim faciunt quærentes apud homines gloriam suã; hi diuinum honorem amplificaturi. Et illi faciunt per quædam potestatibus concessa in ordine suo, quasi priuata commercia, vel beneficia: isti autem publica administratione iussu eius, cui omnis creatura subiecta est. Hactenus ex Augustino.

Ab impiis miracula quomodo patrentur.

18. Tu autem assecutus es meam doctrinã, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutiones, passiones.

Timotheo, de malis & periculis Ecclesiæ Catholicæ imminentibus præmonito, remedia suggerit Apostolus, quibus malorum authoribus tempestiue possit occurrere. Particula *autem* satis indicat aduersariorum tum doctrinæ, tum vitæ suam opponere, simulque Timotheum cohortari vtriusque memor

Particula, (autem) quid hoc loco importet.

vt esse velit, cùm à principio vsq; ad finem, in omnibus rebus familiariter secum versatus, non solum eruditionis ipsius fuerit auditor; sed & eius simul conuersationis indiuiduus spectator, ex quibus fidei Christianæ instituta imbibere, eiusdem exemplo in mediis persecutionibus patientiam imitari, & sanctorum vitam probare potuerit. Q.d. Impostores oppugnant veritatem; eis tu facile resistes, qui doctrinam meam diligenter audiendo secutus, discendo sicut & intelligendo assecutus es. *Enutritus enim es verbis fidei, & bonæ doctrinæ*, 1. Timoth. 4. Sanè, ex omni Pauli actione ea potuisse Timotheum comparare, quæ ad viriliter resistendum Sectariis & infidelibus idonea sunt, ex his quæ subiicit, colligitur. Nam si quæ ex ore ipsius procedebãt, spectes, *eruditionem* haurire; ex operibus *institutionem*, hoc est morum probitatem & vitæ innocentiam imitari; ex corde, *propositum*, hoc est, rectam in omnibus intentionem discere poterat; ex qua continua animi promptitudo, cum externa alacritate iugiter fluebat. Aduertebat insuper, ex immobilis *fidei* defendendæ constantia, & in perferẽdis pro Christiana religione *tribulationibus, longanimitate* ac *patientia*, quomodo in similibus se gerere deberet. Cum enim Christi causa hæc Apostolus pateretur, atque ita inter mortales viueret, vt rebus caducis atque præsenti vita despectis, vna rerum inuisibilium promissarum expectatione fulciretur; Timothei pectus sic armatum erigebatur, vt similiter aduersa pati pro Christo disceret. In quam fere sententiam, omnes Christianos capite vltimo suæ canonicæ admonebat Iacobus, vt *exemplum* acciperent *exitus mali, & longanimitatis, & patien-*

Huius loci paraphrasis.

Idonea contra Sectarios & infideles Timotheo tradita remedia.

patientiæ Sanctorum. Fælix igitur discipulus, cui magister eiusmodi obtigit. Beatus hoc vno nomine Timotheus, cui vnius Pauli familiaritas earum virtutum causa fuit, quibus *immarcessibilis gloriæ coronam* posset adipisci. Beatus miles, cui Dux talis ad præliandum fuit, quo præeunte victoriam obtinuerit. Beatus discipulus, cui eiusmodi eruditionis Doctor præfuit, quo docente luculentos sapientiæ & scientiæ diuinæ thesauros eidem facili negotio liceret comparare.

Beatus Paulo Doctore fuit Timotheus.

Inter ea verò, quæ Timotheus hoc loco dicitur *assecutus, patientia, persecutiones, passiones* numerantur, vt strenuus miles; ad id genus difficilimum certamen ineundum, his ipsis excitetur. Sanctorum siquidem fides & patientia probantur, (quemadmodum patet Apocal. 13.) quando malis, ærumnis, & aduersis non commouétur, sed cum fide potiùs patientiam retinét, sperantes (iuxta SS. Scripturarum promissiones) fore, vt tyranni & Ecclesiæ hostes pereant; Christi verò cultores, victoriæ coronam suis laboribus debitam reportent. Vnde tribulatio non minùs pulchrè quàm verè lapis lydius dici potest, quo hominum fides & patientia probatur, iuxta illud Ecclesiast. cap. 27. *Vasa figuli probat fornax; & homines iustos tentatio tribulationis*. Quibus verbis homines vasis, tribulatio auté fornaci comparantur, vt quemadmodum vasa figuli, nisi in fornace durentur, apta vsui esse non possunt; ita nisi homines tribulatione durentur & coquantur, non possunt interim firmi & stabiles in virtute existimari. Quod non ignorans Persius, Satyr. 3. in desidem deliciisque dedi-

Sanctorum patientia calamitatibus probatur.

Tribulatio est lapis lydius.

tum adolescentem inuehens, eundem fideliæ similem facit ex viridi limo; hoc est, non bene ignibus decocto conflatæ, quæ digitis ab emente percussa, statim vitium demonstrat. Quamobrem ad ferendos labores, Hebræos 12. cap. sic admonebat Apostolus, vt *per patientiam currerent ad propositum sibi certamen*, hoc est, vt armati laborum tolerantia, nullam hostium impressionem formidarent; sed potius in media persecutionũ omnium certamina irruerent. In persecutionibus enim, quasi in stadio, sanctorum vigorosa firmitas probatur, quemadmodum elegãter expendit Gregorius Nyssenus, in libro de beatitudinibus. Vbi, tractans vltimam beatitudinem, quę est; *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*, ponderat vocem illam *persecutionem* quæ currẽtium est, & alios cursu superare contendentium. Meditatur autem eo loci S. Pater, virum sanctum & tribulationem simul currere: Sed cùm ille tribulationi non cedit, quasi victorem antecedere, & tribulationem à tergo currere; & idcirco appellari persecutionem non consecutionem, quia hostis persequitur & non assequitur. Volens ergo Paulus, Timotheum per patientiam velocissimè ad gloriæ brauium currere, eidem in memoriam reuocat, quid pro fide & religione Christiana ipse gesserit, quid fuerit passus, quid sustinuerit, vt ostendat per patientiam iustos debere velociter currere donec æternæ vitæ coronam apprehendant. *Tribulatio enim patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem: Spes autem non confundit.*

Rom. 5.

Persecutionis vox, est currentium.

Iustis per patientiam currendum.

19. *Qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Icony, Lystris, quales pſecutiones ſuſtinui.*

Quamuis ſint nonnulli, qui Adiectiuum *qualia*, pro Relatiuo acceptũ, ad perſecutiones & paſſiones ſupra memoratas referant; rectius tñ ij hunc locum interpretantur, q nouam periodũ facientes, p admirationẽ & epitaſin poſitũ dicunt; vt talis ſit admirantis, ſeu potius gloriantis ſenſus: Quàm grauia, q̃ acerba mihi acciderunt Antiochiæ, &c. Quod ad *Antiochiam* ſpectat, plures eo nomine ciuitates inſignitas fuiſſe teſtatur Volaterranus lib. 9. q ab vno Nicanore Seleuci & Laödices filio, primoq; poſt Alexandrũ Syriæ rege, conditas, vel inſtauratas fuiſſe tradit *Antiochias* ſexdecim, in memoriã patris Antiochi, &c. Verũ duplicis tm̃ in Actis Apoſtolicis reperitur *Antiochiæ* mentio: Vna eſt Syriæ, à dicto Seleuco Nicanore (vt quidã volunt) Olymp. 119. cõdita, q̃ poſtea Iuſtinianus Imperator mutato nomine, Theopolim appellauit, vt poſt Euagrium lib. 2. c. 6. prodit Volaterranus. Ex hac Syriæ Antiochia fuit D. Lucas Medicus pictorq; egregius, nec nõ & ille, cui dictus Lucas vtrumq; ſuum volumen, Apoſtolicorũ videlicet Actuum & Euangelij dedicauit, quẽ & nobilem, & à D. Petro conuerſum, eiuſq; domo in Eccleſiam mutata, in ea primã ſuam ſedem D. Petrũ collocaſſe, teſtatur in ſuis Recognit. lib. 10. c. 12. Clemens Romanus. Altera *Antiochia* eſt Piſidiæ, q̃ Aſiæ minoris prouincia eſt, Pamphiliæ, Lycaöniæ, Iſauriæ finitima, cuius populos ait Plinius, lib. 20. cap. 17. antea dictos Solymos, alij Lycios malunt; nonnulli vtriſq; tantũ contiguos fuiſſe: quibus fauere videtur Homerus, Iliad. lib. 6. deſcribens Bellerophontẽ miſſum à rege

Antiochia diuerſa.

Antiochia Syria, quæ?

Antiochia Piſidia.

Paulinæ persecutionis Antiochiæ passæ descriptio. Lyciorũ ad Solymos debellãdos. De hac Pisidiæ Antiochia sermoné hic esse Apostolo, cõmunis est Interpretũ sentẽtia. Persecutioné aũt ibidé cõtra Paulũ & Barnabã excitatã, breuiter, vt solet, perstringit Act. c. 13. D. Lucas, in hunc modũ: *Iudæi aũt concitauerunt mulieres religiosas & honestas, & primos ciuitatis, & excitauerunt psecutionẽ in Paulũ & Barnabã, & eiecerunt eos de finibus suis.* Quib⁹ verbis, licet quid in ea psecutione passi fuerint Apostoli nõ referatur, magnã tñ & acerbã fuisse hanc psecutioné, multaq; ibidé eos passos esse, ex verborũ circũstantiis à D. Luca positis facilè colligi potest. *Eius persecutionis acerbitas.* Primo ex eo q̃ p Iudæos excitata ea persecutio fuerit, quorũ cane peius & angue, ac plusquã Vatinianũ & internecinum in Apostolos odium semp fuit; q̃ odium Eteoclea sue in Christianũ nomen inimicitias, semper retinuerunt, & quoad in ipsis fuit omnib⁹ modis exercuerunt. Vnde Hieron. illa Hieremiæ verba Thren. c. 4. *Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto, &c.* Et illa Iob c. 39. *Induratur ad filios suos, quasi non sint sui, &c.* explicans: *Indurata est*, inquit, *crudelis Synagoga Iudæorum contra Apostolos & prædicatores noui Testamenti, qui de ipsa gente nati fuerant, quasi non essent sui filij, odio eos habens & externos deputans, crudeliter illos vbiq. in deserto Gẽtium persequebatur propter Euangelium Christi.* Quod ipsum etiam testatur prima suæ epistolæ ad Thess. c. 2. D. Paulus, cùm eorũ malitiam describés: *Quia*, inquit, *eadẽ passi estis & vos à contribulibus vestris, sicut & ipsi à Iudæis, q & Dominũ occiderũt Iesum, & Prophetas & nos psecuti sunt & Deo nõ placẽt, & omnib⁹ hominib⁹ aduersantur, &c.* Id q̃ etiã Dñs, nõ tñ Matt. 23. grauib⁹ & multis verbis ipsis Iudæis exprobrat, sed etiã parabolis illis Matth. 21. expressis significat, vbi in similitudine vineæ de-

1\. *Iudæorum in Christianos plusquam Vatinianũ odium.*

scri-

ſcribũtur agricolæ, q̃ apprehẽſis ſeruis, *aliũ ceciderũt, aliũ occiderunt, &c.* item in illa, de inuitatis ad nuptias Matt. 22. q̃ *tenuerũt ſeruos eius,* (inuitãtis) *& cõtumeliis affectos occiderunt.* Similis tametſi antiquior erat q̃rimonia Eliæ 3. Reg. 19. Deũ alloquẽtis. *Dereliq̃runt pactũ tuũ filij Iſrael, altaria tua deſtruxerũt, ꝓphetas tuos occiderunt gladio.* Itẽ illa Leuitarũ apud Eſdrã, lib. 2. c 9. *Prophetas tuos occiderũt, q̃ cõteſtabãtur eos, q̃ reuerterẽtur ad te.* Memoriæ prodidit D. Hieronym. ſolitos olim ter quotidie Iudæos, in omnibus ſynagogis, ſub nomine Nazaræorũ anathematizare vocabulum Chriſtianũ, & in id maledicta cõgerere: quo videtur alluſiſſe Iuſtin. Dialog. cũ Triph. cũ ait q̃, *Iudæi Chriſtũ, & Chriſtianos execrabãtur in ſynagogis:* Licet Epiphan. hæreſ. 29. hoc factum fuiſſe exiſtimet aduerſus hæreticorum ſectam, eiuſdẽ nominis Nazaræorũ, his verbis, quando preces ꝑfecerunt: *Maledic Deus Nazaræis.*

Iudæi Chriſtianũ in ſynagogis maledicere ſolere.

Ex quib⁹ & ſimilibus, non abs re notauit Tertullian. in Scorpic. Iudæorum ſynagogas, fontes perſecutionũ noſtrarũ, de quibus ꝑſecutionibus lib. contra Iudæos cap. 13. ita loquitur: *Nobis, qui ſucceſſimus in locum prophetarũ ea ſuſtinentibus hodie in ſæculo, quæ ſemper paſſi ſunt prophetæ propter diuinam religionem. Alios enim lapidauerunt, alios fugauerunt; plures verò ad mortis necem tradiderunt; quod negare non poſſunt, &c.*

Iudæorum ſynagoga Chriſtianarum perſecutionum fontes.

Auget etiam Paulinæ perſecutionis vim, diuerſi ſexus & dignitatis ꝑſecutorũ cõmemoratio, cũ ciuitatis primores, & *mulierculas honeſtas,* id eſt, diuites, & falſæ ſuæ religioni plurimũ addictas, in hãc ꝑſecutionis ꝓcellã conſpiraſſe narrat. Nec minus auget illud, q̃ additur *eiectos* fuiſſe Apoſtolos *ex finibus eorũ.* Vim enim quandam affert illud *eiiciendi* verbũ, quaſi pugnis, verberibus, & ſimilibus detruſi ex ciuitate vio- 2. 3.

lenter fuissent, quemadmodum B. Stephano accidisse narrant Acta Apostolica, cap. 7.

Huius loci Iconium, quodd

Secundus Paulinæ psecutionis locus cõmemoratur *Iconium*, non illud in Cilicia, in quo se moratũ, li. 3. ep. ep. 5. scribit Cicero; sed illud in Lycaonia Pisidię finitima ad Taurũ monté oppidũ celeberrimũ, vt vocat Plinius, lib. 5. c. 27. In quo oppido, Teclam virginé à Paulo conuersam ad fidé, cõmunis est Doctorũ opinio; cuius assertorem Faustũ Manichæum, D. Aug lib. 30. cõtra eundé, c. 4. non improbat, cũ ille diceret; *Ea in vrbe oppignoratam iã thalamo, in Teclam amorẽ ppetuæ virginitatis accensam.* De eodé Iconio loq videtur Chrysost. homil. 25. in Act. cũ scribit *illam,* (Teclã) *vt sibi in carcere cũ Paulo loq liceret, ex gẽmis & mundo muliebri distracto, collectã custodi pecuniam dedisse.*

Tecla, Iconij à Paulo cõuersa.

Iconij persecutio.

Persecutionis auté in hoc celeberrimo Iconij oppido cõtra Paulũ factæ, nõ meminit in suis Actis D. Lucas, nisi q, ibidé conuersa ad fidé Iudæorũ & Græcorum multitudine, dicatur *ab incredulis Iudæis suscitatas iterũ, & ad iracundiam concitatas Gentium animas aduersus fratres*, Apostolos videlicet, qui Iudæorum aliquo modo fratres secundũ carné fuerant. Additur tñ ibidé, multo tépore demoratos eo loci fuisse Apostolos *fiducialiter agẽtes in domino*; p longã videlicet moram & in mora summã fiduciã, demonstrare cupiens D. Lucas, multa passos esse Iconij Apostolos, q̃ ipse breuitati studens, vno verbo pstrinxerit. Tametsi etiam subiũgatur, diuisam esse post multã hanc morã, multitudiné ciuitatis, & quosdam quidé fuisse cũ Iudæis, quosdã verba cũ Apostolis; ita vt factus fuerit impetus Gentilium & Iudæorũ cũ principibus suis, ad cõtumeliis afficiendũ & lapidandũ Paulũ cũ Barnaba; verũ Apostolos hoc intellecto, confugisse ad Lycaoniæ ciuitates, &c.

Ter-

Tertium suæ persecutionis locum, *Lystram* fuisse dicit Apostolus; cuius nominis duplicem fuisse ciuitatem licet ex cap. 14. & 27. Actuum colligere. Vna enim Lystra fuisse videtur in Lycia, inter Pamphiliam & Cariam, nec longè à Cilicia collocata prouincia, vt lib. 1. Machab cap. 15 indicatur. Ad hanc ciuitatem, nauigato Ciliciæ & Pamphiliæ pelago, se cum Paulo & alijs peruenisse scribit cap. 27. Actor. D. Lucas; licet quidam eo loci, non Lystrã, sed Smirnam, vt Beda, Myram vt Hieronymus, & Chrysostomus, & alij minus probabiliter legendũ putent. Alia est *Lystra* in Lycaonia, Asiæ minoris prouincia, à Phrygiâ nõ valdè longè dissita, montib⁹ separata; oppidum satis ignobile, ad quod post perpessam Iconij persecutionem, Paulum & Barnabam confugisse testatur Act. Apost. c. 14. Lystrensis autem persecutionis à Paulo perpessæ summam, breuiter item Act. cap. 14. commemoratur Postquam enim ob sanatum ex vtero matris suæ Lystrẽsem claudum, diuinos honores Paulo & Barnabæ decretos imò oblatos fuisse narrasset; ijq́ue manibus & pedibus contrà euntes, eosdem recusassent; superuenisse scribit quosdam ex Antiochia & & Iconio Judæos, qui persuasis turbis, lapidantes Paulum traxerunt extra vrbem existimantes esse mortuum. In quibus verbis, maxima continetur Paulinæ persecutionis & tribulationis exaggeratio: Inprimis, quod haud pridem, imò eodem etiam die, quo sacrificio & corona, tanquam Deus immortalis dignus habitus est, lapidibus cinctus fuerit, hisque cæsus vt execranda victima, coactus quodammodo fuerit exuere mortalitatem. Quod

Duplex Lystra.

1. Licia.

2. Liacònia.

Lystrensis persecutionis summa.

deinde ab ijs Judæis maximè fuerit excitata, qui iam ante, & Antiochiæ, & Iconij eundē fuerant ꝑsecuti. Quod præterea lapidibus à turba Lystrensi obrutus fuerit; q̄ supplicĩū præter maximã crudelitatē & sæuitiã, hoc adiunctũ habet, q̄ solis irrogatũ fuerit vel idololatris, vt patet Deut. 13. & 17. vel adulteris, Ezech. 28. Ioan. 8. Deut. 22. Daniel. 13. vel Pythonicum siue diuinationis spiritũ habentibus, Leuit. 20. vel ligna in Sabbatho colligentibus, Num. 15. vel filio in parentes ꝓteruo & contumaci Deut. 21. vel denique blasphemis, & iniuriam Deo verbis, vel factis irrogantibus, Leuit. 21. vbi Israëlitidis filium, ex patre Ægyptium lapidari iubens Dominus, eandem in quoslibet blasphemos extendi pœnam, edixit siue ciues essent, siue peregrini. Quod denique semimortuus, imò ab ipsis persecutoribus pro mortuo habitus ex ciuitate, tanquam execrandum cadauer extractus ibidem relictus fuerit. Commemoratio autem ista eorum quæ passus est Paulus, tacita quędam adhortatio est Timothei, quē alloquitur, ad similia, cum res ferret, toleranda. Quo pacto Petrus, vt inuitet pastores ad gregem pascendum, in 1. sua epistola c. 5. inquit: *Seniores qui in vobis sunt obsecro consenior & testis Christi passionũ*, quas nempe in Christo, & in seipso imitando expresserat. Et licet plurimas alias persecutiones pertulerit Apostolus de q̄b⁹ 2 Cor. 11. gloriatur, nulli⁹ tamē alteri⁹, nisi triũ meminit hoc loco, tũ q̄ aliæ min⁹, hæ v. maximè notæ essēt Timotheo, vtpote q̄ earũ spectator fuisset, tũ etiã, q̄ alijs grauiores in ijs potissimũ manifestata eripiētis Dei potētia apparuisset. Hinc subdit

20 *Et ex his omnibus eripuit me Dominus.*

Vt ad fidei constantiam Discipulum cohortetur Magister

Lapidationis supplicium quibus irrogatum.

Magister, & ne persecutionum metu, quas Paulus proferebat, terreretur Timotheus, præsens è cœlo Dei auxilium sibi semper affuisse dicit. *Fidelis* enim *est Deus quia non sinit nos tentari vltra quod possumus, vt qui dixerit; Non te deseram, neq; derelinquam.* Cum n. Deus sit *adiutor in opportunitatibus*, est semper nobiscum in tribulatione, quemadmodũ Psalm. 90. apud Regium vatem, ipsemet contestatur quando dicit: *Quoniam in me sperauit, liberabo eum; Et quoniam cognouit nomen meum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum.* Tametsi verò in Alexandrina & Iconiensi persecutionibus, nulla huius diuinæ ereptionis mentio in Actis Apostolicis reperiatur, nisi quod vniuersim, ita saluus & incoluminis euaserit, vt ad alias ciuitates proficisci potuerit: in tertia tamẽ quæ Lystris contigit, manifestã Dei opem exitijq; solatiũ affuisse indicatur, c. 24. Actuũ. Nam, posteaq̃ D. Lucas cõmemorasset, furente populo Lystrense lapidatum pro mortuo habitum Paulũ, & extra ciuitatem tractũ subiungit: *Circundantibus autem eũ discipulis, surgens Paulus intrauit ciuitatem, & postera die profectus est cum Barnaba in Derben.* Ex quibus, procul dubio restitutam diuinitus Apostolo sanitatem, viresq; redintegratas, manifestè colligitur. Neque enim aut surgere, per seipsum videlicet, aut intrare ciuitatem quiuisset, aut postera die cum Barnaba perficisci in Derben, homo lapidibus confractus & contritus, ac pro mortuo relictus: Vnde, in eam omnes loci illius Interpretes sententiam abeunt, illam Pauli curationem diuinam, & prodigiosam fuisse, in cuius corpore vulnera & manantem vbertim sanguinem apparuisse, & ita

Deus adiutor in tribulationibus.

De Lystrensi persecutione quomodo ereptus Apostolus.

eum

eum vires defecisse paulò ante viderant lapidantes, vt ipsi meritò eum extinctum esse arbitrarentur. Quod de hac singulari liberatione Lystris facta, cũ alijs duabus, in libro Actuum Apostolicorum, & hoc loco Apostolus narrat: vniuersim de se, suique similibus, posterior. ad Corinthios, capite quarto, commemorat: *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur; sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur, deÿcimur sed non perimus.*

Ex eo porrò, quod à Domino se ex persecutionum procella liberatum gratulabundus deprædicat Apostolus, duo nobis videntur de Deo significari. Primum Dei potentia, vt qui potens sit ex omnibus persecutionibus suos eripere. Ita Deuter. 3. ex hoc suam potentiam declarat ipse Dominus, postquam dixit: *Percutiam & ego sanabo*, statim subiungens; *Non est alius Deus præter me.* Item Sap. 16. *Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem.* 1. Reg. 2. *Domini enim sunt cardines terræ.* Tob. 13. *Non est qui effugiat manum tuam, &c.* Alterum, Dei charitas & misericordiam, quę post persecutiones statim affert solatium: Quasi humano more afflixisse & percussisse pœniteat illum, quemadmodum Tobias cap. 13. explicuit. *Castigauit nos propter iniquitates nostras & ipse saluabit nos propter misericordiam suam.* Et Hier. 26 *B. onas facite vias vestras, & pænitebit Dominum mali, quod locutus est aduersus vos.* Quasi aut pertæsus, aut fatigatus & deficiens flagellando & sumendo vindictam & supplicium; statim remissurum diceret Propheta; cum tamen miserendo, parcendo, benefaciendo, nunquam se lassari, imò potius valdè recreari

1. Dei omnipotentia.

2. Dei charitas.

creati significet; vti Heremias Thren. 5. ad ingentis cladis solatium cecinit: *Quia non repellet in sempiternum Dominus, quia si abyciet & miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum. Non enim humiliauit ex corde.* Rem licet apertè videre, 2. Reg. 24. Cum enim trium dierum pestem comminatus fuisset, vix de mane vsq; ad tempus constitutum, (prandij videlicet meridiani) lues grassàta fuerat; & *misertus est Dominus super afflictionem, & ait Angelo percutienti: Sufficit nunc, contine manum tuam.* Quod autem subinde permittat Deus in manus hostium atq; in persecutiones & mille ærumnas cadere iustum, ideò id facit, vt se tum magnificentiorem redemptorem, & potentiorem vindicem ostendat, cum de his eripit, quàm si tanta mala auertisset, & hostium consilia suâ industria præoccupasset. Inde est q, sanctorum nemo, quamuis captus, & ab iniquis hostibus malisq; & ærumnis possessus vnquam desperet, sed illud potius frequenter in ore habeat, quod Esaiæ 26. scriptum est: *Possederunt nos Domini absque te, tantum in te recordemur nominis tui.* Quasi adeò potentem agnoscerent & prædicarent Deum, à quo de manu iniquorum dominorum & possessorum liberari possent & redimi. Quo etiam spectat illud Prouerb. 23. *Ne attingas paruulorum terminos, ne introeas; propinquus enim eorum fortis est, & ipse contra te iudicabit causam illorum.* Vbi propinqui nomine intelligitur vindex & redemptor, qui iure propinquitatis vindicet, redimat, eripiat ab alieno & iniusto possessore; qui cum fortis & potens sit, eripit de manu persecutorum & ærumnarum. Quo pacto, non solum se illis exhibet ꝓpinquũ, vt qui iure

Deus puniendo citius quàm benefaciendo fatigatur.

Cur Deus suos in manus hostium venire permittat.

Deus vindex & propinquus fidelium.

propinquitatis redimat, sed propinquorũ propinquissimum, & coniunctorum coniunctissimũ. Nam alijs à iusto tribulato descendentibus, alijs eundem persequentibus nemineque se vindicem eius præbente, solus ipse vindex & redemptor adesse solet.

21. *Et omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur.*

Hactenus de priuata sui persecutione Timotheo plura consultò scripsit, ne videlicet is magnopere deterreatur, casu quo simile q d ei accideret; vniuersos porrò qui iuxta Christi voluntaté viuere decreuissent, easdem persecutiones manere hoc loco prędicit; quasi non sibi soli suppliciorum crudelitas ob Christum immineat, sed etiam omnibus qui *piè volunt viuere in Christo*, hoc est, qui iuxta Christi voluntatem, ipsi Christo per gratiá & charitaté, coniuncti, volunt hanc vitam mortalem traducere. Propositio enim vniuersalis, *omnes*, omnium ætatum ac témporum homines cóplectitur, qui per *bona opera vocationem suam facere certam sategerint*. Nam, iuxta Sapientis sententiam, *ad Deum accedens in timore stare* debet, *& ad tentationem animam suam præparare, vt sæcularia desideria abnegans, sobriè, piè & iuste viuens in hoc sæculo, expectet beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei, & Domini nostri Iesu Christi*, in cuius regnum nemo intrare potest, *nisi per multas tribulationes*, Act. 14. cum *regnum cœlorum vim patiatur & violẽti* duntaxat, *illud rapiant*, quemadmodum ipse antesignanus noster Christus, teste S. Luca cap. 24. reipsa docuit, duobus discipulis Emäeunta proficiscentibus, dicens; *oportuisse Christum pati, vt intraret in gloriam suam*

Omnibus fidelibus persecutiones toleranda.

suam, iure antea illi alioqui debitam. Vnica enim salutis adipiscendæ via ratioq;, in tribulationibus, persecutionibus patienter tolerandis consistit, ita vt non abs re dixerit cum Primasio Hieronymus, *timendum esse, ne non piè, ne non Christianè viuat is, qui nihil propter Deum patitur.* Si enim, vt idem Hieron. ait epist. ad Ocean. de ferendis opprobr. *per multas tribulationes, quibusdam cælestis regni aditus aperitur, illis vtique clauditur, qui nolunt sustinere vel pauca.* Quare legis Euangelicæ conditio liberalis & ingenua semper fuit, vt in ipso primo ingressu, planè & clarè denuntiaret tolerantiam rerum arduarum, & experientiam incommodorum; vt scilicet, se non suauia polliceri, non blanda proponere, non spe falsâ illectos decipere ostenderet. In cuius rei typum & figuram, ante legem tradendam, & testamentum pacificandum veræ amicitiæ, quo illos in suum populum & peculium reciperet DEVS, & ante ingressum in terram promissam, multis & varijs tribulationibus & persecutionibus, Israëlitas punit Dominus, Deuteron. 8. *Recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis, per desertum, vt affligeret te, atque tentaret, & nota fierent quæ in tuo animo versabantur, vtrum custodires mandata illius, an non.* Vnde Machabææ gentis author Matthatias, iamiam moriturus, ad confirmandos in tribulatione positos non habuit aptius argumentum, quàm vt respicerent maiores, & eandem insisterent viam, quam illi suo exemplo triuissent. 1. Machab. 2. Quo etiam argumento vsa est Judith, cap. 8. in sua illa plusquam virili concione.

Persecutionum tolerantia est Euangelicæ legis conditio.

Cuius rei typus

Persecutiones ad vitam æternam consequendam necessaria.

Et sanè, si quis scripturę, de hoc argumento varias sententias diligenter trutinet, ad æternæ vitæ consecutionem necessaria videtur tribulationum, ærumnarum, persecutionum perpessio. Hoc enim Tob. cap. 12. declarauit Angelus Raphaël, cum ait: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te.* Quare cum Ananias, in visu admonitus vt quæreret Saulum, dubitaretq́; ea de re atq; timeret lupum infensissimum gregi dominico inferre, ignorans nẽpe qua ratione Christi seruus ex inimico & hoste posset effici statim; vt accepit à Dño, fore vt in suam seruitutem & fideliũ congregationẽ, per patientiam & tribulationes pateret illi aditus; neque nisi probatus admitteretur, & sciens atque volens experimentum, quod de se sumendum esset; dubitationem omnem & cunctationem deposuit. Act. 9. *Dixit ad eum Dominus: vade quoniã vas electionis est mihi iste; Ego enim ostendã illi, quanta oporteat eũ pro nomine meo pati. Et abijt Ananias.* Neq; hoc sacrorum scriptorum libri duntaxat testantur, sed etiam Ethnicus Philosophus Seneca, naturæ duntaxat lumine ductus atq; illustratus hoc affirmauit; *nihil eo infælicius* dicens, *cui nihil eueniat aduersi. Argumentum enim esse, à Deo contemni vt imbellem & ignauum. Nimium quippe delicatus est ille, qui hic vult gaudere cum sæculo & postea regnare cum Christo*, inquit Hieronymus; imò cum qui *id possibile ducit, vehementar decipi* asserit Chrysostomus, lib. 2. de prouid.

Christiana Senecæ sententia.

NOTA. Cur piis solummodo persecutiones prædicantur.

Aduertendum autem hoc loco, Apostolum ijs duntaxat, qui *piè in Christo viuere volunt*, persecutiones prædicere, eo quod impij huius mundi delicijs & vo-

& voluptatibus affluentes, nihil corpori molestum velint admittere. Cum enim tribulationes & persecutiones calici cuidam & potioni similes facere soleat Scriptura; tum, sicut potio medica & ex dulcibus, & ex amaris multa commistione temperatis constat; ita hic diuini supplicij calix, & habet vinum merum, generosum, suaue; & amarissimam pœnarum missionem. Hunc Deus & suis iustis, & peccatoribus solet propinare; Quia *calix est in manu Domini vini meracissimi plenus misto*. Psal. 74. Verũ dulcibus tm̃ assueti impij, hunc calicem, vel cum fastidio & nausea reprobant, vel cũ contemptu omnino reiiciunt: imò si quippiam ex illo delibauerint, protinus euomunt, quia de salute minus soliciti, salutare Dei poculum non agnoscunt. Sed tamen velint nolint, *bibent oẽs peccatores terræ*. Psalm. 74. Hi profectò bibent de vino iræ Dei, quod mixtũ est mero, in calice iræ ipsius, & *cruciabunt igne & sulphure*. Apocal. 14. Iustis autem & pie in Christo viuentibus, veluti mater ad caput lectuli filij decumbentis assidet Deus, deprecatur, præcipit, ingerit persecutionum calicem salutarem. Et licet naturali quadam malorum detestatione & sensu vel ipsi iusti hunc calicem videantur nauseare, (deprecantur enim vt *si fieri posit, transeat ab illis calix iste*) cum tamen indignum existiment non bibere calicem, quem illis materna plusquã indulgentia dedit pater, propinatum sibi poculum auidè arripiunt, atque naturæ difficultati & nauseæ præsentissima remedia admouent, acetum videlicet & fel Christi Iesu patientis. Hæc enim cùm acriora multò, multoq́ue acutiora sint, quàm nostræ acerbitates & dolores, facile ipsorum præsidio, acer-

Persecutiones, calici similes.

Impij persecutionum calicem fastidiunt.

Iustis persecutionum calicem propinat Christus.

bitates & dolores, facile ipsorum præsidio, acerbitatum gustum atq; sensum, aut magna ex parte amittunt & retundunt, aut deliniunt atque temperant. Adeo vt quod sibi suisq; ciuibus mortifero poculo consulens, vltimus ille Campanorum magistratus Lysius, olim hortabatur, Christus iustis dicere videatur: *Poculum, quod mihi datum fuerit, vobis circumfertur: ea potio corpus à cruciatu*, animum à contumeliis, oculos, ipsos à videndis omnibus acerbis, quæ manent victos, vindicabit.

Cur Deus suis amarum persecutionum poculum propinet.

Cur autem tam amaro & insipido persecutionum & tribulationum poculo amicos suos potet Deus, quamuis plurimæ possint reddi rationes, potissima tamen ea esse videtur, quam Ioan. 9. discipulis, illius afflictionis causam percontantibus, qui à natiuitate cæcus fuerat, reddidit. Cæcitatis huius causa, nec ipse cæcus, nec cæci parentes sunt, sed, *vt manifestētur opera Dei*, inquit, *in illo*. Amat enim Deus suorum ærumnas & persecutiones, non ideò, quod illis damnum, aut aliquem doloris sensum inferant; sed quòd non homini solū ad multa vtiles existant; verum etiam ad multos præclaros diuinæ gloriæ & honoris fines deseruiant. Si enim (vt Paulus Rom. cap. 3. testatur) *ideo iniquitas nostra commēdat iustitiam Dei*, quod ex iniquitate patienter dissimulata & tolerata, ad diuinam iustitiam, sanctitatem, & promissionum fidelitatem plurimum honoris & gloriæ redundet: multò sanè magis hominum sanctitas & iustitia, afflicta vexataque, Dei iustitiam & sanctitatem commendabit. Quare, cùm suos calamitatibus exercet Deus, nulla illorum culpa, sed sui tantum honoris, potentiæ, & cuiusdam quasi voluptatis causa id fieri poterit.

Persecutionum toleratione honoratur Deus.

Qua-

Quatuor autem rationibus, manifestat Deus opera sua, iustorum suorum ærumnis & persecutionibus. Primo, manifestatur diuina patiētia aduersus improbos, patratis etiam miraculis, in iusto ab omnibus malis liberando; & tum suam; tum iustorum suorum sanctitatem conspicuam reddendo. Qua diuinæ potentiæ fiducia, afflictorum animos erigit, primæ suæ epistolæ, cap. 4. D. Ioannes, cū ait: *Maior est, qui in vobis est* (Deus) *quàm qui in mundo* (Diabolus) *pressuras vobis excitans.* Non aliam ob causam permisit Deus templum Hierosolymitanum diripi, & sacra vasa in Babylonem asportari, quàm vt, dum illa ignominiose ad profanos vsus tractantur, se illorum Deum, & rerum sibi sacrarum sanctitatem, magno illo manus in pariete scribentis, portento ostenderet.

Quomodo persecutionibus Dei opera manifestentur 4. rationes.

Prima.

Secundò; suam Deus apud ipsos iustos, illorum calamitatibus præsentiam cōmendat, laudesq; conciliat. Quemadmodum enim Deus, olim permisit populū suum ab Ægyptiis vexari, vt ex his ipsi Israelitæ ærumnis discerent, quanta in illorum gratiam, ipse inflixisset Ægyptiis mala: Ita etiam, iustos affligi permittit Deus, vt ex huius vitæ molestiis & persecutionibus, gustum aliquem diuinæ patriæ, diuinæque iustitiæ, quam in inferno erga damnatos exercet, capere & existimare possint.

Secunda.

Tertio, Magnifica illa, & gloriosa paracliti, consolatoris, medici, protectoris, &c. nomina amat & appetit Deus, quæ sine iustorum ærumnis non assumeret. Nam, si sancti in hoc mundo bene valerent & prosperè agerent, non indigerent consolatore, & medico. Hinc Sapient. 16. *Filios tuos,* ait Sapiens, *nec draco-*

Tertia: Iustorū ærumnis præclara nomina sortitur Deus.

vitia & alij Christianorum persecutores trucidãtur, de quibus D. Bernardus serm. de conuers. D. Pauli: *Videbatur*, inquit, *iam cessasse persecutionis tempus, sed vt palam factum, nunquam deesset persecutio Christiano, &c.* Persequuntur enim vitia Christianum, vt testatur Hieron. epist. 1. & lib. 18. de Ciuitat. cap. 15. explicat Augustin. cuius sententia est, eum pati persecutionem, qui durè & molestè, vel à seipso, vel ab alio afficitur. Quo pacto persecutioné patiebatur Regius vates, Psal. 118. p̄uaricantes videns, & ob eos cõtabescens. Et ipsemet Apostolus 2. Cor. 11. *Quis infirmatur in vobis, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* Contabescit enim pius & infirmatur præ tristitia, & beata quadam miseria, vt cit. loquitur Augustinus, etiamsi nihil aliud intrinsecus toleret, cum læsum Dei ab aliis numen contuetur. *Creaturæ enim omnes*, ait Sapiens, Sap. 14. *factæ sunt in tentationem animab⁹ nostris, & in muscipulam pedibus insipientium.* Hinc est, quod Augustin. serm. 32. de sanctis, *totam vitam Christiani hominis, si secundum Euangelium viuat*, dicat *esse crucem atque martyrium, &c.* Et serm. 25. de temp. *Nemo*, ait, *dicat, quod temporibus nostris martyrium certaminis esse non possit; Habet enim & pax nostra martyres suos. Nam iracundiam mitigare, libidinem fugere, iustitiam custodire, auaritiam contemnere, superbiam humiliare magna pars martyrij est.* Quare, omnis Christianus, qui cupiditates effrænes abnegat, ac cohibet, crucemque quotidie suam tollit, & animi prauos affectus suffigit, persecutionem patitur, & martyr quodammodo dici potest. Cum enim martyr Græce datur testis, is non solum Christi testis est, qui mortem pro Christiana fide perfert; sed ille etiam, qui

Cupiditates refrænare, martyrium.

Martyr quis dicendus.

cupiditatum abnegatione & exemplo, Christum Dominum suum, ac Deum esse testatur. Igitur quoticscumque bonis affectibus mandatum Christi facimus, toties Christo testimonium perhibemus, quemadmodum dicto serm. de sanctis 32. notat Augustin. *Crux enim Domini*, addit idem S. Pater, *non tantum illa dicitur, quæ passionis tempore, ligni affixione constituitur*: sed illa, *quæ totius vitæ curriculo, cunctarum disciplinarum virtutibus cooptatur, de qua videtur Saluator dixisse*, Ioan. 16. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me, &c.*

22. Mali autem homines & seductores proficient in peius.

Impij homines nomine indigni.

His qui *piè volunt in Christo viuere malos homines* opponit hoc loco Apostolus, qui videlicet *in labore hominum non sunt, & cum hominibus* (Christianæ fidei & virtutis causa) *nolunt flagellari*, quos hominis nomine non esse dignos, testatur Chrysostomus, homil. 23. in Genes. cum ait: *Ob carnales voluptates, quibus immersi erant* (eos intelligens, quos diluuium maximum oppressit) *amiserant esse homines, &c.* De Noë verò addit: *Iste in tanto populo, hominis imaginem seruauit, &c.* Item: *Noë solus homo; cæteri autem non homines, sed humanam gerentes formam, & ex hominibus in bestias mutati, malitia voluntatis generositatem amiserant, &c.*

Veri hominis descriptio.

Nam, tunc homo est, quando virtutem colit; Neque enim speciem hominis habere, & oculos, & nares, & os, & genas, & cætera membra, hominem ostendũt; (cum hæc solius corporis sint membra) sed cum hominem esse dicimus, qui hominis imaginem saluam retinet.

retinet. Quæ est autem imago hominis? quærit S. Pater; Rationalem esse? Verum, non hoc solum fuerit hominem esse, sed & virtutibus esse deditum, & vitia fugere, & illicitis affectionibus imperare, & mandatis dominicis obtemperare, &c. Vbi etiam idem Chrysostomus, illum hominem esse definit, qui animi sui effrenatis appetitionibus non seruit, sed dominatur: *Ab initio*, inquit, *dicebat Deus; faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram; hoc est, vt imperet, & visibilibus omnibus, & passionibus suis; imperet, non ferat imperium. Itaque, quia amissa dignitate, magis subditus est, & imperium fert potius, quàm imperat, amisit & nomen quod sit homo, & brutorum in se nomina transtulit.* Hactenus Chrysostomus. Id genus homines sunt, quos ait hoc loco Apostolus proficere in peius, eo quod *dimiserit eos Deus secundum desideria cordis sui*, vt vagētur & errent extra viam, certè ad certum interitum, aut præcipitium, quemadmodum ipse ait, qui vera est via, Hierem. 15. *Eiice illos à facie mea, & egrediantur. Quod si dixerint ad te; quo egrediemur? dices ad eos: Hæc dicit Dominus: qui ad mortem, ad mortem; & qui ad gladium, ad gladium; & qui ad famem, ad famem; & qui ad captiuitatem, ad captiuitatem.* Hæc enim sunt omnes *viæ mortis*, in quas mali homines dimittuntur; propter quam dimissionem vocantur etiam seductores, eò quod à via veritatis deuiantes, alios suâ nequitiâ abducant à recto salutis tramite, cum tamen sit vnica via vitæ, à qua ipsi recesserũt, & in qua, per malitiam & versutiam inhærentes, alios post se abducunt.

Mali homines in peius quomodo proficiant.

Vox *malus*, qua hoc loco vtitur Paulus, callidum, veteratorem & mendaciorum non solum architectum,

Vox malus, quid hoc loco denotet.

ctum, ſed etiam diſſimulatorem connotat; cui *nequitia*, ex qua oritur ſeductio, non ineptè reſpondet. Nam, cùm homo in eum finé ſit conditus, vt Deum creatorem colat, qui longius à ſuo fine aberrat, *in via deſerta & in aquoſa ambulans* ſeducetur, vanuſq; & inutilis videtur; iuxta illam Philoſophi doctrinam de fine & vano; nimirum, *quia accepit in vano animã ſuam.* Pſalm. 14. Atque hæc eſt ſumma impiorum hominum deprauatio (quos cap. 15. dicit Iob, *bibere quaſi aquam iniquitatem*) quando videlicet ſibi & aliis, ſicut in peccato nati ſunt, ita peccandi aſſiduitate enutriti & educati, aliis errandi & peccandi occaſionem talem præbẽt, vt etiam ſine voluptate, aut vllo quæſtu, ſed ex propria duntaxat malitia ſeipſos, & alios in multa ſcelera coniiciant. Nam propter voluptatem ſcriptum eſt, Prouerb. 4. *Vinum iniquitatis bibunt*, Cæterum in hæreſi & errorum diſſeminatione, nihil ineſt dulcedinis, ſapor nullus; Licet eo improbitatis & corruptiſſimæ conſuetudinis euadere cernamus hodie impios ſeductores & hæreticos, vt vel ſolo peccati & impietatis nomine, nulla præterea mercede propoſita, ſerendis erroribus, & peccatis augendis inſeruiant, de quibus proiectiſſimis peccatoribus ait Hierem. cap. 2. *Prohibe pedem à nuditate, & guttur tuum à ſiti:* Nam in via peccatorum, currendi ſtudio & contentione, ſiti & ardore pene enecantur & exulcerantur pedibus, totique manant ſanguine qui ſectarij nihilo meliores facti, reſpondent Prophetæ; *Deſperaui, nequaq̃ faciam; adamaui quippe alienos & poſt eos ambulabo.* Quæ voces, ſunt accelerationis impiorum ad peccádum & cupiditatis ad omné improbitatem, de qua ſcriptũ eſt Pſal. 15. vbi præceps qui-

Summa impiorum hominum deprauatio.

Impius, ad omne ſcelus proiectus.

quidam impetus ad scelera commemoratur, quemadmodum & Hierem. cap. 8 scriptum est; *Omnes cõuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens in prælium.* Hæc illa insaniens libido erga amatores suos prostitutæ animæ, hic ille altissimus & profundissimus recessus à Deo, de quo Esaias capite trigesimo quinto, ait: *Conuertimini, sicut in profundum recesseratis,* Q. d. Reuertimini ad eum, à quo profundastis recessum; id est, à quo profunde vehementer, summo studio & incredibili peccandi libidine recessistis. Videatur Oseæ caput 9. *Profunde peccauerunt sicut in diebus Gabaa.* Vbi alluditur ad scelus illud perpetratum cum concubinæ Leuitæ incredibili furore libidinis. Jud. 20. quo similiter plerique impij furunt & agitantur. Eos enim qui Deo vel leuiter adhærent, vel ei resistũt, vel contradicũt, nullius viæ difficultas & labor, ab incœpto itinere deterret, deducitque; atque laboribus & ærumnis fracti, non modo non *custodiunt vias duras*, sed nequius & impudentius præuaricantur, impietatis itinere ardentissimè suscepto, sicut de Achaz dictũ est, 2. Paralip. 28. *Tempore angustiæ suæ auxit contemptum in Domino;* quæ illius impietatis ingens amplificatio est: At iustos ipsa tribulatio, (quemadmodum textu superiori dictum est) in via Dei confirmat. Quare Paulum recta incedentem per viam sanctitatis, deducere de via non potuit ingens ærumnarum & tribulationum impetus. Rom. 8. *Quis,* inquit ille, *nos separabit à charitate Christi? Tribulatio an angustia, fames, nuditas, persecutio, &c.* Imò potius existimat vir iustus, tribulationum stumulos sibi adhiberi à Deo & calamitatum calcaria, vt diligentius

Præceps ad scelera impetus libido.

Impij etiam percussi non emendantur.

Iustos tribulatio confirmat.

Tribulatio iustis ad virtutes stimuli.

rectiusq; pergat in cœpto itinere mandatorum Dei. In quam sententiam, sapienter Seneca, lib. cur bonis accidant mala: *Nolite obsecro,* inq t, *vos expauescere ista, quæ Dij immortales, velut stimulos admouent animis; calamitas virtutis occasio est.* Quare Psal. 43. postquam Regius vates dixit *Et (non) declinasti semitas tuas à via tua;* subijcit statim: *Quoniã humiliasti nos in loco afflictionis;* Q. d. plena est via tua difficultatib⁹ & laboribus, qui cùm nos pungũt, recta nos incedere compellũt.

23. *Errantes & in errore mittentes.*

Ostendit Apostolus, q̊modo mali in seipsis homines proficiant in peius, nempe alios malitiæ suæ peste inficiendo & falsæ doctrinæ fermento corrumpendo. Cum enim *sordescant*, iustum est *vt sordescãt adhuc*, & (sicut Thren. c. 4. scriptum est) *cum errent, vt cæci in plateis, errare faciant Aegyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius & vomens,* Esaiæ cap. 19. Christó porrò & Apostolis familiare semper fuit, describere hæreticos sub nomine falsorum Prophetarum, qui repugnantes doctrinæ, quæ per Episcopos ordinaria successione in Ecclesia præsidentes conseruatur, sectas non metuũt introducere, vt *abducant discipulos post se, & faciant sibi nomen in terra*, vt alij Lutherani, alij Caluinistæ nominentur, de quibus Matth. 24. ait Dñs, *multos Pseudopphetas surrecturos & seductores multos.* Et Paul⁹ Act. 20. *Scio quoniã intrabũt post discessionẽ meã lupi rapaces, in vos, non parcentes gregi, &c.* Sic etiã 2. Pet. 2. prædicit Apostolorũ princeps, quod, quemadmodum in populo veteri fuerunt Pseudoprophetæ; sic & inter Christianos Doctores, futuri sint falsas sectas perditionis insinuantes: Quibus eue-

Hæretici Pseudoprophetarum nomine sæpius descripti.

nit,

nit, quod 2. ad Thessal. cap 2. dicit Apostolus accidisse Judęis, q, eò *quod charitatẽ veritatis nõreceperũt, vt salui fierẽt; ideò misit illis Deus operationem erroris, vt credãt mendacio, &c.* Circa quæ verba D. Hieron. q. 11, ad Algasiam: *Quia,* inquit, *noluerunt* (Iudæi) *recipere charitatem veritatis, hoc est spiritum Dei, ipso Christo, vt Saluatore suscepto salui fierent; mittet illis Deus non operatorem, sed ipsam operationem, id est, fontem erroris, vt credant mendacio.* Quo pacto hodie omnes sectarij, ab Ecclesiæ Catholicæ luce deuiãtes, & in spiritũ erroris adducti, *vanitatẽ diligunt, quærunt q; mendaciũ. Psal. 4.* Sunt n. verè *filij hominũ*, qui *graui corde* in tenebris ambulant, & quia foris sunt, ita percussi *sunt à minimo vsq; ad maximũ excæcati vt ostium in ouile ouium* inuenire non possint. Gen. 19. Ioan. 10. Huiusmodi homines à Domino Matth. 15. *Sicut* olim Pharisæi, *cæci & duces cæcorum* rectè nominantur, qui ducatũ alijs cũ p̃stare præsumunt, ipsi potius caligantes quęrere duces deberent, à q̃bus in sua illa cœcitate in viã rectã reducerẽtur. Quare, sicut Richard⁹ de S. Vict. explicans illa verba Apoc. c. 1. *Habebat in dextera sua stellas septem*; veros Ecclesiæ Catholicæ pręsules stellis, non planetis, id est, errantibus sideribus ideò cõpararat (D. Ioannes) *quia in eodẽ statu iustitiæ debent stare, non per diuersa vitia semetipsos commutare, & conuersationem habere in cælo per contemplationem:* Sic è contrario, hæreticos nõ stellis, sed errantibus sideribus, id est, planetis, cum S. Iuda Apostolo conferre possumus. Sectarios autem vocat S. Iudas fluctus nempe *feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia*; tum quia ipsi extra Ecclesiæ firmamentum positi, in doctrina vitaque errant, tum quia alios in

Haretici erroris spiritui traditi.

Cur Haretici stellis non planetis comparentur.

Sectarij venenato serpenti similes.

vtroque errare faciunt, prout hoc loco testatur noster Apostolus. Hinc est, quod huiusmodi impostores venenato illi serpenti similes faciat D. Irenæus lib. 4. in præfat. qui Euam decepit: *Quemadmodum serpens Euam seduxit, sic & Hæretici in mortem demergunt sibi credentes, &c.* Cui consentiens, lib. de Genes. contra Manich. cap. 25. D. Augustinus; *Ille serpens*, inquit, (qui Euam seduxit) *secundum Prophetiam, Hæreticorum venena significat, &c.* Quemadmodum enim serpens ille, scientiam boni & mali promisit, sed pro scientia falsitatem, mendacium mortemque præbuit: Sic hæretici rerum diuinarum peritiam pollicentur; at pro scientia & veritate, hæresim & mendaciũ, æternã morté afferentia obtrudunt. Et D. Leo serm. 5. de ieiunio mensis 10. *Sicut*, inquit, *decipiendis primis hominibus, ministerium sibi serpentis assumpsit hostis noster; ita hæreticorum linguas, ad seducendos rectorum animos, veneno suæ falsitatis armauit, &c.*

Simile.

Fraudulentæ hæreticorum ad decipiendum artes.

Fraudulentas autem artes, quibus in seducendis hominibus vti solent Hæretici, videtur descripsisse Regius vates, Psalm. 10. *Quoniam peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.* Vbi *peccatoris* nomine, Hæreticos intelligit, quemadmodum in comm. eius Psal. & in epist. 42. ad Vincent. explicat D. Augustinus. Idem quoque describitur Oseæ, cap. 7. his verbis: *Ego erudiui eos & confortaui brachia eorum, & in me cogitauerunt malitiam, reuersi sunt, vt essent absque iugo, facti sunt quasi arcus dolosus.* Quibus verbis sugillationem Hæreticorum contineri tradit D. Hieronymus, Deumq; ipsum conqueri, quod eos erudierit

dierit, dederitq; eis fortitudinẽ, qua contra aduersarios dimicarent; illi verò *cogitauerunt malitiam aduersus Dominum*, impiissimas hæreses astruentes; ita vt facti fuerint quasi arcus dolos⁹, qui pcussit dirigenté, aut etiã quasi arc⁹ intent⁹, parati sem p ad pugnã in subuersioné audientiũ. Hunc hęreticorũ dolũ apposita similitudine indicauit Origenes, in c. 14. ad Rom. cũ ait: *Sicut piratæ, solent in mari in locis vadosis occultis q; scopulis p obscurũ noctis lumen accendere, quo nauigantes sub spe confugiendi ad portum salutis, ad naufragia perditionis inuitent: ita & istud lumen falsæ sapientiæ, vel falsæ fidei, à Dæmonibus* (per hæreticos) *accenditur, non per quod euadant, sed per quod pereant homines, mundi huius pelagus nauigantes*. Sic Origenes. Verũ nõ modò incautos hoẽs veneno sui erroris inficiunt sectarij, sed multis hic implicatos difficultatib⁹, sempiternis deinde addicũt apud inferos cruciatib⁹. Vnde aptissimè in hęreticos illud quadrat, q Iob, c. 4. dicitur: *Vidi eos, q operantur iniquitatem, & seminãt dolores, & metũt eos, flante Deo perijsse*. Etenim, vt interpretatur D. Greg. lib. 5. mor. c. 15. *dolores seminant, qui peruersa agunt, dolores metunt, cũ de eadẽ peruersitate puniuntur: fructus autem doloris, est retributio damnationis.* Quam ob causam, meritò dicitur Eccl. c. 3. *Fili, non semines mala in sulcis iniustitiæ, & non metes ea in septuplum.* Quo loco, per *sulcos iustitiæ* desideria carnis, prauosq; animi affectus intelligit, quib⁹, q fomentũ præbuerint per mala opera, metent inde *septuplũ*, id est, infinitã malorum segetem. Vbi simul aduertendũ, mentem prauis cogitationibus & desiderijs imbutam, appellari *tellurem sulcis distinctam* & aratam, imò etiam seminatam semine vsq; adeò fæcundo, vt copiosa peccatorum seges sperari possit.

Impostorum dolus similitudine declaratur.

Incautos, sempiternis ignibus addicunt sectarij.

24. *Tu autem permane in his quæ dedicisti, & credita sunt tibi.*

Vt probatæ sanæq; doctrinæ remedio, contra sectarios *in peius proficientes*, vtatur Timotheus, hortari pergit Apostolus hoc sensu: His spretis qui doctrina repudiata, quam Patres eorum (sicut ab initio acceperant) semper professi fuère, nouam disciplinam prauè curiosi profitentur; tu persta in semel tradita fidei veritate, nec eorum cuiquam adhæreas, qui ad *nihil aliud vacant, nisi aut dicere, aut audire aliquid noui* Act. 17. Hi enim tot hæreses serunt, quot Philosophi sectas, qui peruersa (hoc est, Dei verbo cōtraria dogmata) docent, vt post se *discipulos abducant*. In eam namque sententiam hoc loco Timotheum admonet, in quam maiores Ecclesiæ Ephesinæ natu Act. 20. præmuniebat: Postquam n. (vt narrat ibidem Lucas) dixisset Paulus; *etiam ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes peruersa, &c.* subiunxit; *Propter quod vigilate, memoria retinentes quoniam per triennium nocte & die non cessaui cum lachrymis monere vnumquemq; vestrum.* Quo ferè sensu, monet in Timotheo omnes illarum Ecclesiarum præpositos Apostolus, in quibus hæresis, iam strages magnas nondum edidit, vt cum surrexerint impostores *gregi non parcentes*, in eo primum *vigilent*, ac meminisse velint, quid à primis tot sæculorum Patribus & magistris didicerint. Hac n. eadem forma ab Apostolo per trienniū eruditi & moniti Ephesij fuerāt; cuius vltimæ institutionis caput & sum̄a hęc erat, *commendare* eos *Deo, & verbo gratiæ ipsius*, id est Euangelio, *quod potens est*, inq̄t, *superædificare & dare hæreditatem in sanctificatis omnibus*. Quibus ijsdem ꝓpe monitis

Huius loci paraphrasis.

Ad compescendas Hæreses, Vigilia & constantia opus.

nitis, quasi armis qbusdā Ephesi Episcopū aduersus Pseudodoctores hic armat, cū in doctrina ab Apostolo tradita eundē pmanere nō solū iubet, sed & eā instar depositi seruare pcipit. Nullū n. est salubrius, tutius, breuius remediū, cōtra recētes vel renouatos errores, q̄ veteris Patrū doctrinæ memoria, ita vt hi soli sint adeūdi, interrogādi, retinendi, quéadmodū declarasse videtur Tertullianus, hoc argumentū prę cęteris in p̄script. c. 21. firmissimè simul & elegantissimè p̄mens: *Hanc, ait, inter alias dirigimus præscriptionē. Si Domin⁹ Iesus Christ⁹ Apostolos misit ad p̄dicandum, alios nō esse recipiēdos p̄dicatores, quā quos Christ⁹ instituit, qa nec alius patrē nouit, nisi filius, & cui filius reuelauit, nec alijs videtur reuelasse filius, quàm Apostolis, quos misit ad prædicandum, vtiq; quod illis reuelauit. Quid autem prædicauerint, id est, quid illis Christus reuelauerit, & hic p̄scribam, non aliter probari debere, nisi per easdē Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viua, qp aiunt voce, quàm per epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis, matricibus, & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit: reliquam v. omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contra veritatē Ecclesiarū & Apostolorū, & Christi, & Dei.* Hæc Tertull. Sic etiam Lirinensis, in libro, quē aduersus profanas omnium hæreseon nouationes scripsit; in quo potissimum demonstrat, in Catholica Ecclesia magnopere curandū, vt id teneamus, *quod vbiq;, quod semper, quod ab omnibus creditum est, & sequamur vniuersitatem, antiquitatem, consensionem, & ab his nullatenus sensibus recedamus, quos sanctos,*

Præsentissimū contra errores remedium.

maiores & Patres nostros celebrasse manifestum est, atq; omniũ, vel certè pluriũ sacerdotũ pariter & magistrorũ definitiones, sententiasq; sectemur, &c. Hæreticorũ n. est, non *in eo pmanere q ab initio audierũt*, vt B. Ioannes ait, imò ipsorũ est ppriũ, vt ad Eph. scripsit D. Paul⁹, *tanquã paruulos fluctuare, & omni vẽto doctrinæ circumferri*; q, nostri temporis Sectarijs euenisse, nemo est q nesciat. Hinc n. Lutherana hæresis tam multiiugis facta est; hinc Cõfessionistæ, Zuingliani, Anabaptistæ, Caluinistæ, &c. q supra fundamentũ, ab Apostolis & Patribus, tanquam *Dei adiutoribus & architectis sapientibus* positum euertentes, non vt par est, superædificant, sed errores, imposturas, fraudes dolosq; malos ad non dubiam simplicium perditionem & certum innocentiũ interitum illi fundamento superaggerant. Contra hos facere videtur id, quod contra sui temporis Origenistas protulit D. Hieronymus; ep. ad Pammachium. *Cur post quadringentos* (mille quingentos & amplius) *docere nos nitimini* (ô Lutherani, Caluinistæ & cæteri nouatores) *quod ante nesciuim⁹? Vsq; ad hunc diẽ sine doctrina mund⁹ Christianus fuit?* Et cõtra Luciferianos, in fine dialogi. *Breuẽ sibi, aptãque animi mei sententiã proferam, in illa Ecclesia est permanendum, quæ ab Apostolis fundata, vsque ad hanc diem durat. Alij v. omnes, hoc ipso quod postea instituti sunt, hæreticos se esse indicant.* Hæc Hieronymus, qui vt antiquitatem vult esse certam veræ doctrinæ notã, ita fatetur nouitatẽ & posteritatẽ, falsæ doctrinæ certissimũ esse indicium; eo quod, *hæreses omnes*, vt ait August. lib. 1. de symb. cap. 5. *de Ecclesia exierint tanquam sarmenta inutilia de vite pretiosa, ipsa autem maneat in radice sua.* Quare; *O miram absurditatem?* exclamat

Hæreticorum proprium in semel acceptis non permanere

Antiquitas certa veræ doctrinæ nota.

exclamat, contra Apollinaristas, epist. 2. ad Cledonium, D. Nazianzenus, *Absconditam post Christum sapientiam nobis annũtiant* (olim Apoplinaristæ, &c. nũc Lutherani & Caluinistæ) *Res lacrymis digna. Si enim triginta* (90.) *his annis, fides originem habuit, cum 400.* (1520.) *fere anni, ab eo tempore effluxerint, quo Christus palam conspectus est, inane tanto tempore fuit Euangelium, inanis etiam fides nostra. Et martyres quidem frustra martyrium subierunt, frustra etiam tales tantique antistites populo præfuerunt.* Sic Gregor. Sed quale cuiusque opus sit, *dies Domini* declarabit, quia *in igne reuelabitur, & vnumquodque opus quale sit, ignis probabit.*

Contra Sectarios antiquitatis nouatores.

Ex his perspicuum fit, qua animi firmitate in asserenda Euangelij veritate, Ecclesiæ Doctores, (*qui ciues sanctorum sunt, & domestici Dei*) esse debeant contra nouitatis leuissimos authores, qui, tanquam hospites & aduenæ, non sunt superædificati *supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipsi summo angulari lapidi Christo Iesu*, qui ædificij sui molem adeo breui ruituram arenæ superstruunt, vt flante leuissimo vento, recta stare diu non possint. E contrario verò Ecclesiæ (quæ veri *sedes est & columna*) doctrina, adeo firmiter immobili petræ innititur, vt inferorum potentia (quæ tamen incomparabilis est) eidẽ præualere, quantumcunque eam impugnet, nõ possit. Sunt enim Ecclesiæ Catholicæ Doctores, illi sancti homines *in sapientia permanentes sicut sol,* Ecclesiast. 27. qui commissa sibi quinque & duo doctrinæ fidei talenta ita tractant, vt copiosum spirituale lucrum, ad regni cælestis ærarium sagaciter, diligenterque negotiando, reportent. *Quis enim putas est fidelis seruus &*

Quanta contra Sectarios animi firmitate opus.

Veri Ecclesiæ Doctores.

prudens; quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram? Lucæ 12.

Participium credita, quid importet. Sciendum tñ est hoc loco, participium *credita*, de actu fidei à Græcis cõmuniter, sicut etiam à nonnullis Latinis, exponi pro credulitate & firma persuasione credendorũ; quasi Timotheum vellet Apostolus, in ea fide & doctrina permanere, q̃ se Doctore acceperat, cũ videlicet *intellectu in obsequium Christi captiuato*, prompto animo credidit iis, quæ sibi fuerãt à Paulo proposita. *Fides* enim *ex auditu, auditus autem per verbum Christi concipitur.* Rom. 10. cum auditus fidem ita præcedat, vt si audiendum sit Euangelium, verba & prædicatio sint necessaria. Tacite, iuxta hãc interpretationẽ, q; laudatur Timotheus, cum tã rari essent, qui, iuxta Esaiæ prædictionem, *credituri erant*, sermonibus tñ & prædicationi Apostolorũ, ipse religionis Christianæ abdita mysteria, in tanti Doctoris & Magistri schola imbibisset. In tradita verò fide ideo permanere vult Timotheum, q; ea sit oportunissimũ medium ad omnium tribulationũ & persecutionum tela excutienda, frangenda, extinguenda. Ephes. 6. *Hæc est n. victoria quæ vincit mundũ fides nostra*, qua & fortiter *Diabolo resistitur*, 1. Ioan. 5. 1. Petri 5.

Timothei laus.

25. *Sciens à quo didiceris.*

Magistri authoritatẽ cõmendat Apostolus, quo magis ad conseruandam doctrinam pceptã discipuli studium excitet. Nam ipsius magister, vt idẽ Galat. c. 1. testatur, non *ab homine* Euangelium accepit, neq; didicit, sed *per reuelationẽ Iesu Christi*; Et hoc, sicut ad Hebræos scripsit, vt *abundantius obseruaret* ea Timotheus, q̃ audisset, *ne forte pereffflueret*. Hęc porrò verba peri-

Periphrasis quædam sunt ipsius Apostoli, non absimilis illis Christi, Ioan. c. 4. cum Samaritana loquentis: *Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, da mihi bibere, &c.* Proprium siquidem est, non modò sacrorum Doctorum, sed & Scriptorũ, vt se non indicent authores vel suæ doctrinæ, vel suorum librorum & donorum, sed Spiritum sanctum, qui illorũ linguis, ceu *calamo velociter scribente*, Psal. 44. vtitur, quemadmodum eleganter annotat Gregorius, in cap. 1. suæ præfat. in Iob. Hinc, illa extrema verba Deuteronomij, quæ agunt de morte Moysis, ab ipso Moyse iam iam morituro, tanquam de alio quopiam, conscripta Iosephus Historicus asseruit: *Mortuus est ibi Moses.* Sic etiam modestus ille, qui nihil molitur inane, veritatis prædicator Paulus, cùm 2. Corinth. 12. venit ad visiones & reuelationem illam diuturno silentio suppressam, vt quam ante quatuordecim annos accepisset, quasi non sibi, sed alteri factam illam nulla inanium circumstantiarum iactatione, commemorat. *Scio hominem, &c. siue in corpore, siue extra corpus, nescio*; deinde subiungit, ea quæ audierat, *non licere homini loqui*; vt vel hinc colligi possit, id verissimũ Prouerbium, quod Prouerb. 29. à Sapiente est prolatũ: *Totum spiritum profert stultus; sapiens differt & reseruat in posterum.* Sui extenuationis studiosissimum fuisse Paulum, annotauit Chrysostomus, in illud, ad Corinth. cap. 15. *Nouissime autem omnium, tanquam abortiuo visus est & mihi. Ego n. sum minimus Apostolorũ, &c. Vide*, inquit Chrysost, *extenuandi verbis q̃ largè sit vsus. Visus est mihi veluti abortiuo, minimo Apostolorum, & ipso nomine Apostoli indigno. Neq; his est contẽtus: Ne n. verbis humilis tantũ videretur, causas etiam & rationes adducit,*

Ipsius Pauli paraphrasis.

SS. Scriptorum proprium se suorum librorum authores non indicare.

Pauli modestia

quòd

quòd abortiuus quidē sit, quia Iesum postremus vidit; quod Apostoli nomine indignus, quia sit Ecclesiam persecutus. Quibus verbis, vult Chrysostomus Paulum ad perfectissimum illum humilitatis gradum ascédisse, cum quis ita se gerit, vt alij opinionem de eius vilitate & abiectione planè concipiant, nec id quod facit, existiment ex humilitate & modestia, sed ex veritate procedere. Conatur enim illis verbis ostédere Apostolus, & efficacibus rationibus persuadere aliis se *minimum esse Apostolorum,* & *Apostoli nomine indignum.* Quod idem repetit in comm. super cap. 1. epist. ad Galat. *Paulus,* inquit, *abortiuum se appellat, & omnium peccatorum primum, & minimum Apostolorum, & huius honore nominis indignum; Atque hæc dicebat, cum plus omnibus laborasset:* Quod quidem præcipuum est modestiæ argumentum. Etenim, cum is qui sibi nullius bonæ rei conscius est, submisse de seipso loquitur, prudens est, non modestus. At, qui post emeritas coronas, præcipuè talia loquitur, ille nouit quid sit modestia.

Paulus, ad perfectißimū humilitatis gradum ascendit.

Vult itaque Paulus inculcare Timotheo paucis illis verbis, illi non eum Doctorem obtigisse cuiusmodi sunt impostores, qui *falsi nominis scientiam* profitentes falsa docent, vitæque sunt impurissimæ & fallacis; sed *in fide & veritate Doctorem,* 1. Timoth. 2. qui non cuiusque fidei, sed Euangelicæ magister sit, quæ vmbras illustrat, promissiones implet, atque absolutam diuinorum ad salutem necessàriam cognitionem præstat. Quasi dicere vellet Timotheo: Cum non à quouis, sed à Paulo edoctus sis de omnibus; immobilem te *permanere* conuenit *in his, quæ didicisti.* Pauli certè sermo, prout Corinthiis scribit 2. Cor. 1.

Pauli constans semper prædicatio.

non

non erat apud eos in illo est, & nõ; sed in illo est. Q.d. se prædicando, de eodem nihil affirmasse simul & negasse, quasi aliud stans, aliud sedens de eodẽ dogmate sentiret, aliudue ore proferret, quã corde cogitaret, & aliud ex ratione, aliud ex voluntate exhiberet (hoc n. Sectariorũ est ꝓprium) sed eius sermo (prout Matth. c. 5. scriptũ est) *erat est est; non non.* Eiusmodi Doctorẽ imitaturo discipulo, in eam curam incumbendũ erat, vt nulli peccato cedens, tota ipsius vita prę se ferret innocentiam & immotam defendendæ veritatis constantiam. Ecclesiæ n. antistes, vt arbor fixa & bene radicata, non vt arundo leuissima esse debet, quẽadmodũ c. 1. Coloss. monet Apostolus: *Sicut Christũ,* inquit, *accepistis, ita ambulate in eo, radicati & superædificati in ipso, & confirmati in fide.* Et rursum, c. 3. ad Ephes. scribẽs, dicit, *Christũ habitare per fidẽ in cordibus nostris, in charitate radicato & fundato.* Ad hanc animi in fide firmitudinẽ & constantiam passim hortantur Scripturæ: Vnde Eccles. c. 5 5. *Non te ventiles,* ait Sapiens, *in oẽm ventum, & esto firmus in via Domini, & in veritate sensus tui.* Et iterũ c 27. *Homo sanctus, in sapientia manet sicut sol, stultus sicut luna mutatur.* De hæreticis porro & nouitatum studiosis, Esaiæ 41. cap. scriptũ est, quòd *neq; plantatus, neq; satus sit in terra truncus eorum. Repẽte flauit ventus in eos & aruerunt, & turbo quasi stipulam auferet eos.* Cuiusmodi, tanq̃ arundines, Psal. 1. describens Regius vates: *Non sic,* inquit, *implj non sic, sed tanq̃ puluis quẽ proiicit ventus à facie terræ:* queadmodũ Scripturæ testimoniis probari potest. Hebr. 13. *Optimum est, gratia stabilire cor.* Thren. 11. *Peccatum peccauit Ierusalem; ideo instabilis facta est.* Psalm. 2. *Mihi adhærere Deo bonũ est.* Qui n. Deo adhæret, nulla tentatione commouetur, nec vllo persecutionum vẽto concutitur,

Ecclesiæ antistes, arbor fixæ esse debet.

Hæreticorum inconstantia.

sed *ædificat domum suam super petram.* Matth. 7. de quo dicit Ecclesiasticus cap. 15. *Et firmabitur in illo, & non flectetur: & continebit illum, & non continetur.*

26. *Et quia ab infantia sacras literas nosti.*

Mirum, quàm Hebræi fuerint in commemorandis maiorum suorum rebus gestis curiosi & subtiles, vt ad veri Dei & totius virtutis cultum, posteritatem patrum suorum exemplo prouocarent. Inde factum est, vt suis filiis progenitores suos imitandos iugiter proponerēt, si quid pro patria, pro legibus, pro religione grauius suscipiendum fuisset. Gloriam insuper captabant ex legislatorum origine, ex ducum prosapia, ex magistrorum & Doctorum celebritate, & ex iis, à quibus ad se beneficia aliqua promanasse sensissent. Paulus certè vt cæteros omittam, ideo de se iactat, quod supra suos cōætaneos paternarū traditionum æmulator fuerit, quod ad Gamalielis viri consultissimi pedes, Mosaicæ Legis explanationem audierit; Et, (vt sibi Galatæ fidem darent) se non cuiusquā mortalis opera, sed vnius Christi reuelatione, Euangelium didicisse affirmat; quo, cum *Ecclesiæ columnis*; hoc est Apostolorū præcipuis, collato, eiusdem confirmationem & approbationem ab iisdem accepisse inculcat, ne dubium alicui obrepat, sitne cæterorū instar verus Apostolus. Ad sui igitur imitationē prouocatū Timotheum, vult eundem memoria repetere, quo Doctore, iam inde à puero sit sacras literas eruditus. Et hoc quidē, ne facile pseudoprophetarū fraudibus & imposturis se patiatur, ab antiquæ veritatis professione & defensione abduci,

Iudæorum gloria studium.

duci, quam præuio tam celebri Apostolo, eximioq; professore imbiberat, priusquam ætatis maturitatem assequeretur. Et hoc ideo maximè, q, arduum non sit, aut difficile in eis permanere, quæ quis à primis annis didicit, prout Prouerb. 22. tritum est; *Adolescentem iuxta viam suam ambulantem, etiam cum senuerit, non recessurum ab ea.* Sed in quem finem sacras literas didicerat Timotheus? Vt iisdem edoctus, *Domini iugum ab adolescentia portans,* Deum timere disceret, sicuti Tob. cap. 1. scriptum est. *Timenti autem Deum,* contra carnem, mundum, & Dœmonem continua lucta cum sit, tum ei iugiter armis opus est, non carnalibus, (quia vt 2. Corinth. cap. 1. ait Apostolus, *carnalia non sunt, sed potentia à Deo)* sed spiritualibus, quibus fides nostra defendatur. Ea autem arma, verbis, rationibus, & argumentationibus constant, quæ ex sacris literis depromuntur, quemadmodum ostendit Paulus, Ephesios ad spiritualem pugnam præparans & instruens: *In omnibus,* inquit, *sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi extinguere: & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Hæc sunt arma, quibus Antistes, & populi Dei præfectus olim pugnabat contra Sectarios. Hunc gladium habuerunt in manibus suis Doctores sancti & Catholici, & per illum fecerunt *vindictam in nationibus, increpationes in populis.* Psalm. 149. Vindictam inquam, quia Iudæos & Gentiles, à quibus persecutionem passi sunt, per virtutē gladij spiritualis, verbi Dei scilicet, occiderūt mundo, & conuerterūt ad fidem, separauerunt à vitiis & conuerterunt ad virtutes, increpando eorum male acta. *Viuus n. sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Hebr. 4.

In quem finem sacræ literæ discantur. 1.

Arma contra Sectarios subministrat Scriptura.

Quia igitur hæc sunt arma, quibus Christianorum Antistiti ꝑliandū est, in sacris literis huiusmodi arma subministrantibus (est n. SS. Scriptura, mystica quædā turris Dauid, ex qua omnis armatura fortium & Catholicorū virorum dependet) se ab infantia exercuit Timotheus, ne forte tēpore belli, miles nunquā exercitatus, in bello succumberet, cū dexterius multo pugnet militiæ assuetus, q̄ is, q nunq̄ arma sumpsit. Altera causa, cur adhuc infans ad sacras literas animum appulerit Timotheus, fuit fortasse auiæ & matris fidelium catechizatio, qua didicerat, *vanos esse oēs homines, in qbus non subest Dei scientia; & de his quæ videntur bona,* non posse intelligere eum *qui est, neque operibus attendentes agnouerint quis fuerit artifex.* Vbi namque non est scientia animæ, ibi non est bonum.

Veteris testamenti libri cur sacræ literæ dicantur.

Veteris porro sicut & noui Testamenti libri duas ob causas, à Paulo *sacræ literæ* dicuntur. Primo q̄,
1. eam Dei doctrinam sub se contineat, cuius vis tanta est, vt *sanctificare*, id est, sanctum reddere possit, iuxta illud Pauli 1. Timoth. 4. *Omnis creatura bona est, &c. Sanctificatur n. per verbum Dei,* in scripturis videlicet contentū. Hinc est, q̄ Dñs in illa sua oratione Ioan. 17. *Pater,* inquit, *sanctifica eos in veritate; sermo n. tuus veritas est.* Quibus verbis à Patre suo cælesti petit Christus Dñs, vt ij q totius orbis futuri erant magistri sanctificentur, id est, sancti reddātur *in* siue ꝑ veritatē sermonis diuini, qua sanctificati digni reddā-
2. tur Doctores omni instructi veritate & virtute. Sancta item dicitur Scriptura, q̄ *Spiritu sancto inspirati locuti eam fuerint Sancti Dei homines*, vt loquitur D. Petrus 2. Petri 1. & paulò pòst testatur Apostolus, eandem *diuinitus*, siue à Deo inspiratam dicens, à quo nil nisi sanctū proficisci potest.

27. Quæ

27. *Quæ te possunt instruere ad salutem.*

Concludit in eo esse firmiter permanendum, quod ad salutem obtinendam, hominem sat superque potes erudire; Id autem sacrarum literarum legitima veraq; cognitio præstat, etiamsi Doctoris opera non semper adsit; quia in sacris literis reperire est *diuitias salutis*, quæ sunt sapientia & scientia Esa. 33. Dixi porrò cognitionem sacrarum literarum legitimam veramq; ad salutem conducere, quia quæ legitima veraque non est, *petra* potius est *scandali* & *lapis offensionis*; quemadmodum Sectarij semper probauêre, qui patrem, vel potius Doctorem suum Diabolum sequentes sacris literis abutuntur, non tam ad suam ipsorum perniciem, quam multorum simplicium perditionem. Tanta est enim Hæreticorum peruersitas, vt fallere volentes, non nisi ex scripturis fallant; quarum vt maximam esse sciunt authoritatem, ita ex ijs se facilè decipere possè norunt, si pro suo libito fuerint easdem interpretati, Vnde Augustinus, tract. 18. in Ioan. *Non aliunde natæ sunt*, inquit, *hæreses & quædam dogmata peruersitatis illaqueantia, & in profundum præcipitantia; nisi dum scripturæ bonæ intelliguntur non bene: & quod in illis non bene intelligitur, etiam temerè & audacter asseritur.* Si enim illorum antesignanus Diabolus sacrarum authoritate literarum, summæ veritati Christo totius sapientiæ & scientiæ thesauro, fuçum facere voluit, quomodo incautis non facilè imponent, per eandem authoritatem Sectarij? Quamobrem, Christi fidelibus in mentem venire debet, in doctrinâ fidei esse considerandum, non quod illis dicatur, sed

Scripturarum legitima cognitio ad salutem potest erudire.

Sectarij scriptura abutuntur.

In rebus fidei quid considerandum.

quis illis dicat, eo quod non ex sola litera & textu scripturarum, sed ex eius sensu recto & orthodoxo, fides, seu fidei causa & consolatio sit petenda. Cum enim sola ratio totius veritatis humanæ regula sit & principium, ratio autem necessario sit semper vera; (quicumq; tandē ille sit, qui ratiocinatur) in fide tamē q̄a eius regula est authoritas, nō ratio *(quod enim aliquid scimus, rationi; q̄ credimus authoritati debemus*, ait Aug lib. de vtilit. cred. c. 11.) propterea dispiciēdum, quis, & qua authoritate præditus, vel vt minimum, qua fide & religione imbutus sit, qui de fide disputat, aut scripturas eo pertinētes profert. Quod ipsum ordo à Christo institutus videtur in Ecclesia confirmare, in qua non omnes Prophetæ, non omnes Doctores sunt. 1. Cor. 12. & Rom. 10. *Quomodo prædicabunt, non mittantur.* Et apud Hierem. 23. *Ipsi currebant, & ego nisi mittebam eos.* Sicuti ergo non omnes sunt Doctores, ita neq; omnium est docere in causa fidei. Quod diligenter ijs considerandū est, qui de fidei doctrina tum catechizantur, tum erudiuntur. Quamobrem, rectè monuit libro de præscipt. aduersus hæreticos, Tertullianus, vt videlicet aspiciatur cui competat possessio scripturarum, ne is admittatur ad eandem, cui nullo modo competit. *Ordo namq; rerū* (ait paulo post) *hoc desiderabat, illud prius proponi quibus competat fides ipsa: cuius sint scripturæ: à quo & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani. Vbi n. apparuerit esse veritatem disciplinæ, illic erit veritas scripturarū, & expositionū, & omniū traditionū.* Hæc Tertull. à S. Paulo videlicet edoctus, qui superbos quosdam, qui sibi videbantur Prophetæ & spirituales, reijcit & retundit, dicens 1. Cor. 14. *An à vobis verbum Dei processit, aut ad vos solos peruenit?*

Non omnium sit in Ecclesia docere.

Quibus

Quib⁹ verbis, docet eos nec magistros esse Ecclesiarũ, à quibus prędicatio verbi ꝓcessit, nec etiã ad ipsũ populum fidelem pertinere, ad quem illa prædicatio peruenit; ideoq; eos omni modo à prophetandi, seu verbum Dei & scripturas interpretandi potestate remouendos. Quo etiam iure & titulo, nostri temporis Sectarij hæreticiq́; omnes, ab omni scripturarum tractatione cohibendi sunt, nec (etsi scripturas proferant) vllo modo audiendi, non magis, quàm rebelles sequendi, qui vexilla & arma regia in manus suscipiunt & vsurpant. *Si* enim *hæretici sunt*, ait cit. Tertull. *Christiani non sunt: Ita non Christiani, nullum ius capiunt Christianarum literarum.*

Jus autem legitimè Scripturas interpretandi suæ soli Ecclesiæ, id est Episcopis & pastoribus, vnam fidem eamq́ue veram & Catholicam summa consensione perenniq́; successione habentibus, tradidit Dominus; vt non tantum ex Patribus, verum ex scripturis fit euidentissimum. Quoties enim in scripturis docendi prouincia Apostolis, vel Episcopis committitur, vt Matth. vlt *Docete omnes gentes*; & ad hoc docendi munus, Dei spiritus promittitur, Joan. 16. *Spiritus docebit vos omnia:* toties illis ad hanc scripturarum interpretationem missis, Dei Spiritus promittitur. Docere namque verbum Dei, non est illud duntaxat legere, & referre, séd disserere & explanare, quemadmodum ex eo patet, quod Saluator docuisse dicitur in synagogis, Joan. 18. quia videlicet (quod expresſè commemoratur, Matthæi capite quinto, Lucæ quarto, Joannis 17.) scripturas & veteres Prophetas interpretabatur, mirantibus Judæis, quomodo scripturas sciret, cum

Ius scripturas interpretandi cuinam competat.

Docere idem quod exponere.

prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram? Lucæ 12.

Participium credita, quid importet. Sciendum tñ est hoc loco, participium *credita*, de actu fidei à Græcis cõmuniter, sicut etiam à nonnullis Latinis, exponi pro credulitate & firma persuasione credendorũ; quasi Timotheum vellet Apostolus, in ea fide & doctrina permanere, q̃ se Doctore acceperat, cũ videlicet *intellectu in obsequium Christi captiuato*, prompto animo credidit iis, quæ sibi fuerãt à Paulo proposita. *Fides* enim *ex auditu, auditus autem per verbum Christi concipitur*. Rom. 10. cum auditus fidem ita præcedat, vt si audiendum sit Euangelium, *Timothei laus.* verba & prædicatio sint necessaria. Tacite, iuxta hãc interpretationẽ, q. laudatur Timotheus, cum tã rari essent, qui, iuxta Esaiæ prædictionem, *credituri erant*, sermonibus tñ & prædicationi Apostolorũ, ipse religionis Christianæ abdita mysteria, in tanti Doctoris & Magistri schola imbibisset. In tradita verò fide ideo permanere vult Timotheum, q. ea sit opportunissimũ medium ad omnium tribulationũ & persecutionum tela excutienda, frangenda, extinguenda. Ephes. 6. *Hæc est n. victoria quæ vincit mundũ fides nostra*, qua & fortiter *Diabolo resistitur*, 1. Ioan. 5. 1. Petri 5.

25. *Sciens à quo didiceris.*

Magistri authoritatẽ cõmendat Apostolus, quo magis ad conseruandam doctrinam pceptã discipuli studium excitet. Nam ipsius magister, vt idẽ Galat. c. 1. testatur, non *ab homine* Euangelium accepit, neq; didicit, sed *per reuelationẽ Iesu Christi*; Et hoc, sicut ad Hebræos scripsit, vt *abundantius obseruaret* ea Timotheus, q̃ audisset, *ne forte pereffueret*. Hęc porrò verba peri-

periphrasis quædam sunt ipsius Apostoli, non absimilis illis Christi, Ioan. c.4. cum Samaritana loquentis: *Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, da mihi bibere, &c.* Proprium siquidem est, non modò sacrorum Doctorum, sed & Scriptorũ, vt se non indicent authores vel suæ doctrinæ, vel suorum librorum & donorum, sed Spiritum sanctum, qui illorũ linguis, ceu *calamo velociter scribente*, Psal.44. vtitur, quemadmodum eleganter annotat Gregorius, in cap. 1. suæ præfat. in Iob. Hinc, illa extrema verba Deuteronomij, quæ agunt de morte Moysis, ab ipso Moyse iam iam morituro, tanquam de alio quopiam, conscripta Ioseph⁹ Historicus asseruit: *Mortuus est ibi Moses.* Sic etiam modestus ille, qui nihil molitur inane, veritatis prædicator Paulus, cùm 2. Corinth. 12. venit ad visiones & reuelationem illam diuturno silentio suppressam, vt quam ante quatuordecim annos accepisset, quasi non sibi, sed alteri factam illam nulla inanium circumstantiarum iactatione, commemorat. *Scio hominem, &c. siue in corpore, siue extra corpus, nescio*; deinde subiungit, ea quæ audierat, *non licere homini loqui*; vt vel hinc colligi possit, id verissimũ Prouerbium, quod Prouerb. 29. à Sapiente est prolatũ: *Totum spiritum profert stultus; sapiens differt & reseruat in posterum.* Sui extenuationis studiosissimum fuisse Paulum, annotauit Chrysostomus, in illud, ad Corinth. cap. 15. *Nouissime autem omnium, tanquam abortiuo visus est & mihi. Ego n. sum minimus Apostolorũ, &c. Vide*, inquit Chrysost, *extenuandi verbis q̃ largè sit vsus. Visus est mihi veluti abortiuo, minimo Apostolorum, & ipso nomine Apostoli indigno. Neq; his est contẽtus: Ne n. verbis humilis tantũ videretur, causas etiam & rationes adducit,*

Ipsius Pauli paraphrasis.

SS. Scriptorum proprium se suorum librorum authores non indicare.

Pauli modestia

quòd abortiuus quidẽ sit, quia Iesum postremus vidit; quòd Apostoli nomine indignus, quia sit Ecclesiam persecutus. Quibus verbis, vult Chrysostomus Paulum ad perfectissimum illum humilitatis gradum ascẽdisse, cum quis ita se gerit, vt alij opinionem de eius vilitate & abiectione planè concipiant, nec id quod facit, existiment ex humilitate & modestia, sed ex veritate procedere. Conatur enim illis verbis ostẽdere Apostolus, & efficacibus rationibus persuadere aliis se *minimum esse Apostolorum,* & *Apostoli nomine indignum.* Quod idem repetit in comm. super cap. 1. epist. ad Galat. *Paulus*, inquit, *abortiuum se appellat, & omnium peccatorum primum, & minimum Apostolorum, & huius honore nominis indignum; Atque hæc dicebat, cum plus omnibus laborasset:* Quod quidem præcipuum est modestiæ argumentum. Etenim, cum is qui sibi nullius bonæ rei conscius est, submisse de seipso loquitur, cõprudens est, non modestus. At, qui post emeritas coronas, præcipuè talia loquitur, ille nouit quid sit modestia.

Paulus, ad perfectißimũ humilitatis gradum ascendit.

Vult itaque Paulus inculcare Timotheo paucis illis verbis, illi non eum Doctorem obtigisse cuiusmodi sunt impostores, qui *falsi nominis scientiam* profitentes falsa docent, vitæque sunt impurissimæ & fallacis; sed *in fide & veritate Doctorem,* 1. Timoth. 2. qui non cuiusque fidei, sed Euangelicæ magister sit, quæ vmbras illustrat, promissiones implet, atque absolutam diuinorum ad salutem necessariam cognitionem præstat. Quasi dicere vellet Timotheo: Cum non à quouis, sed à Paulo edoctus sis de omnibus; immobilem te *permanere* conuenit *in his, quæ didicisti.* Pauli certè sermo, prout Corinthiis scribit 2. Cor. 1.

Pauli constans semper prædicatio.

non

non erat apud eos in illo est, & nõ; sed in illo est. Q. d. se prædicando, de eodem nihil affirmasse simul & negasse, quasi aliud stans, aliud sedens de eodé dogmate sentiret, aliudue ore proferret, quã corde cogitaret, & aliud ex ratione, aliud ex voluntate exhiberet (hoc n. Sectariorũ est ꝓprium) sed eius sermo (prout Matth. c. 5. scriptũ est) *erat est est; non non*. Eiusmodi Doctoré imitaturo discipulo, in eam curam incumbendũ erat, vt nulli peccato cedens, tota ipsius vita prę se ferret innocentiam & immotam defendendæ veritatis constantiam. Ecclesiæ n. antistes, vt arbor fixa & bene radicata, non vt arundo leuissima esse debet, quẽadmodũ c. 1. Coloss. monet Apostolus: *Sicut Christũ*, inquit, *accepistis, ita ambulate in eo, radicati & superædificati in ipso, & confirmati in fide*. Et rursum, c. 3. ad Ephes. scribés, dicit, *Christũ habitare per fidẽ in cordibus nostris, in charitate radicato & fundato*. Ad hanc animi in fide firmitudiné & constantiam passim hortantur Scripturæ: Vnde Eccles. c. 55. *Non te ventiles*, ait Sapiens, *in oẽm ventum, & esto firmus in via Domini, & in veritate sensus tui*. Et iterũ c 27. *Homo sanctus, in sapientia manet sicut sol, stultus sicut luna mutatur*. De hæreticis porro & nouitatum studiosis, Esaiæ 41. cap. scriptũ est, quòd *neq; plantatus, neq; satus sit in terra truncus eorum. Repẽte flauit ventus in eos & aruerunt, & turbo quasi stipulam auferet eos*. Cuiusmodi, tanq̃ arundines, Psal. 1. describens Regius vates: *Non sic*, inquit, *implj non sic, sed tanq̃ puluis quẽ proiicit ventus à facie terræ*: quéadmodũ Scripturæ testimoniis probari potest. Hebr. 13. *Optimum est, gratia stabilire cor*. Thren. 11. *Peccatum peccauit Ierusalem; ideo instabilis facta est*. Psalm. 2. *Mihi adhærere Deo bonũ est*. Qui n. Deo adhæret, nulla tentatione commouetur, nec vllo persecutionum véto concutitur,

Ecclesiæ antistes, arbor fixa esse debet.

Hæreticorum inconstantia.

sed *ædificat domum suam super petram.* Matth. 7. de quo dicit Ecclesiasticus cap. 15. *Et firmabitur in illo, & non flectetur: & continebit illum, & non continetur.*

26. *Et quia ab infantia sacras literas nosti.*

Mirum, quàm Hebræi fuerint in commemorandis maiorum suorum rebus gestis curiosi & subtiles, vt ad veri Dei & totius virtutis cultum, posteritatem patrum suorum exemplo prouocarent. Inde factum est, vt suis filiis progenitores suos imitandos iugiter proponerēt, si quid pro patria, pro legibus, pro religione grauius suscipiendum fuisset. Gloriam insuper captabant ex legislatorum origine, ex ducum prosapia, ex magistrorum & Doctorum celebritate, & ex iis, à quibus ad se beneficia aliqua promanasse sensissent. Paulus certè vt cæteros omittam, ideo de se iactat, quod supra suos cōætaneos paternarū traditionum æmulator fuerit, quod ad Gamalielis viri consultissimi pedes, Mosaicæ Legis explanationem audierit; Et, (vt sibi Galatæ fidem darent) se non cuiusquā mortalis opera, sed vnius Christi reuelatione, Euangelium didicisse affirmat; quo, cum *Ecclesiæ columnis*, hoc est Apostolorū præcipuis, collato, eiusdem confirmationem & approbationem ab iisdem accepisse inculcat, ne dubium alicui obrepat, sitne cæterorū instar verus Apostolus. Ad sui igitur imitationé prouocatū Timotheum, vult eundem memoria repetere, quo Doctore, iam inde à puero sit sacras literas eruditus. Et hoc quidé, ne facile pseudoprophetarū fraudibus & imposturis se patiatur, ab antiquæ veritatis professione & defensione ab-

Iudæorum gloriæ studium.

duci,

duci, quam præuio tam celebri Apostolo, eximioq; professore imbiberat, priusquam ætatis maturitatem assequeretur. Et hoc ideo maximè, q, arduum non sit, aut difficile in eis permanere, quæ quis à primis annis didicit, prout Prouerb. 22. tritum est; *Adolescentem iuxta viam suam ambulantem, etiam cum senuerit, non recessurum ab ea.* Sed in quem finem sacras literas didicerat Timotheus? Vt iisdem edoctus, *Domini iugum ab adolescentia portans*, Deum timere disceret, sicuti Tob. cap. 1. scriptum est. *Timenti autem Deum*, contra carnem, mundum, & Dæmonem continua lucta cum sit, tum ei iugiter armis opus est, non carnalibus, (quia vt 2. Corinth. cap. 1. ait Apostolus, *carnalia non sunt, sed potentia à Deo)* sed spiritualibus, quibus fides nostra defendatur. Ea autem arma, verbis, rationibus, & argumentationibus constant, quæ ex sacris literis depromuntur, quemadmodum ostendit Paulus, Ephesios ad spiritualem pugnam præparans & instruens: *In omnibus*, inquit, *sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi extinguere: & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Hæc sunt arma, quibus Antistes, & populi Dei præfectus olim pugnabat contra Sectarios. Hunc gladium habuerunt in manibus suis Doctores sancti & Catholici, & per illum fecerunt *vindictam in nationibus, increpationes in populis.* Psalm. 149. Vindictam inquam, quia Iudæos & Gentiles, à quibus persecutionem passi sunt, per virtutē gladij spiritualis, verbi Dei scilicet, occiderūt mundo, & conuerterūt ad fidem, separauerunt à vitiis & conuerterunt ad virtutes, increpando eorum maleacta. *Viuus n. sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Hebr. 4.

In quem finem sacra literæ discantur. 1.

Arma contra Sectarios subministrat Scriptura.

Quia igitur hæc sunt arma, quibus Christianorum Antistiti pliandū est, in sacris literis huiusmodi arma subministrantibus (est n. SS. Scriptura, mystica quædā turris Dauid, ex qua omnis armatura fortium & Catholicorū virorum dependet) se ab infantia exercuit Timotheus, ne forte tépore belli, miles nunquā exercitatus, in bello succumberet, cū dexterius multo pugnet militiæ assuetus, q̃ is, q nunq̃ arma sumpsit. Altera causa, cur adhuc infans ad sacras literas animum appulerit Timotheus, fuit fortasse auiæ & matris fidelium catechizatio, qua didicerat, *vanos esse oēs homines, in qbus non subest Dei scientia; & de his quæ videntur bona,* non posse intelligere eum *qui est, neque operibus attendentes agnouerint quis fuerit artifex.* Vbi namque non est scientia animæ, ibi non est bonum.

Veteris testamenti libri cur sacræ literæ dicantur.

Veteris porro sicut & noui Testamenti libri duas ob causas, à Paulo *sacræ literæ* dicuntur. Primo q; eam Dei doctrinam sub se contineat, cuius vis tanta
1. est, vt *sanctificare,* id est, sanctum reddere possit, iuxta illud Pauli 1. Timoth. 4. *Omnis creatura bona est, &c. Sanctificatur n. per verbum Dei,* in scripturis videlicet contentū. Hinc est, q; Dñs in illa sua oratione Ioan. 17. *Pater,* inquit, *sanctifica eos in veritate; sermo n. tuus veritas est.* Quibus verbis à Patre suo cælesti petit Christus Dñs, vt ij q totius orbis futuri erant magistri sanctificentur, id est, sancti reddātur *in* siue p veritaté sermonis diuini, qua sanctificati digni reddā-
2. tur Doctores omni instructi veritate & virtute. Sancta item dicitur Scriptura, q; *Spiritu sancto inspirati locuti eam fuerint Sancti Dei homines,* vt loquitur D. Petrus 2. Petri 1. & paulò pòst testatur Apostolus, eandem *diuinitus,* siue à Deo inspiratam dicens, à quo nil nisi sanctū proficisci potest.

27. Qua

27. *Quæ te possunt instruere ad salutem.*

Concludit in eo esse firmiter permanendum, quod ad salutem obtinendam, hominem sat superque potes erudire; Id autem sacrarum literarum legitima veraq; cognitio præstat, etiamsi Doctoris opera non semper adsit; quia in sacris literis reperire est *diuitias salutis*, quæ sunt sapientia & scientia Esa. 33. Dixi porrò cognitionem sacrarum literarum legitimam veramq; ad salutem conducere, quia quæ legitima veraque non est, *petra* potius est *scandali* & *lapis offensionis*; quemadmodum Sectarij semper probauère, qui patrem, vel potius Doctorem suum Diabolum sequentes sacris literis abutuntur, non tam ad suam ipsorum perniciem, quam multorum simplicium perditionem. Tanta est enim Hæreticorum peruersitas, vt fallere volentes, non nisi ex scripturis fallant; quarum vt maximam esse sciunt authoritatem, ita ex ijs se facilè decipere posse norunt, si pro suo libito fuerint easdem interpretati, Vnde Augustinus, tract. 18, in Ioan. *Non aliunde natæ sunt*, inquit, *hæreses & quædam dogmata peruersitatis illaqueantia, & in profundum præcipitantia; nisi dum scripturæ bonæ intelliguntur non bene: & quod in illis non bene intelligitur, etiam temerè & audacter asseritur.* Si enim illorum antesignanus Diabolus sacrarum authoritate literarum, summæ veritati Christo totius sapientiæ & scientiæ thesauro, fuçum facere voluit, quomodo incautis non facilè imponent, per eandem authoritatem Sectarij? Quamobrem, Christi fidelibus in mentem venire debet, in doctrinâ fidei esse considerandum, non quod illis dicatur, sed

Scripturarum legitima cognitio ad salutem potest erudire.

Sectarij scriptura abutuntur.

In rebus fidei quid considerandum.

Quib⁹ verbis, docet eos nec magistros esse Ecclesiarũ, à quibus prędicatio verbi ꝓcessit, nec etiã ad ipsũ populum fidelem pertinere, ad quem illa prædicatio peruenit; ideoq; eos omni modo à prophetandi, seu verbum Dei & scripturas interpretandi potestate remouendos. Quo etiam iure & titulo, nostri temporis Sectarij hæreticiq; omnes, ab omni scripturarum tractatione cohibendi sunt, nec (etsi scripturas proferant) vllo modo audiendi, non magis, quàm rebelles sequendi, qui vexilla & arma regia in manus suscipiunt & vsurpant. *Si* enim *hæretici sunt*, ait cit. Tertull. *Christiani non sunt: Ita non Christiani, nullum ius capiunt Christianarum literarum.*

Jus autem legitimè Scripturas interpretandi suæ soli Ecclesiæ, id est Episcopis & pastoribus, vnam fidem eamque veram & Catholicam summa consensione perenniq; successione habentibus, tradidit Dominus; vt non tantum ex Patribus, verum ex scripturis fit euidentissimum. Quoties enim in scripturis docendi prouincia Apostolis, vel Episcopis committitur, vt Matth. vlt *Docete omnes gentes*; & ad hoc docendi munus, Dei spiritus promittitur, Ioan. 16. *Spiritus docebit vos omnia:* toties illis ad hanc scripturarum interpretationem missis, Dei Spiritus promittitur. Docere namque verbum Dei, non est illud duntaxat legere, & referre, séd disserere & explanare, quemadmodum ex eo patet, quod Saluator docuisse dicitur in synagogis, Joan. 18. quia videlicet (quod expresśè commemoratur, Matthæi capite quinto, Lucæ quarto, Joannis 17.) scripturas & veteres Prophetas interpretabatur, mirantibus Judæis, quomodo scripturas sciret, cum

Ius scripturas interpretandi cuinam competat.

Docere idem quod exponere.

cum literas non didicisset. Quo sensu dicitur in Actis cap. 5. 15. & 18. Apostolos docuisse Verbum Dei, quod ex veteribus scripturis afferebant, quo Christum esse Messiam probarent, &c. Hæc autem docendi & scripturas interpretandi potestas Ecclesiarum magistris concessa; non est solum authoritas qua legitimè & absque vsurpatione alieni officij possint vti, sed etiam vis est quædam spiritualis indita, qua rectè & infallibiliter valeant docere. Hanc proinde vocat scriptura vel charisma, id est, gratiam gratis datam, vt 1. Tim. 4. 2. Timoth. 1. 1. Pet. 4. vel *donum* seu *donationem*, Eph. 4. vel denique, *clauis scientiæ*, Esa. 22. Apoc. 3. Quare, illa demum sacræ scripturæ interpretatio vera erit, & legitima, quam Ecclesia Catholica, vel per ministerium Episcoporum atq; Pastorum, vel in Concilijs siue generalibus, siue particularibus postea approbatis, vel in decretis Romanorum Pontificum, vel denique in publico religionis vsu & praxi, aut ipsamet tradit & præscribit, aut ab alijs traditum verbo vel facto approbat. Et hæc sola est scriptura hoc modo interpretata, quæ possit *instruere ad salutem*; vel quòd certam regulam & amussim præscribat, qua quis *in sanctitate & iustitia coram Deo, seruire possit omnibus diebus vitæ suæ*; vel quod in scripturis Dei cognitio, opera ac præcepta continentur, per quæ ad vitam æternam perueniatur; vel quod denique Christum verum Messiam, & salutis adipiscendæ certissimam viam ostendat. Hinc est, quod Dominus Iudæos *scripturas scrutari* volebat *in quibus putabant esse vitam æternam quod eæ testimonium perhiberent de se.* Volebat inquam *scripturas scrutari*, hoc est euoluere, excutere, expendere, & ad

Scripturas docendi potestas quibus concessa.

Scriptura vera interpretatio, qua.

Scriptura ad salutem instruens qua.

& ad profunda earundem mysteria penetrare, ne in litera hærendo, nunquam ad spiritum penetrarent. *Non dixit*, ait Chrysost. hom. 4. *legite scripturas, sed scrutamini; diuina enim summa indigent diligentia. In vmbra enim maioribus illis non abs re locutus est Dominus: Idcirco effodere profundius iubet, vt quæ altè delitescunt, inuenire possimus.* Non enim rem in superficie & in promptu positam effodimus; sed quæ tanquam thesaur⁹ profundè reconditur. Etenim scriptura sacra, thesauro abscondito, gemmisq; referto est similis, ad quas peruenit, qui thesaurum scrutatur. Est similis aurifodinæ, cuius omnes venæ diligentissime sunt perscrutandæ; quemadmodum D. Chrysost. docet hom. 31. in Joan. *Quemadmodum*, inquit, *in auri metallis, ne minimam quidem venam quispiam qui rem intelligat, omittere patitur: ita in diuinis scripturis, ne vnũ iota, aut vnus apex; sed ne dimidium quidem prætermittendum est, sed omnia diligentius inuestiganda, &c.* Et in l. 2. de orando Deo: *Qui vitam agunt in mari, in ipsum profundum sese dimittunt, ac pretiosos lapillos, eis qui versantur in terra, deferunt: Nos v. diuinarum scripturarũ mare perscrutantes, in ipsum spiritualis sapientiæ profundum decurramus, & afferamus thesaurum bonum, &c. Tanta est* autem *Christianarum profunditas literarum*, ait vir in scripturis euoluendis & meditandis solertissimus Aug. epist. 3. *vt in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia, vsq; ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere. Non quod ad ea quæ necessaria sunt saluti, tanta in eis perueniatur difficultate, sed eum quisque ibi fidem tenuerit, sine qua piè rectéque non viuitur, tam multa, tamque multiplicibus mysteriorum vmbraculis opaca intelligenda proficienti-*

Scriptura, aurifodinæ similis.

SS. Scripturarum eximia profunditas.

bus restant, tantaque non solum in verbis, quibus ista dicta sunt, sed etiã in reb⁹ quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, vt annosißimis, acutißimis, flagrantißimisq́; cupiditate discendi, hoc contingat discenti, quod eadem scriptura dicit: Cum consummauerit homo tunc incipit. Hæc August. Ex quibus euincitur, incredibilis Hæreticorũ insania, aientium scripturam sacram facillimam esse ac sui ipsius interpretem.

Contra Lutheranos scripturã facilem asserentes.

28. *Per fidem, quæ est in Christo Iesu.*

Quia non quocumq́; modo, sed legitimè intellecta scriptura, ad salutem conducere potest, vt ante diximus; addit Apostolus hoc loco certissimum eas legitimè intelligendi medium, *fidem* scilicet orthodoxam, qua *in Christo Iesu* creditur. Cum enim sacrarum literarum liber, ad fideles duntaxat Catholicos pertineat, tum nec rectè potest intelligi, nisi præuia fide orthodoxa: Nam, vt *in homine carnali* ait August. serm. 147. de temp. *tota regula intelligendi est consuetudo cernendi, sic in homine Ethnico, & Hæretico, est opinionum præsumpta consuetudo.* Idcircò quemadmodum Apostoli & Euangelistæ, quæ scripserunt, fidelibus ea, non infidelibus scripserunt: eodem modo, vt intelligantur, haud dubiè à fidelibus & iam orthodoxis eadem legi debent, non ab infidelibus vel hæreticis. Ab illis n. intelligi nõ difficulter possunt, qui simillimi illis sunt, quibus hæc Apostoli, facile intellecturis scripserunt, & in quorũ gratiam scripserunt. Hinc, vt Paulum v. g. aliquis intelligat, Romanis & Corinthijs, &c. quã simillimus esse debet, qui antea erant instructi in fide, quę omnium bonarum actionum & pceptorũ fundamentũ est; de qua propterea Petrus

Certissimum scripturas intelligendi medium.

Solis fidelibus nota scriptura.

Petrus Actorum 15. dixit; *fide purificans corda eorum.* Quemadmodum ergo (vt scribit August. lib. de vtil. credend. cap. 13.) *Catholicæ disciplinæ maiestate institutum est, vt accedentibus ad religionem, fides persuadeatur ante omnia; ita accedentibus ad sacras literas*, (quæ non nisi illis concedi debent, qui iam religionem veram amplexi sunt) vt dogmatum sacrorum fides persuadeatur recteq; teneatur ante omnia necesse est. *Lex enim spiritualis est* (ait in ep. ad Paulinum Hieronymus) & *reuelatione opus habet, vt intelligatur, ac reuelata facie Dei gloriā contemplemur, &c. Liber in Apocalypsi, septem sigillis signatus ostenditur, quem si dederis homini scienti literas vt legat, respondebit tibi; Non possum, signatus est enim.* Quanti hodie putant se nosse literas, *& tenent signatum librum nec aperire possunt, nisi ille reserauerit, qui habet clauem Dauid: qui aperit & nemo claudit; claudit & nemo aperit.* Cuius rei exemplum, statim subiungit de Eunucho, in quo non defuit, aut studium, & diligentia, aut ardor & desiderium: Et tamen, cùm *librum teneret, & verba Domini cogitatione conciperet, lingua volueret, labiis personaret, ignorabat eum quem in libro nesciens venerabatur. Venit Philippus, ostendit ei Iesum, qui clausus latebat in litera. Eadem hora credit Eunuchus, baptizatur, & fidelis, & sanctus factus est ac magister de discipulo.* Hæc S. Pater, qui Eunuchum, tam repente magistrum de discipulo factum esse dicit, quia fide sanâ imbutus, & instructus, scripturas, quæ fidelibus loquuntur, facile intellexit. Fides igitur præuia, præclarum est & certum medium ad scripturas salubriter intelligendas, & sine illa fide, circa illarum intelligentiam non hallucinamur.

Fide præuia scriptura intelliguntur.

tantum, sed & grauiter periclitamur. Quod his verbis docuit August. lib. 33. quæst. q. 57. in fine: *Ipsum in ænigmate, & ex parte nunc in scripturis aliquid cernere, quod tamen sit secundum Catholicam fidem, ex illo pignore contingit, quod accepit virgo Ecclesia, humili aduentu spōsi sui. Dedit enim nobis pignus spiritum. Et ideo ista expositio, quæ in hac vita scilicet sit nihil certum intuetur, nisi vt secundum fidem sit; neque aliis præiudicat, qui eam nihilominus secundum fidem exponere potuerint.* Hæc ille. Hinc est, quod D. Petrus 2. Pet. 3. *indoctos & instabiles deprauare scripturas* dicat, qui videlicet, vel nesciunt regulam fidei, vel in ea firmiter fundati non sunt: cum tamen in Catholica fide bene instructum, & vera pietate munitum, in scripturis intelligendis decipi non posse, scribere non sit veritus. Enimuerò regula fidei, præcognita mensura illa est & amussis, quæ, siue in scripturis intelligendis, siue in alio quocumque dogmate inuestigando, ab orthodoxis diligenter obseruatur; ab hæreticis verò omnibus contemnitur; quæ causa est quod illi rectæ doctrinæ callem secuti, in via regia sine errore salui deducti sint; hi verò in mille errorum auia abducti, miserè perierint.

29. *Omnis enim Scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia.*

Ne de eo dubitaret Timotheus, quod ante dixerat Apostol⁹, sacras literas quas fides pcederet, ad salu-

tem

tem plurimum conducere; ex principio vniuersali concludit in particulari; Scripturam veteris Testamenti, (nam cum infans esset Timotheus, nondum extabat nouum) quia diuinitus inspirata fuisset, esse *vtilem ad docendum, &c. erudiendum in iustitia, vt perfectus quis fiat homo Dei, &c.* Vetus autem Testamentū, quod paulò ante *sacras literas* appellauit, hic *Scripturam* vocare videtur, ad tabulas videlicet legis alludendo, quas Deus proprio suo digito conscriptas Moysi tradidit, Exod. 32. Hoc porro testamentum propterea dicitur Dei *Scriptura*, omnis sicut scriptor sacer veluti *calamus* Dei ipsius *scribæ, velociter scribentis*, Psalm. 44. dicitur, quia quæcunque eodem Dei spiritu & fine scripta sunt, absolutum tale *Scripturæ* nomen merentur; quasi alia omnia, quæ fere scatent vel erroribus, vel sunt de rebus humanis & inanibus, scribi, vt extent ad posteritatis memoriam, vix debeant. Vnde Augustinus epist. 131. ad Memor. *Non illæ innumerabiles & impiæ fabulæ,* inquit, *quibus vanorum plena sunt carmina poëtarum, vllo modo nostræ consonant libertati: Non oratorum inflata & expolita mendacia; non denique ipsorum Philosophorum garrulæ argutiæ, qui vel prorsus Deum non cognouerunt, vel, cum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt. Absit omnino, vt istorum vanitates, & insaniæ mendaces, ventrosæ, nugæ, ac superbus error, rectè liberales literæ nominentur, hominum scilicet infælicium, qui Dei gratiam per Iesum Christum Dominum nostrum, qua sola liberamur, de morte corporis huius, non cognouerunt, nec in eis ipsis, quæ vera sunt, censerunt.* Hæc ille. *Scripturæ* porro nomine, ea duntaxat propriè continentur, quæ per Dei spiritum inspirata, & per eos, qui spiritu Dei sunt locuti, administrata sunt. Ea

Vetus Testamentum cur Scriptura dicatur.

Scripturæ nominis ratio.

Scripturæ nomine, quid cōprehendatur.

autem censeri debent, quæ in sacro Canone, hoc est, in libris veteris & noui Testamenti comprehensa sunt; licet *Scripturæ* nomen in nouo Testamento vsurpatum, pro veteri duntaxat Scriptura ponatur. Marc. 14. *Vt implerentur Scripturæ*. Ioan. 7. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, &c.* Matth. 21. *Erratis, nescientes Scripturas*. Et: *Scrutamini Scripturas*. Hanc autem veteris Testamenti *Scripturam*, pulchro epitheto exornat Apostolus, eam *diuinitus inspiratam* esse dicens; eo quod videlicet, immediatè à Deo per reuelationem accepta fuerit, cùm *Spiritu sancto inspirati, locuti sint sancti Dei homines*. 2. Petr. 1. Quapropter, huic soli Scripturæ etymo competit ea puritas, vt omnis falsitatis sit expers; sed potius stabilis & integra, omnia videlicet demonstrans (vel per seipsam plano sermone, vel per sanam Ecclesiæ Catholicæ interpretationem) ad salutem necessaria. Huius namque nominis ratio per se plana est, cùm nihil aliud fere sonet *S. Scripturæ* vocabulum, quàm scriptum de Deo rebusque diuinis testimonium, quod partim reuelatione & inspiratione diuina, partim Apostolorum, Apostolicorumque virorum traditione, (hoc est, SS. Patrum & Ecclesiasticorum monumentis, quos & ipso Spiritus sancti instinctu, sua fere scripsisse constat) ad nos peruenit. Vnde Gentium Doctor, Galat. cap. 1. *Euangelium*, inquit, *quod euangelizatum est à me, non est secundum hominem: Neque enim illud ab homine accepi, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi*.

Scriptura, quomodo diuinitus inspirata.

Soli Scripturæ sacræ competit omnis falsitatis expers veritas.

Animaduertenda est autem D. Chrysostomi, homil. 8. super epist. ad Hebr. doctrina, docens, ex reuelatione sacrarum literarum, Dei inprimis in

nos cognoscendam esse misericordiam. Vbi etiam diuinæ illius prouidentiæ, qua Scriptura sancta ad nos vsq; propagata est, hos facit veluti gradus: Nam primum, *inspirauit* (inquit) *Moysi & tabulas lapideas scripsit, quem Moysem detinuit 40. diebus in monte, & iterum totidem, vt daret illi legem.* Post hæc autem prophetas misit, qui innumera mala passi sunt: Irruit bellum, quosuis sustulit & trucidauit: incensi sunt libri. Inspirauit iterum alium virum, vt mirabiles illas Scripturas repararet, Esdram dico, & ex reliquiis illarum componere fecit. Post hæc dispensauit, vt interpretarétur eas LXX. Interpretati sunt & illi. Venit Christus, & suscepit illas. Apostoli disseminarūt illas per omnes. Signa & miracula fecit Christus. Quid autem post tam negotiosam diligétiam? Scripserunt etiam Apostoli, sicut & Paulus dicit 1. Corinth. 10. & Rom. 15. *Ad admonitionem nostram scripta sunt, in quos fines sæculorum deuenerunt.* Chrysostomo consentit D. Augustinus libro vndecimo de ciuitate Dei capite tertio. *Hic* (Deus) *prius per prophetas*, inquit, *deinde per semetipsum, postea per Apostolos, quātum satis esse iudicauit; locutus etiam Scripturam condidit, quæ canonica nominatur, eminentissimæ authoritatis.* Hæc Augustinus.

Quidam Scripturæ ad nos propagatæ gradus.

Eam autem Scripturam, *diuinitus inspiratam, vtilem* esse docet Apostolus, quia *Dominus Deus* noster *docet nos vtilia.* Esaiæ 48. *Quæcumque enim scripta sunt,* ait Apostolus Rom. 16. ad nostram vtilitatem & doctrinam *scripta sunt; vt per patientiam & consolationem Scripturarū, spem habeamus, &c.* Quibus verbis summa Scripturarum vtilitas demonstratur, vt quæ patientiæ nobis & consolationis exemplum suppeditet,

SS. Scripturæ Vtilitas.

& in

& in eam spem iubeat nos erigi, quam operatur patientia. Ex patientiæ autem exemplo à nobis imitando, salutem animarum nostrarum pendere, docuit D. Petrus 1. Petr. 1. cum de Christi glorificatione locutus: *De qua salute exquisierunt*, inquit, *atq; scrutati sunt prophetæ, qui de futura in nobis gratia prophetauerunt, scrutantes in quod, vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi, prænũtians eas, quæ in Christo sunt, passiones & posteriores glorias.* Hinc est quod sacræ literæ, non solum melli & dulcedini, quæ ad gustum; non solum auro, argento, gemmis pretiosissimis; quæ ad splendorem pertinent; sed iis quoque, quæ vtilia & necessaria sunt mortalium vitæ & incolumitati cõparentur, pani videlicet, vino; aquæ, pinguibus; atq; ea deuorare & comedere iubemur, in nostramque vtilitatem conuertere. Apocalyp. 10. Ezech. 15. *Non* enim *in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Matth. 4.

Quatuor Scripturæ speciales vtilitates.

Verum, sacrarum literarum vtilitatem ad res quatuor Episcopis & Pastoribus necessarias reuocat Apostolus: Ac primo quidem *vtilem* esse dicit Scripturam *ad fidei doctrinam*, quod Episcopis Dei obsequiis deputatis suppeditet materiam, qua ignorantibus ad salutem via commonstretur; quod tam verbo, libris scilicet, qui de legibus sunt conscripti, quã exemplo, (rerum nempe gestarum commemoratione, quę historiis continentur, quibus fidei doctrina constat) fieri potest. Deinde habet Scriptura, vt à via fidei aberrantes possit *coarguere*; quemadmodum docuit Christus Lucæ vltimo, cùm, duobus discipulis Emaũnta proficiscentibus dixit: *O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt prophetæ;*

(Margin numbers: 1. beside "Apostolus: Ac primo quidem"; 2. beside "na constat) fieri potest. Deinde habet Scriptura")

pheta; Nonne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erāt. 3.

Eodē etiam modo, modū & conuenientiā legitimo Doctori præscribit Scriptura sacra, quibus impij, rebelles, inobedientes possint corripi, id est, coërceri, siue etiam corrigi: Cui instituto prophetarum scripta plurimum commodare possunt, in quibus praui hominum mores castigati, bonorum sanctimonia & pietas remunerata leguntur. Prodest deniq; Scri- 4.
ptura *ad erudiendum in iustitia*, hoc est, elemētariæ institutionis, siue pædagogiæ scientiam præscribendo, vt quilibet iustitiam Christianam imbibens, generosæ virtutis studium amplectatur, & malum declinare discat: In quem finem ordinantur ea, quæ de Sapientia & moralibus, in sacris literis tractantur.

SS. Scripturæ, quomodo ad iustitiam erudiat.

Quod porrò omni, id est, toti Scripturæ tribuitur, singulis etiam Scripturæ libris conuenit, vt *vtiles* nimirum sint, *ad arguendum, corripiendum, &c.* Id quod ostēdit Cardinalis Bellarminus, libro quarto de Verbo Dei, capite decimo, ex epistola secunda Ioannis, qua nulla est breuior Scripturæ pars. In ea enim videmus, prædicari Christum esse verum Dei filium; quod est dogma fidei. Videmus item prædicari, vt diligamus alterutrum; quæ est doctrina morum. Videmus præterea apertè, in ea scribi esse Antichristos eos, qui dicunt Christum nō venisse in carne; quod pertinet ad hæreticos refellendos. Videmus deniq́ue reprehendi eos, qui dicunt hæreticis *Aue*, quod ad correctionem morum pertinet.

Quatuor vtilitates etiam singulis Scripturæ libris competūt.

Tametsi verò plurima doceat SS. Scriptura, quæ ad rectam fidem, atque ad absolutam Christia-

ni hominis perfectionem sunt necessaria, id tamen sine alterius authoritatis adminiculo facere, censeri non debet; quia in quibusdam locis, authoritatem Ecclesiæ, à qua cætera peti debeant, nobis monstrat commendatque; quę vbi deficit scripturæ sufficientia, difficultatibus & dubiis occurrat: Ita fit, vt præter Scripturam, suus etiam maneat alicui authoritati (nempe Ecclesiæ) in controuersiis fidei, locus. Quod ipsum D. Augustinus, libro primo cõtra Cresconium capite vigesimo tertio intellexit, cum scripsit: *Scripturarum à nobis tenetur veritas, cum id facimus, quod vniuersæ iam placet Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat authoritas. Vt quoniam S. Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate S. Scriptura demonstrat.* Quo pacto Patres, cum vni Scripturæ omnia tribuere videntur, intelligi debét. Non enim eorum mens est, à Scripturæ authoritate, vbi de fide iudicandum est, authoritatem Ecclesiæ, quæ item ipsa diuina est, diuellere: Sed, quemadmodum quando vni personæ diuinæ aliqua perfectio diuinitatis absoluta tribuitur, intelligunt Theologi, ab eius perfectionis communione creaturas tantum excludi, non autem personas alias diuinas, quæ sunt eiusdem naturæ: ita SS. Patres, sicubi Scripturæ authoritatem solam, ad fidei quæstiones finiendas valere significant; Ecclesiæ certè authoritatem, quam item pro diuina habent, & quam ipsa nobis commendat Scriptura, minimè excludunt: sed alia, siue testimonia, siue argumenta, quæ sint tantum humana. Nam, si non ita intelligerent, profectò nunquam illi in controuersiis fidei, ipsa per se authoritate Ecclesiæ traditionis, ad probandũ vterentur. At & vtũtur

Scriptura Ecclesiæ authoritati non derogat.

Patres Scripturæ omnia tribuentes, quomodo intelligendi.

tur ea ipsi frequétissimè, & vtendū esse docent. Qua de re, illustris est D Basilij locus, li. de Spiritu S. c. 29. *Plurima*, inquit, *mystica citra Scripturā intra nos versantur. Et Apostolicū arbitror esse, etiam in non scriptis traditionibus perseuerare.* *Laudo enim*, inquit Apostolus, 1. Cor. 11. *vos, q omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi vobis, traditiones continetis, &c* Sic Basilius. Lōgè itaq; falluntur Lutherani opinione; huius authoritate loci asserentes, solam Scripturam sufficere ad perficiendū hominem, *vt ad omne opus bonū sit instructus*; cum dicat tātum hoc loco Apostolus, ad id plurimum prodesse, iuuare, conducere; Sicut qui dicit, cibum esse vtilem ad nutriendum, non propterea dicit, solum cibum esse sufficientem: Nam si calor naturalis deficiat, aut aliquod instrumentum corporis ad nutritioné necessarium, cibus non nutriet. *Contra Lutheranos.*

30. *Vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.*

Homo, siue *vir Dei*, phrasi Scripturæ, dicitur is, qui diuinis obsequiis, vocante Deo, est dedicatus, cuiusmodi erant in veteri Testamento, Helias, Helisæus, &c. 1. Reg 8. 3. Reg. 4. 4 Reg. 6 11. 12. 2. Paral. 14. ac in eodem, & nouo, Sacerdotes, Episcopi, Hierarchæ, & quicumque diuino cultui consecrati, corporis mystici Christi curam in Ecclesia singularem gerunt; Cuius exemplum est Timotheus, qui prioris epistolę, cap. 6. propter Episcopalem dignitatem, *homo Dei* est appellatus. Dicit ergo Paulus, Scripturæ totius (Latinæ enim vocis origo *omnis*, idem quod totum & integrum significat) scopum esse, numeris omnibus absoluere ac consummare Ecclesiasticos inprimis Doctores, pastores, & antistites, qui se Deo *Homo Dei in Scriptura, quis? Huius loci sensus.*

deuouerunt; vt non minus verbo quàm exemplo, cæteris ad virtutem colendam præeuntes, sine *timore de manu inimicorum suorum liberati, coram Deo seruiant in sanctitate & iustitia omnibus diebus vitæ suæ.* Is enim demum *perfectus,* integer, & sincerus est *homo Dei,* qui sanctitatis & veritatis puritate constat. Solet namque sæpe Scriptura, perfectionem cum veritate coniungere, vt Iosue 24. *Seruite ei corde perfecto atque verissimo:* vnde, qui verè amicus alicuius est, habere dicitur animum simplicem atque perfectū & sincerum. Dicuntur etiam perfecti, simplices & recti, qui diuinam in se similitudinem, ad quam sunt conditi, prauis moribus non confuderunt, neque corruperunt, & diuinam imaginem suo animo impressam, flagitiosè viuendo nō affecêre iniuria: Secus verò nō censebitur perfectus, imo nec verus & sincerus, sed falsus, aut similitudinarius; quia *comparabitur iumentis insipientibus, & similis fiet illis.* Psalm. 48: quia improbi, iuxta Origenem, non secus quàm picti, falsi sunt homines: Nam, velut histrio habitu & corporis figura ementitur hominem ratione vtentem, ac diuinam similitudinem prauis actionibus non obscurantem. Quare Sapiens, *perfecti hominis* definitionem ex virtutis, pietatis, ac bonorum operum studio tradit, Ecclesiast. vlt. *Deum time, & mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo,* siue totus homo, vel perfectus, vel, quicquid homo est; Qui videlicet exequitur, ad quod Scripturarum præsidio instructus est, & alios idem docet, quod ipsemet viuendo facit; perfectum in eo Christum imitando, qui Act. cap. 1. *cæpit facere & docere.* In eo enim *patrem nostrum, qui est in cælis,* imitamur, si per opera bona

Quis perfectus homo Dei dicendus.

Improbi non veri sunt homines.

bona fidem nostram facimus testatam erga Deum, & nos ipsos, sicut etiam erga proximum. Neque enim ad veritatis vnius cognitionem & fidem duntaxat scripturarum scientia valet; sed etiam, vt quæ ad virtutem & bonorum operum exercitio spectant & conducunt, ad mandatorum custodiam intelligantur, quibus peruenitur ad beatitudinem.

Vt autem pastor, ritè Doctoris munus exequatur, diligentia ei opus est, non solum vt meditetur dicenda, sed meditata etiam dicat: & feruore Spiritus, vt incidentes difficultates vincat, & alios permouere animo ipse prius commotus, serio & sedulo studeat. Sic faciebat Apollo, Actorum 18 qui *edoctus viam Domini & feruens spiritu, loquebatur & docebat diligenter ea, quæ sunt Iesu.* Certè vocabulo *instructus*, sacram scripturam facere velle videtur Apostolus sapientiæ & scientiæ Dei penu, cornucopiam & thesaurum, ex quo, re ita exigente, possit depromere Episcopus *noua & vetera.* Hinc est, quod de assiduo, pioque earum cultore, verè quidam eleganter accommodet illud Dauidis Psalm. 1. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo; & folium eius non defluet, & omnia quæcumque faciet prosperabuntur.* Nam, vt aqua vitali humore arborem educat & confirmat, virentemque ac florentem facit, & lætissimorum copia fructuum exornat: Ita Episcoporum & Antistitum animus, lectione & meditatione sacrarum literarum alitur ad æternitatem, pulcherrimosque fert ac tempestiuos omnium virtutum atque operum bonorum fructus. Idem salutari Spiritus

Boni pastoris officium.

SS. Scriptura diuinæ sapientiæ cornucopia.

SS. Scriptura fructifera arbori comparatur.

ſancti aqua perpetuò recreatus, nullos metuit rerum aduerſarum æſtus; & quicquid agit ac molitur, proſperos exitus habet; quin fructum etiam capit ex ijs rebus, quæ alijs detrimentum & perniciem afferre ſolent. Quare, quod Tullius eleganter magis quàm verè de Philoſophia dixit, hoc de ſacra ſcriptura veriſſimè dici poteſt. Eſt enim profectò diuina ſcriptura, *lux vitæ, magiſtra morum, animi medicina bene viuendi norma, impiæ ſuperſtitionis expultrix, caſtæque ac ſanctæ religionis & pietatis generatrix.* Hæc docet quid iubeat Deus quidque prohibeat, quemadmodum ab homine Deus coli velit, quæ ſit breuiſſima, rectiſſimaq; ad cœlum via, quas pœnas improbi pendant, quæ præmia boni conſequantur, &c.

CAPVT



CAPVT IV.

*TEstificor corã Deo & Iesu Chri- 1.
sto, * qui iudicaturus est viuos 2.
& mortuos, * & per aduentum 3.
ipsius, & regnum eius: * prædica verbum: 4.
* insta opportunè, importunè; * argue, ob- 5. 6.
secra, increpa, * in omni patientia & do- 7.
ctrina. * Erit enim tempus, cum sanam 8.
doctrinam non sustinebunt, * sed ad sua 9.
desideria coaceruabũt sibi magistros, pru-
rientes auribus, * & à veritate quidem au- 10.
ditum auertent, ad fabulas autem conuer-
tentur. * Tu verò vigila, in omnibus labo- 11.
ra, * opus fac Euangelistæ, * ministerium 12. 13.
tuum imple. * Sobrius esto. * Ego enim 14. 15.
iam delibor, * & tempus resolutionis meæ 16.
instat. * Bonum certamen certaui, * cur- 17. 18.
sum consummaui, * fidem seruaui. * In 19. 20.
reliquo, reposita est mihi corona iustitiæ,
* quam reddet mihi Dominus in illa die, 21.
iustus iudex: * non solum autem mihi, sed 22.

& his

ſcillam, & Aquilam, & Oneſiphori do-
mum. *Eraſtus remanſit Corinthi: *Tro- 42.43.
phimum autem reliqui infirmum Mileti.
*Feſtina ante hyemem venire. Salutant 44.
te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Clau-
dia, & fratres omnes. *Dominus Ieſus 45.
Chriſtus cum ſpiritu tuo. *Gratia vobiſ- 46.
cum; Amen.

CAPVT IV.

1. *Teſtificor coram Deo & Ieſu Chriſto, &c.*

Vmmam & ineluctabilem prædicationis Euangelicæ neceſſitatem paſtoris & Epiſcopi humeris incumbere, verbo *teſtificandi* exaggerat. Licet autem *teſtificari*, iuxta Chryſoſtomi ſententia, aliquando liberè loqui ſit, quamuis non attendas, quibus loquâre; (quo pacto Moyſes, *teſtificatur cælum & terram*, Deut. cap. 32.) hic tamen impulſionis vim habet ad aliquid faciendum, interpoſito diuini honoris titulo; vt idem ſit, quod, ſicut ille qui iurat, tenetur diuini nominis ratione aliquid facere; ita etiam cùm aliquem adiuramus, volumus vt eiuſdem honoris diuini cauſa quippiam faciat. Vnde fit euidens, adiurationem ad religionis virtutem pertinere: Nam impellendo Timotheum ad Euangelij prædicandi munus, nomine *Dei patris, ac Ieſu Chriſti Iudicis* interpoſito, (tanquam eo, quod apud om-

Teſtificandi verbum hoc loco, quid?

Adiuratio, religionis actus.

nes plurimum valere debet) insinuat Paulus, in gloriam & honorem Dei id cedere. Quo pacto, prioris epistolæ cap. 6 adiurans eundem Timotheum; *Præcipio*, inquit, *tibi coram Deo, &c.* Sed hoc loco, vehementioris significationis vtens verbo: *Testificor, &c.* inquit, id est, habito Diuini honoris respectu tibi iniungo, vt munus exequaris Euangelistæ. Vtile enim & honestum est vti reuerentia diuina ad homines permouendos, in magni momenti notabile bonum. Quod si enim licet Deum adiurare deprecando; (vt ex communibus orationum Ecclesiæ conclusionibus patet, quibus per Christum obsecramus) quidni subditorum fidem liceat à superioribus adiurare, causa rationabili id exigente? Videntur enim tunc authoritate vti, vt quo certius subditos ad opus impellant, diuino nomine interposito, obligent ad dicendum, vel faciendum aliquid, Dei honoris respectu & intuitu.

Subditorum fidem adiurare, licitum.

Nec sine iusta causa prædicationis officium Episcopo tanta seueritate inculcatur: Nam primum, vana est sacrarum literarum scientia, quæ Dei honori & proximi saluti non obsequitur. Cum enim plurimæ sint toto orbe segetes, ex quibus æternæ gloriæ merita possunt colligi, operarij verò pauci, qui ea demetant; vnius sui Timothei fidem sæpius excitatam contestatur, qui iam vitijs nuntio remisso virtutes eo ardore colebat, vt bonorum operum fructus, ex tot paradisi arboribus posset decerpere. Certè, Dominum messis rogari volebat in se credentes Dominus, vt in tam copiosam bonorum messem, operarios mitteret, qui iustitiam colentes, sacramentaq; frequentantes non minus æternarum rerum

Cur ab Episcopo, prædicationis officium requiratur.

1.

Prædicationis necessitas.

rum meditationi vacarent, quam bonis in operibus præstandis se vehementer exercerent. Hos namque operarios esse idoneos, qui verbi diuini prædicatione, doctrinæq́ue salutaris vsu, ex amplissima bonorum operum segete, quæ in Ecclesia est, vberrimos fructus possunt colligere, ex infidelitate nempe & hæresi, ad Ecclesiæ aream, per fidei prædicationem, conuehendo. Licet porrò huiusmodi pauci sint, vt notat Gregorius homil. 7. in Euangel. aliquos tamen Timotheos est reperire, qui non minus fidei explicent explanéntue mysteria, quàm proximorum inuigilent saluti. Id genus operarios, Pauli tempore perpaucos fuisse, videtur hæc tanta Pauli contestatio persuadere. *Expergefiat*, ait quidam, *& horreat sub tali testificatione Episcopus, parochus, concionator, Confessarius. Quis hæc audiens*, inquit Augustinus libro primo, contra Crescon. cap. 6. *si Deo fideliter seruit, si dolosus operarius non est, ab hac diligentia & instantia conquiescat? Quis sub tanta testificatione, segnis esse audeat?* Est enim quasi dixisset Apostolus; Obtestor te per Deum Patrem, per Christum eiusq́ue regnum, tribunal, & aduentum, vt Dei verbum prædices quam diligentissimè; quia Dei verbum, sicut personis & locis alligatum non est, ita certis temporibus definiri non potest; Ideò opus est, vt credamus & firmi in tribulationibus perstemus cõtra Mundi, Carnis, & Dæmonis tentationes; quæ firmitas, legitima & assidua verbi diuini prædicatione comparetur & retineatur oportet.

Terribilis testificatio.

Huius loci paraphrasis.

Quum igitur Pauli ætate periculo non careret verbi diuini prædicatio, monet vt *bene patiens* sit

Cur ad prædicandum adhortetur hoc loco Timotheum.

diuini verbi prædicator, si vtiliter *annuntiare* velit. Propterea terribile Dei nomen, regis Christi authoritatem, extremi iudicij non humilē, sed gloriosum & maiestatis plenum aduentum interponit, ne hominum intuitu se muneris sui præstandi instantia, per tribulationes, vel persecutiones, vel quæuis alia incōmoda & id genus ærumnas dimoueri patiatur; cū prædicatori crucis, ferendo crucem auditoribus persuadendum sit, & præuento in benedictionibus tantæ dulcedinis (Psalm. 20.) merito, amoris vices Deo vocanti sint reddendæ; cuius amoris, hac ratione index est certissimus, pro amato extrema quæque fortiter ferre ac libenter pati. Accedit, hominis probationem esse tribulationem, cùm, sicut *probatur vas figuli in fornace, sic homines iustos tribulationis tentatio probet.* Ecclesiast, cap. 22.

2. *Qui iudicaturus est viuos & mortuos.*

Tres iudicandi verbi significationes.

D. Basilius, homil. in Psal. 7. illud: *Dominus iudicat populos, &c.* explicans, annotat tribus modis *iudicandi* verbum in scriptura vsurpari. Primo quidē

1. modo, pro actu iustitiæ, secundū quā iudex iudicat vel probando, vel reprobando; vt *iudicare* sit ferre sententiam tam approbationis, quàm reprobationis. Quo pacto citatum illud Psal. 7. accipiendum est, sicut & istud Esaiæ, cap. 11. *Non secundum visionem oculorū iudicabit, &c.* Secundū hanc significationem, vox communis est; cùm non solum iudicetur innocens, quando eius innocētia declaratur & liberatur ab iniusta oppressione, quodq; suū est recuperat; sed iudicetur etiā nocēs, cū damnatur; ita vt *iudicandi*

eandi verbum, tam in bonam, quàm in malam partem accipi possit. Altero modo, sumitur pro quodam actu iustitiæ, quæ in discutiendo & examinando rem, reique circumstantias versari solet; vt idem sit *iudicare*, quod discutere, & examinare. Sic Basilius, accipiendum esse existimat illud Psalm. 25. *Iudica me, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum, &c.* Et Psal. 26. *Iudica me Deus & discerne causam meam, &c.* Et hoc iudicium præcedere solet sententiam; cum prius iudex iudicet discutiendo, quàm sententiam ferendo. Tertio modo, sumitur pro quadam actu iustitiæ, quo damnationis & reprobationis profertur sententia; vt *iudicare*, sit idem, quòd damnare, seu condemnatoriam sententiam ferre in aliquem. Quo pacto dicitur Psal. 5. *Iudica illos* (impios) *Deus*. Ioan. 5. *Qui verò mala, in resurrectionem iudicij*, id est, damnationis. Eodem cap. dicuntur, *iusti non venturi in iudicium*, id est, damnationem. Item Ioan. 3. *Qui credit in eum, non iudicatur*, id est, qui credit in eum fide viua, non damnatur; vel, nō iudicatur sententia condemnatoria. Hoc porro loco, cùm Christus dicitur *iudex viuorum & mortuorum, iudicandi* verbum in prima acceptione sumi debet, pro eo quod est approbare & reprobare; cùm in secunda, nec infantes ratione carentes, nec angeli; in tertia verò, solum impij sint iudicandi, vt postea dicetur.

2.

3.

Iudicare, quid hoc loco.

Inter cætera verò Christi ad decorandam Ecclesiam munera, non postremum est agere iudicem, quo summo illo die, de vniuerso hominum genere iudicaturus est. Eius enim verba sunt, Ioan. cap. 5. quod *pater non iudicet quemquam, sed omne*, id est, omnium, *iudicium dederit filio*. Quod vt intelligatur, sciendum,

Christi iudicandi potestas, à patre distincta.

dum, Christum vt hominem, iudicandi potestatem à patre accepisse, distinctam ab ea, qua vt Deus iudicat. Sicut enim Christus vnam & eandem habuit cum patre essentiam; ita vnam & eandem iudicis potestatem, cùm vt Deus, ratione diuinitatis suæ, sit iudex omnium supremus, cuius est absolutè omnes iudicare: At Christi humanitas, sicut præter scientiam diuinam, quam habuit ex deitate sibi vnitam, accepit scientiam infusam, qua vt homo sciebat; Sic, præter potestatem iudicandi communem cum papatre, accepit quoque potestatem propriam, humanitati collatam, quam vtiq; non habuisset, nisi Deus esset. Hæc autem subalternata est diuinæ potestati, per quam iudicabit & exercebit iudicium; nō quod sint distincta iudicia, sed vnum, quod respectu potestatis humanæ Christi, est eius proprium; respectu potestatis diuinæ, commune cum patre, quantum ad substantiam actus ipsius; quantum verò ad modum, quia per carnem coniunctam sibi iudicat, est etiam proprium Christi. Et ita docet Augustinus, de hac potestate sic interpretans locū illum Ioan. quasi filius ita iudicium faciendi, potestatem à patre non accepisset, nisi etiam Deus esset; quasi iudicaturus sit vt Deus & homo simul, siue id faciat per potestatem suam diuinam, siue simul per potestatem creatam.

Qualis sit Christi iudicantis potestas.

Cur Christus iudicariam potestatem à patre acceperit.

Cur autem hanc iudiciariam potestatem Christo Domino dederit æternus pater, docet ipse Dominus, Ioan. 5. cùm ait: *Potestatem dedit* (pater) *ei* (filio) *iudicium facere, quia filius hominis est*, id est, quia homo, vel, vt cum Paulo loquamur, quia *formam serui accepit, factus obediens vsque ad mortem. Propter* hoc enim *Deus* pater *exaltauit illum, & dedit illi* potestatem

omnes

omnes homines iudicandi. Eam namque potestatem, Christus Dominus promeruit, vt secundũ Dei institiam iudex esset, qui pro iustitia pugnauit & vicit, vt docet S. Thomas. Huius Christo concessæ à patre potestatis aliæ quoque reddi possunt rationes. Et prima quidem, vt homo hominem iudicaret. Æquum enim est, vt quemadmodum per hominem homines sunt redempti, ita per hominem iudicentur, qui Deus sit etiam homo. Hinc D. Thomas; *Deus*, inquit, *sicut per causas medias, tanquam propinquiores effectibus operatur; ita iudicat homines per hominem Christum, vt suauius sit iudicium hominibus.*

Iudiciariam potestatem Christus promeruit.

Potestatis iudiciaria Christo concessa variæ rationes.

1.

Altera ratio est, vt iudicandi, suum iudicem corporeis oculis videre, sententiam quæ proferetur, auribus audire, & omnino iudicium illud sensib⁹ percipere possint; cùm ipse externo ritu, forma visibili & iudiciali, sumptoq́ue habitu sensibili, iudicaturus sit, iuxta illud Apoc. 1. *Ecce veniet in nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerũt*, id est Iudæi, qui eum crucifixerunt. *Rectum* siquidem est, ait Augustinus, serm. 64. de verbis Dñi, *vt iudicandi, iudicem videant, &c.* Tertia est, vt is, qui iniustè iudicatus est ab hominibus, iustè homines iudicet, iuxta illud Eliu, apud Iob c. 36. *Causa tua quasi impij iudicata est; causam iudiciumq́; recipies.* Hinc Augustin. serm. vlt. de verbis Dñi: *Sedebit iudex*, inquit, *qui stetit sub iudice, damnabit verò reos, qui falsò factus est reus.* Et Psal. 37. *Oportebat, vt Christus taceret in passione, non taciturus in iudicio: Iudicãdus enim venerat, qui postea iudicaturus veniet; & ideo cũ magna potestate iudicaturus, quia cũ magna humilitate iudicatus, &c.* Quarta & vltima est, vt cui⁹ apparuit summa humilitas, eius appareat summa gloria, quemadmo-

Secunda ratio.

Tertia.

Quarta.

modum testatur idem Augustinus, Psal. 85. cum ait: *Videbitur* (Christus) *terribilis, qui visus est cōtemptibilis, demonstrabit potentiam, qui demonstrauit patientiam, &c.*

Quid viuorum & mortuorum nominibus hoc loco intelligendum, varia sententia.

Quid porro *viuorum & mortuorum* nominibus, quorum iudex constitutus est Christus, debeat intelligi, non vna est Doctorum sententia. Augustinus enim, lib. de fide & symb. cap. 8. & in Enchir. cap. 51. Chrysostomus hic, & homil. 1. de symb. & alij tam
1. Græci, quàm Latini, per *viuos* & *mortuos* intelligunt iustos & iniustos. *Siue*, inquit Augustinus, *istis nomi-*
2. *nibus, iusti & peccatores significentur, &c.* Ruffinus, in suo symbolo, per *viuos*, intelligit animas; per *mortuos* verò corpora, vt sit sensus; *iudicaturus* est *viuos & mortuos*, hoc est, animas simul & corpora. Licet enim iudicium vniuersale futurum sit in resuscitatos, iam tamen cùm fidem profitemur, viuunt quidem ani-
3. mæ, sed corpora multorum mortua sunt. Nonnulli, per *viuos* intelligunt eos, qui nūc viui supersunt; per mortuos verò, qui nos præcesserunt in vita, hoc sensu: *Iudicaturus est viuos*, id est, eos qui nunc viuunt, *& mortuos*, id est, eos qui iam mortui sunt. Sed angustus nimis est hic sensus, eò quòd non comprehendat omnes iudicandos; cùm futuri temporis homines vi-
4. uos & mortuos non includat. Quidam *viuos & mortuos* referunt ad tempus, quod immediatè præcedet iudicium, quando vltima eius signa incipient apparere, & veniet Dominus. Tunc enim erunt quidam viui, quidam iam mortui; Illi tamen viui sunt morituri & paulò pòst resurrecturi, vt compareant cum alijs iam resurgentibus in iudicio, sed tamen propter modicum tempus, quo existent mortui, *viui* dicun-
5. tur. Qui *sanctos obuiam Christo in aëra rapiendos*, non mori-

morituros putant, *viuos* hoc loco, propriè sumentes, de iis interpretantur, qui adueniente Christo iudice perseuerabunt in vita, & omninò non morientur. Quæ sententia, licet nonnullos magnæ authoritatis viros habere fautores videatur, vt Augustinum, quæst. 3. ad Dulcitium, Hieronymum, epist. 148. quæst. 3. Ambrosium, in cap. 15. epist. 1. ad Corinth. & alios, imo etiam Paulum 1. Corinth. 15. secũdum Græcam lectionem, & 1. Thessal. 4. nullam tamen probabilitatem habere, non solum Patrum turba (vt quidam loquitur) verum etiam omnium ferè Scholasticorum & Scriptorum nostri temporis iudicio comprobatur. Suadet hoc, ille Pauli nexus inter mortem & peccatum, Rom. 5. vt *in omnes homines pertransierit, in quos peccatum*. Item, illud 1. Corint. 15. quod *omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Resurrectio* enim *oriri non potest, nisi mors præcedat*, inquit Athanasius, libro de Incarnat. Verbi & serm. 3. contra Arrian. Quo etiam pertinet generalis illa Dei sententia Genes. 3. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Et Apostoli Hebr. 9. *Statutum est omnibus hominibus semel mori; post hoc autem iudicium.* Et 1. Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Item Dauidis Psalm. 88. *Quis est homo qui viuet & non videbit mortem; eruet animam suam de manu inferi.* Inde est, quod *mors* appelletur *via vniuersæ terræ*, 3. Reg. 2. eo quod *vniuersa terra*, id est, omnes homines terram incolentes, hanc viam ingredi debeant: *Ingredior*, ait Rex Dauid, *viam vniuersæ terræ, &c.*

Quinta sententia refutatur.

Omnes homines sunt morituri.

Verior igitur sententia est, ideo dici Christum *viuos* & *mortuos* iudicaturum, vt comprehendantur

Verior & probabilior sententia.

omnes omnium ætatum, sæculorumq́ue homines, tum illi, qui vita functi sunt, tum illi, qui in vita manent. Cum enim dicitur, Christus *iudicaturus viuos & mortuos*, significatur Christum iudicaturum omnes homines, quicumq; aliquo tempore vixerunt, omnes etiam, quicumq; aliquo tempore mortui sunt.

Quid viuorum & mortuorum vocabulis comprehendatur.

Si namque tantum diceretur; Christus *iudicaturus est viuos*; inferre posset Hæreticus; Ergo non est iudicaturus eos, qui iam mortui sunt: Si diceretur; Christus *iudicaturus est mortuos*, inferret idem; Ergo non est iudicaturus viuos. Vt ergò omnes complecteretur omnium temporum homines, dicitur Christus *iudicaturus viuos & mortuos*; vt nulla possit esse cauillatio, nullum effugium. Innuitur præterea his Apostoli verbis mortuorum resurrectio, cùm iudicaturus sit Dominus viuos, sed iam mortuos, & rursum in vitam reuocatos.

Omnes homines à Christo iudicandi.

Ex quo patet, omnes omnino homines esse iudicandos, non solum approbationis, vel damnationis iudicio, sed eo etiam quem vocant, discussionis, si quod peccatum actuale vnquam habuerint.

Obiectionis solutio.

Nec quicquam obest illa Domini sententia, Ioan. 3. *Qui non credit, iam iudicatus est.*

1\. Non enim ea senté tia significare cupit Dominus, infideles & Hæreticos non iudicanos in extremo iudicij die, sed dicit, iustam damnationis causam iam in se habere, cum infidelitatem habent. Quo pacto dictum est Adamo, Genes. 1. *In quacumq; die comederis, morte morie-*

2\. *ris*, id est, mortis in te causam habebis. Vel indicat Dominus, (vt tract. 15. in Ioan. explicat D. Augustinus) incredulum, in diuina præscientia, aut etiam lege diuina & statuto, quo decreuit omnes incredulos damnare, esse damnatos. Illo verò Psal. 1. *Non resurgent*

surgent impij in iudicio, &c. non indicatur, impios non resurrecturos resurrectione vitæ, sed resurrectione iudicij, id est, damnationis, vt loquitur Ioan. 5. Dñs. Vel dicitur *non resurrecturos impios in iudicio*, quia non efferent caput, nec causa præualebunt, sed causa cadent, &c. Vel tertio, vt repetatur ex verbis sequentibus nomen *iustorum*, hoc modo: Non resurgent impij in iudicio iustorum, neq; peccatores in consilio iustorum. Impij enim non resurgent inter iustos, vt cum iustis iudicentur, quemadmodum nec *peccatores resurgent in concilio* & congregatione *iustorũ*. Quod si qui Patres de infidelibus & Hæreticis loqui secùs videantur, hoc fortassis voluerunt, euidentiorem in eis damnationis causam apparere, eò quod careant, ad salutem necessario iustitiæ & meritorum fundamento, hoc est, fide. 3.

Patres explicati.

Nec ab hac communi subeundi iudicij lege, excludendi sunt vel ipsi pueri & infantes, qui Baptismi salutari vnda non sunt expiati. Iudicabuntur enim illi à Christo, prolataq; sententia, damni pœna qua digni sunt, afficientur, vt omnibus constet Dei iustitia, qua seruato suæ prouidentiæ ordine, Baptismo ad salutem necessario medio carentes, nec ad beatitudinem cęlestem admittit, nec pœna sensus plectit. Ita communis Theologorum sententia, fulta Augustini lib. 3. de libero arbitrio, cap. 3. potissimum, & Gregorij, lib. 9. Moral. cap. 12. authoritatibus. Quare, quod D. Thomas ait, pueros ante perfectam ætatem discedentes in iudicio comparituros, non vt iudicentur, sed vt videant gloriam iudicis, intelligendum est, non de reprobationis, sed de discussionis iudicio, quo pueros iudicandos non esse, dicit S. Doctor,

Infantes non baptizati iudicandi.

S. Thomas explicatur.

ctor, eò quòd actualia peccata nulla habeant, nullaue bona opera.

Angeli tam bonos, quam mali iudicandi. Aduertendum est autem hoc loco, ex eo quod Christus *viuorum* iudex profertur, per *viuos*, etiam intelligi, aut comprehendi posse tam bonos, quam malos angelos, quos iudicandos colligitur ex diuo Paulo, 1. Corinth. 6. dicente: *Nescitis, quoniam angelos iudicabimus?* Et D. Petro, 2. suæ epist. cap. 2. *Deus, angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari, &c.* Quo etiam pertinet illa malorum angelorum querela, Matth. 8. lamentantium, *venisse Iesum Nazarenum, ante tempus perdere illos.* Apparebunt siquidem angeli, tam boni quàm mali, in extremo iudicio, & illud aliquo modo subibunt. Et hoc postulat *Eius ratio.* iustitia Dei, gratia & misericordia, vt omnibus hominibus bonorum angelorum merita & præmia; reproborum verò iniquitates & supplicia patefiant. Iudicati sunt quidem iam in initio, & pro meritis retributionem acceperunt vtriusque generis angeli; sed, quia illud iudicium coram hominibus non est factum, eosque latuit, æquum est, vt coram illis etiam iudicentur. Quare, omnium angelorum bonorum merita hominibus omnibus & angelis fient conspicua, propter quæ æternam vitam sunt consecuti; omnium quoque reproborum iniquitas apparebit, propter quam supplicio sunt mancipati.

3. *Per aduentum ipsius & regnum eius.*

Varia huius loci interpretatio. Huius contextus sunt variæ Interpretum expositiones. Vna est, vt voces, *regnum* & *aduentus*, *testifi-*
1.

candi,

tandi, seu *obtestandi*, verbo coniungantur; quasi Timotheum obtestetur Apostolus in conspectu Dei & Christi iudicis, interpositis titulis aduentus & regni eiusdem, tanquam medijs, propter quæ merito debeat Pauli precibus & admonitioni morem gerere Timotheus. Quo pacto, Germanis solenne est, propter Christum, eiusque extremum iudicium alios obsecrare. Secundum hanc interpretationem huius loci *aduentus*, vel de primo Messiæ ad saluandum, vel de secundo & extremo eiusdem ad iudicandum aduentu accipi potest: De primo quidem, ideò, quod ille non modo ad petita facilius impetranda, sed ad omnia quæq; promouenda, efficacissimus sit titulus, ita vt vnica eius cogitatio, vehementissimos ad omnia sanctitatis & virtutis opera consectanda, stimulos addat. Hinc D. Chrysostomus, in comment. epist. 1. ad Corinth. cap. 16. *Cogita*, inquit, *vel hoc vnum*, (aduentus Dominici mysterium) *& habebis idoneum ad omnem virtutem ingressum, & demoliri peccatum omne facillimum erit.* Quo pertinet illud Rom. 13. *Et hoc scientes tempus, quia hora est iam nos de somno surgere: nunc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus.* Quæ verba licet nonnulli de secundo Christi aduentu interpretentur; D. tamen Thomæ, & aliorum expositio, Ecclesiæ consuetudini maximè consentit, quæ eum Pauli locum, ad primi aduentus Christi repræsentationem, legendum fidelibus proponit, tum prima Dominica Aduentus, tum in quotidiano Matutini officij vsu. Refert autem citatum locum D. Thomas, ad salutem, quam Christus suo primo aduentu effecit, Apostolumque loquentem facit, ex persona omniũ

Aduentus nomine, quid intelligendum.

Aduentus Christi consideratio, vtilis.

Locus Rom. 13. explicatus,

fidelium, qui ab initio vsque mundi extiterunt, qui, quo magis Aduentus Christi dispensatio appropinquabat, eò ardentiori studio ad omne genus probitatis virtutumq; perfectionem aspirabant, seseque ipsi inuicem, ad sanctitatem toto pectore amplectendam, ijs verbis adhortabantur, ac si dicerent: Par est, iam nos de præteritæ socordiæ, negligentiæque somno excitari, atque in virtutem omni studio, conatuq; incumbere & progressum facere; siquidem propior est iam nostri Saluatoris aduentus, quàm cùm eum à principio mundi venturum, credidimus.

I. *Christi aduentus ad virtutem stimulos addit.* Nec verò solus Paulus, ex Christi primo Aduentu, ad morum puritatem commendandam argumentatus est, sed etiam Esaias, seu per Esaiam Dominus, cap. 56. *Hæc dicit Dominus: Custodite iudicium & facite iustitiam; quia iuxta est salus nostra vt veniat, & iustitia nostra vt reueletur.* Quem locum, de Messiæ aduentu intelligendum esse, docuerunt L X X. Interpretes, cùm pro *salute*, *salutare* transtulerunt; quo nomine, Christus sæpe in scripturis censetur, quemadmodum Luc. 2. post B. Virginem, Beatissimus ille senex Simeon vsurpauit. *Tacitæ obiectionis solutio.* Nec huic interpretationi quicquam officit, *aduentui* coniunctum *regni* vocabulum, eò quod & ipse primus Messiæ aduentus, *regnum* sæpius dici reperiatur in scriptura. *Aduentus Messiæ regnum in scriptura dicitur.* Sic Lucæ 11. *Si in digito Dei eÿcio dæmonia*, inquit ipse Dominus, *peruenit ad vos regnum Dei*, id est, peruenit ad vos aduentus Messiæ qui regni Dei inchoatio quædam est. Sic etiam, eiusdem Luc. cap. 17. interrogatus à Pharisæis Dominus; *quando veniret regnum Dei?* Respondit, *non venire regnum Dei*, id est, aduen-

aduentum Messiæ, *cum obseruatione*, id est, cum magno apparatu pompaq; regia, quibus terreni reges solent obseruari. & paulò post, ijsdem Pharisæis ait: *Ecce regnum Dei intra vos est*, id est, interprete Euthymio, Messias, ille nimirum, de quo Joan. cap. 1. *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.* Nihilominus tamen, ob loci circumstantias, & adiunctum Christo, honorificentissimum iudicis vniuersalis titulum, rectius, etiam in hac interpretatione dici posse videtur, adiuratum fuisse à Paulo Timotheum, per extremum Christi ad iudicium aduentum, eò quod, vt terribilissimum, ita vrgentissimum sit ad ea quæ à Timotheo Paulus requirebat, impetranda, medium.

Aduentus hoc loco vltimo ponitur.

Altera huius loci expositio, est Chrysostomi, Theophylacti, Oecumenij, qui hunc locum ita exponunt, vt *aduentus* & *regni* vocabula, ad *iudicandi* verbum pertinentia, futuri per Christum iudicij tempus exprimant hoc sensu; Testificor in conspectu Dei patris, & Christi eius filij, qui omnes homines est iudicaturus in aduentu suo & *regno*, id est, quando, cum regia maiestate & splendore in nubibus, multis sanctorum myriadibus stipatus veniet. Et huic interpretationi plurimum fauet, quam Paulus vsurpauit Græca præpositio κατὰ, quæ, vt notat Sasboüt, nunquam obtestationi, frequentissimè verò tempori seruit. Et iuxta hanc Chrysostom. &c. sententiam, non de illo Christi aduentu, quo salutis nostræ causa carnem assumpsit, hic locus intelligi debebit, sed de altero, cùm in consummatione sæculi, ad iudicandos omnes homines, est venturus: qui aduentus in sacris literis, *dies Domini* appellatur,

Altera expositio.

Confirmatur sententia.

de

de quo 1. Thessalon. 5. scriptum est; quod, *dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet.* Et ipse Saluator, Matth. 24. & Marc. 13. *De die autem illa & hora nemo scit.* Huius porrò aduentus inculcatione, nihil frequentius fidelium oculis obijciunt sacræ literæ; vt, quemadmodum à mundi initio, *dies* ille *Domini*, quo humanam carnem induit, omnibus optatissimus semper fuit, quod in eo mysterio liberationis suæ spem positam haberent: ita deinceps, post filij Dei mortem & ascensum in cœlum, alterum diem Domini vehementissimo studio desideremus, *expectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei.*

Secundus Christi aduentus in scriptura cur sæpius inculcetur.

Tertia interpretatio.

Tertia tandem huius loci expositio esse potest, vt seruata Præpositione, *Per*, & ad *iudicandi* verbum relata, modus significetur, quo Christus mundum, in extremo iudicij die est iudicaturus, hoc sensu; *Iudicaturus est viuos & mortuos*; Et hoc per illustrationem *aduentus* sui; vel illustri suo aduentu & *regno &c.* Non enim est amplius venturus, vt ante venit in humilitate, sed cum gloria, cum maiestate, cum regno. Et hunc sensum præter consuetum loquendi morem, quo dicitur, fecit hoc per vim, &c. ipsa etiam Græca præpositio, κατὰ confirmat, quam Græci, ad modum quo aliquid fit, explicandum solent vsurpare.

Regni vocabulum multifariam vsurpatur.

Aduentui porrò coniunctum *regni* vocabulum, plurifariam acceptum reperitur in Scriptura. Jam enim vsurpatur pro credentium, & in vnitate fidei
1. ac sacramentorum congregatorum fidelium cœtu. qui etiam prout vni capiti, Christi vicario paret, *re-*
2. *gnum cælorum*, in plurimis parabolis, à Christo passim dicitur. Iam, pro regno illo terrestri, quo

Deus

Deus in eorum hominum animis & visceribus regnat, à quibus Diabolus, vitia, prauiq; affectus exulant: Iam pro virtutum ordinata œconomia, quæ 3.
hoc Dei *regnum* in hominis anima constituunt. Quo pacto sumitur, Roman. 14. vbi Paulus: *Non est*, inquit, *regnum Dei esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium in Spiritu sancto, &c.* Jam quoq; *regnum* Dei, si- 4.
gnificat illud Dei imperium in totum orbem omnesq; creaturas, quibus amplissimè & potentissimè dominatur. Jam, regnum cœleste ac beatum; de quo Luc. 22. Latro: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Jam deniq;, perfectissimũ illud re- 5.
gnum, quo omnibus hostibus æterno tartari carcere conclusis, omnibus amicis in cœlum receptis, omnibusq; è terra sublatis regibus, solus ipse *Rex regum & Dominus dominantium* in sempiternum, in fine sæculi est regnaturus.

Regnum, quid hoc loco?

Cæterum, huius loci contextus, & *regni* vocabulo coniuncta *iudicij* mentio videntur exigere, vt *regnum* hoc loco pro illustri, & plus quam regia Christi gloria, maiestateq; accipiatur, quæ extremo iudicij die, toti mundo est manifestanda. Tunc enim multis sæculis expectatissimum illud Christi regnum, vniuerso mortalium generi clarè innotescet, Christumq;, verum cœli & terræ regem esse, cunctis hominibus erit compertum. *Videbunt* siquidem *filium hominis venientem in nubibus cæli*, (quemadmodum ipse Christus, Matth. 24. prædixit) *cum virtute multa & maiestate*, vel vt Marcus scribit, c. 13. *cum virtute multa & gloria*, vel, vt deniq; Lucas, cap. 21. *cum potestate magna & maiestate.* Quibus Euangelistarũ testimonijs, Christus in iudicium descensurus

Regia Christi iudicantis maiestas.

Christus cum potentia & maiestate iudicaturus.

ostenditur, tum ingenti cum potentia, tum maxima cum gloria & maiestate. Cùm enim magnæ potentiæ opus expediturus sit, tum magno splendore, & luculentis potentiæ diuinæ testimonijs vsurus est, quibus vim suam exerat, vtpote, quosdam vitæ restituendo immortali, alijs æterna supplicia decernendo, atque in omnes imperij sui virtutem ostendendo. Gloriæ porrò & maiestatis ipsius vis, in eo maximè enitescet, quòd in corpore splendidissimo venturus sit, *cuius facies vt sol in virtute sua lucebit.* Apocal. 1. in nubibus fulgidis, procellosis & fulminantibus, omnibus angelorum choris stipatus, veluti seruis; quorum numerus cùm sit infinitus, risus & vmbra regum omniũ gloria & maiestas est, si cũ hac Christi iudicis gloria & maiestate conferatur. Vnde, hanc maiestatem & gloriam describens Joannes, Apoc. cap. 20. *Vidi*, inquit, *thronum magnum candidum, & sedentem super eum, à cuius conspectu fugit terra & cœlum, & locus non est inuentus eis, &c.* Quibus verbis, hyperbolicè, tantam Christi iudicantis gloriam & maiestatem futuram prędicit, vt præ timore & reuerentia, vel ipsum cœlum, vna cum terra, ab ea sit fugiturũ. Quam Hyperbolé vsurpauit quoq; Esaias, cum de eadem Christi ad iudicium procedentis gloria & maiestate loquens, cap. 24. *Erubescet*, ait, *luna & confundetur sol, cum regnauerit Dominus exercituum*, id est, Erubescent, & omninò confundentur pulcherrima cœli luminaria, sol & luna, propter Christi maiestatem & splendorem, cum regnauerit in die iudicij. Hanc Christi, cum gloria iudicantis maiestatem, multis retro sæculis, pluribus descripsit Propheta Daniel, cap. 7. cum ait: *Aspiciebam, donec throni*

Christi gloria & maiestatis vis.

Christi iudicantis descripta maiestas.

throni positi sunt, & Antiquus dierum sedit: Vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda. Thronus eius flamma ignis, rota eius ignis accensus. Fluuius igneus rapidusque egrediebatur à facie eius. Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Iudicium sedit, & libri aperti sunt, &c. Et paulo post, idem Propheta subijcit: *Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad Antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum: & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus & linguæ ipsi seruient; Potestas eius, potestas æterna, &c.* Hæc de Christi maiestate Daniel.

4. *Prædica verbum.*

Verbum in scripturâ, iam animi conceptionem, & quod voce exprimitur; iam præceptum & promissionem; iam prædicationem, siue narrationem; iam diuinum, atque substantiale verbum, quod est secunda in Trinitate persona; iam opus, rem, euentum & factum significat, quia dum hoc narratur, sermone & verbo enuntiatur, vt v. g. Luc. 2. cum dicunt ad inuicem Pastores: *Transeamus vsq. Bethlehem, & videamus verbum hoc, quod factum est, &c.* vbi vox *verbum*, opus absolutum non significat, sed quod dictum & significatum est; ponendo Abstractum Concreti loco, id est, *verbum*, pro re dicta. Eodem modo ibidem: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*, id est, res non erit impossibilis. Hoc porrò loco, absolutè de *verbo*, per Antonomasiam loquens Apostolus, pro *verbi Dei*, & Euangelico

Varia Verbi significationes.

Verbum hoc loco, quid.

sermone, seu euangelizatione accepit; in qua significatione, *verbi* vocabulum Paulo est admodum familiare. Vnde *verbum prædicare*, idem quod perorare, annuntiare, euulgare, publicare, & apud Esa: cap. 58. *clamare* significat; quem clamorem, concionatori præcipiens Ecclesiast. c. 4. *Ne retineas*, inquit, *verbum in tempore salutis*. Sectarij, *verbum Dei*, vtriusque Testamenti scripturam interpretantur, quasi Timotheo præciperet Apostolus, vt ea, quæ in vtriusque Testamenti volumine duntaxat continentur, euulgaret. Sed parabola de semine propriâ *verbi Dei* naturam sub seminandi verbo exprimens, illud etiam esse Dei verbum apertè insinuat, quod viua voce profertur, vt possit audiri, licet non scribatur in codicibus vt legatur, *seminare* n. est prædicare, & illi super quos verbi Dei semen seminatur, dicuntur in ea Parabola, *qui audiunt verbum Dei*. *Primum enim cecidit super viã*, ait Dominus; *Et hi sunt qui audiunt, &c.* iuxta Domini interpretationem. Ideò, cap. 10. ad Rom. dicitur *fides* concipi *ex auditu*, non ex lectione. *Quomodo enim credent ei quem non audierunt, & quomodo audient, sine prædicante?*

Quid sit verbum prædicare.

Sectarij taxantur.

Verbum Dei semini simile.

Terribili igitur sua, per Christi iudicis aduentum obtestatione, à Timotheo requirit Apostolus, vt esurientibus subditis spiritualem animæ cibum, subministret, vt verbi diuini & Euangelicæ doctrinæ propagationi semper studeat. Hoc enim prælatis & Pastoribus prædicandi munus, ex necessitate incumbere, sæpe, vel ipsi Apostoli declararunt. In Actis siquidem, cap. 6. *Non æquum est*, inquiunt, *ministrare mensis, & nos relinquere verbum Dei.* Et cap. 10. *Præcipit* (Jesus) *testificari & prædicare, quia ipse est,* qui

Prælati ex necessitate prædicare tenentur.

qui constitutus est iudex viuorum & mortuorū. Item Paulus, 1. Corinth. 1. *Dominus non misit me baptizare, sed euangelizare*. Et rursum: *Væ mihi, si non euangelizauero*; & id genus sexcenta reperire est, quibus Episcopis & prælatis officium prædicandi, sub interminatione commissum legitur. Quod Tridentinæ Synodi Patres videntur confirmasse, sess. 5. cap. 2. vbi concionandi & prædicandi laborem, præcipuè ad Episcopos pertinere docuerunt, decernentes, omnes Præsules, Archiepiscopos, Primates, reliquosque prælatos Ecclesiarum teneri per seipsos, si legitimè impediti non fuerint, ad Euangelium prędicandum. Porro, illud prædicandi munus Deo esse gratissimum, explicauit Paulus Roman. 15. cùm dixit: *Propter gratiam, quæ data est mihi à Deo, vt sim minister Iesu Christi in Gentibus, sanctificās* (*consecrans* legit Augustinus) *Euangelium Dei, vt fiat oblatio Gentium accepta & sanctificata in Spiritu sancto*. Quibus verbis significat Apostolus, prædicationem Euangelij esse quasi victimam Deo gratissimam, quam prædicator, tanquam Antistes sacrorum, Deo litat: aut potius, ipsam cōuersionem, quæ per prædicationem fit, esse Deo hostiam maximè acceptam, quam illi prædicator sacrificat. Vnde sequitur: *Vt fiat oblatio Gentium accepta & sanctificata*. Nihil ergo sublimius ac præstantius, imo & ipsi Deo gratius, quàm per Euangelij prędicationem, animas ad fidem siue ad gratiam conuersas, illi quodammodo, tanquam victimam, sacrificare.

Prædicandi munus Deo gratissimum.

Ex dictis colligitur primò, fidei disciplinā comparari, per auditum verbi Dei prædicati & ab iis auditi, qui ad prædicandum legitime sunt missi. Eam ob causam cap. 1. ad Galat. Verbum auditus fidei vocatur

Coroll. 1. Fides per auditum comparatur.

catur *Euangelium*, quod, inquit Paulus, *accepistis*. Et 2. Petri 1. ab Apostolorum principe dictum est: *Verbum Domini manere in æternum*; quod exponit, addés, illud esse verbum, quod euangelizatum est in vobis. *Verbum* enim *permanens in æternum*, nó est illud duntaxat in codicibus relatum, sed illud viua voce ab Ecclesia primum in Apostolis, postea in eorum successoribus perpetuo prædicatum, quemadmodum indicasse videtur Athanasius in epistola ad African. cùm definitionem Patrum Concilij Nicæni, de filio Patri consubstantiali, in Scripturis non expressam, vocat *verbum Domini permanens in æternum*; Frequentia autem Arrianorum in contrarium decreta, *plantationem, quam non plantauit pater cælestis*, Matth. 23. In Episcopis siquidem, non in Hæreticis, in Concilio legitimo, non in conuenticulis, in Ecclesia, non extra eam loquitur Spiritus sanctus *Verbum Domini*, & patris cælestis. Et licet *vnus* sit *magister*, hoc est, primus & princeps Ephes 4. multi sunt tamen Doctores & magistri ab hoc primo magistro missi & ordinati, quos quicumq; audit, ipsum Christum eiúsque verbum audit, iuxta illud Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit*: Non enim suum, sed acceptum à Christo verbum Dei, verè loquitur Ecclesia, vtpote à Spiritu sancto infallibiliter edocta & perpetuò instructa. Solius Hæretici proprium, nemine *mittente currere*, *à semetipso loqui*, proprium suum spiritum sequi, &c. Ierem. 13. Ezech. 13. Quare, mera fraus est & impostura, qua simplicioribus imponunt, & quasi quodam fascino illudunt Sectarij, cum multa de verbo Dei ex Scripturis accumulant, vt cum verbum Dei homines audiunt, statim, non nisi scriptum verbum animo

Verbum in æternum permanens, quod?

In Ecclesia, non extra Verbum Dei Verbum.

animo concipiant, & quidem in Euangelio vel lege scriptum, prout placuit impio Caluino, qui Prophetas & Apostolos, Legis & Euangelij duntaxat interpretes fuisse docuit.

Secundo fit euidens, prædicaturos, ab aliquo, non vero à semetipsis debere mitti. *Nemo enim sibi debet sumere honorem, nisi vocatus à Deo, tanquam Aaron:* Hebr. 5. Hoc siquidem est *intrare per ostium*, qui Christus est, Ioan. 10. Christus autem *dedit Ecclesiæ Apostolos, Prophetas, Pastores & Doctores.* Ephes. 4. Isti postea alios dederũt, qui sibi in officio succederent. Et, vt ista missio clara & certa esset, totique populo comperta, adhibita est solennis ceremonia, *manuum impositio.* Quo pacto, ab Ecclesia Paulus ordinatur Act. 13. Paulus sic dimissus & missus, pari ritu mittit nostrum Timotheum, vt supra cap. 1. visum est, & hic prædicandi officium illi iniungit. Timotheus similiter, alios ad operandum & euangelizandum mittens, manus quoque illis imponit; quod vt prudenter faceret, his verbis eundẽ admonuit in prima epistola capite quarto dicens: *Nemini cito manus imposueris, neque communices peccatis alienis.* Hæc etiam manuum impositio, qua missi sunt semper in Ecclesia Euangelij præcones, non ab aliis, quam ab iis, qui iam antea per manuum impositionem missi ipsi fuerant, aut facta vnquam fuit, aut fieri potest.

Coroll. 2. Prædicaturi ab aliquo mittẽdi.

Legitima mittendi pastores ceremonia manuum impositio.

Tertio conuincitur, non nisi ex prædicatione, doctrinã debere cognosci, quia per prædicatorem, facile populus agnoscit veram doctrinam, & nõ per doctrinam discernere potest verum & legitimum

Coroll. 3. Non nisi ex prædicatione doctrina cognoscenda.

Euan-

Euangelij præconem. Ipsi quidem inter se mutuò prædicatores, ex vera doctrina quam afferunt, cognoscuntur & discernuntur, vel, vt sic legitimè mittantur à suis collegis, vel, vt iam missi retineantur: Sed oues ipsæ & populus fidelis, ex pastore & prædicatore sanam doctrinam discere & cognoscere debent, magisque considerare quis sit qui loquitur, quam, quid sit quod loquitur.

5. *Insta opportunè, importunè.*

Prædicationis officium vt maximè necessarium Episcopis & Pastoribus, ita difficile & supra modum sublime est, Deoque acceptum. Ideo prædicationis ritè obeundæ formam modumque Timotheo hoc loco præscribit Apostolus, vt *opportunè* & *importunè* instet; Quasi diceret, opportunè volentibus audire, verbum Dei offerẽdum esse, (*Sermo enim opportunus, optimus est*. Prouerb. 15.) importunè verò fastidientibus ingerendum, quemadmodum se fecisse testatur Esaias, cap. 8. Cum enim audisset populum fastidire suam prædicationem, & inuitum audire; sese ipse tunc confirmabat dicens: *Pro eo quod abiecit populus iste; ideo, &c.* Id est, pro eo quod populus iste nauseat ea, quæ de Ezechiæ regis humilitate & mansuetudine illis prædico, ideo sæpius ingeram, & opportunè importunè eundem sermonem inculcabo. Et quamuis, nihil quod *importunè* fit laudetur, *importunè* tamen verbum Dei prædicandum præcipit Apostolus, *non iubens sine delectu & temerè prædicare* (inquit Theodoretus) *sed existimare, omne tempus ad id aptum & opportunum*. Cui, c. 1. Ioan. subscribens Chrysostomus: *Cibus*, inquit, *& balnea, & cœna, & reliqua secula-*

Opportune importune quomodo prædicandum.

Euangelica prædicatio nullis astricta temporis.

cularia, statutum tempus habent: Superna autem sapientiæ doctrina, nullo tempore circumscribitur; sed omne ei tempus accommodatum est. Hinc est, quod & ipse Paulus, & in carcere, & in naui, & in mensa apposita, & in omnibus locis, data vel minima occasione, Euangelium prædicarit. De suo carcere, suprà cap. 2. dixit: *In Euangelio* (prædicando) *laboro vsque ad vincula; sed verbum Dei non est alligatum.* Q. d. Tametsi vincula obstrictum teneant corpus, linguam & calamum non possunt obstringere; ex ipsis vinculis verbum Dei docere non desinam. Hanc prædicandi Euangelij assiduitatem videtur etiam præcepisse Dominus, Esaiæ cap. 58. cum ait: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorũ.* Et hoc, ne ante tribunal Christi, contra prælatos stantes dicant subditi, se ab iis non fuisse admonitos, & *animarum* illorum *sanguis de manibus eorum requiratur.* Vnde, non sine timore & tremore debent considerare, ne ad eos illa terribilis sententia dirigatur, quam seruus ille meruit audire, qui talentum acceptum noluit duplicare: *Inutilem seruum proiicite in tenebras exteriores.* Ex qua parabola elicitur, pastores tradere doctrinam auditoribus, sicut ille seruus, ex data fide, talentum debuerat communicare numulariis, vt inde lucrum reciperet Dominus. Vnde Beda Lucæ 19. *Qui,* inquit, *verbi pecuniam à Doctore percipit emítque credendo, necesse est eam cum vsuris soluat operando, vt quod auditu didicit, exequatur & actu, &c.* Tametsi namque ex pecuniis vsuras vetuerit Dominus, quemadmodum obseruat Chrysostomus, ex doctrina tamen vsuras repetit, quia illæ soluenti damnum; hæ lucrum

Assiduè prædicandum.

Doctrina cum vsuris reddenda.

Vsuras ex doctrina repetit Deus.

afferunt. *In pecuniis*, inquit hom. 41. in Gen. D. Chrysostomus, *prohibuit Dominus, ne quis vsuram acciperet, quia vterque magno damno afficitur: Debitor inopia atteritur, creditor peccata accumulat. In spiritualibus autem repetiturum se promittit vsuras, quia diuerso modo se habent spiritualis vsura & sensibilis. Illis enim is, à quo requiritur, in inopiam defertur, hic, à quo exigitur: Hic quanto maiorem vsuram afferet, tanto maiori fruetur remuneratione, &c.* Ex quibus facile collegerint Episcopi & Pastores, ita *opportune importune*, id est, assidue & quauis data occasione verbum Euangelicũ sibi prædicandum, vt Euangelica prædicatio nullo modo deseratur aut negligatur, etiamsi pauci aut nulli inde conuertantur. Ideo enim Angelus Ephesinus (quem non sine probabilitatis specie, Timotheum fuisse putat Liranus) à Deo repreheditur Apoc. 2. cũ eidem dicitur: *Habeo aduersum te pauca, quod charitatẽ tuam primam reliquisti.* In eo siquidem positam fuisse existimat hanc primæ charitatis remissionem Hugo Cardin. quod videns se suis concionibus parum proficere propter perditorum hominum peruicaciam, concionandi curam ex parte abiecisset. Nullo modo deserẽdam prædicationis Euangelicæ curam ostendit D. Chrysostomus homil. 1. de Lazaro & diuite. Primo, exemplo fontium. *Aquarum* enim *vena*, inquit, *etiamsi nullus veniat aquatum, manant tamen; & fontes, quamuis hauriat nemo, scatebras emittunt.* Secundo, ex eo quod accidit Hieremiæ Prophetæ cap. 20. qui cum ideo desistere cogitaret à vaticiniis, quod ab omnibus irrideretur, ad prædicandi munus Deo impellente reuerti coactus est, quemadmodum ipse-

Prædicatio non deserenda, etsi pauci conuertantur.

Prædicationis nullo modo deserenda, rationes.

1.

2.

Ad prædicandum compellitur Hieremias.

ipsemet loco citato testatur: *Factus sum*, inquit, *in derisum tota die, omnes subsannant me; quia iam olim loquor vociferans iniquitatem & vastitatem clamito: Et dixi, non recordabor eius, neque loquar vltra in nomine illius* (Dei.) Subiicit deinde: *Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, & defeci ferre non sustinens*. Quibus postremis verbis, significari dicit sanctus Thomas, eum ad prædicandum fuisse rursum à Deo compulsum. Tertio, exemplo ipsius Christi, 3.
qui certa scientia cognoscens Iudam proditorem suum haud quaquam conuertendum, nullam tamen eius admonendi curam vnquã neglexit. Quarto denique, quia etsi malus nullus conuertatur, boni 4.
tamen redduntur meliores, poteritque malus postea fortasse conuerti.

6. *Argue, obsecra, increpa.*

Paulus non est contentus, vt assiduè & instanter in verbi diuini prædicationem duntaxat incumbat Episcopus, nisi etiam grauibus argumentis eos conuincat & reprehendat, qui veritati contraria pertinaciter defendunt, ne libere & impune iis veritatem oppugnantibus, (nemine audente illorum errores coarguere & exprobrare) perniciosas Hæresum nouitates impunè serere præsumant. Verbum etenim *arguendi*, licet ad eruditionem quandoque pertineat, obiurgatorium tamen est, cum quis sceleris conuincitur & tam verbis, quàm factis reprehenditur. Quare hoc verbo iniungit Timotheo Apo-

Arguendi verbum, quid importet.

stolus, vt impios in faciem redarguere, eisdemque peccata denuntiare non reformidet, eò quòd peccatores ita ruere cæci & præcipites in peccata soleant, vt admoneri plurimum indigeant. Hinc est, quod toties iubeantur Prophetæ & prædicatores ipsis denuntiare illorum opera & improbitates, sicut Esaiæ, capite quinquagesimo octauo præcipit Dominus: *Annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Impiis enim errantibus & peccantibus, videntur ignota esse, & quasi aliena sua ipsorum scelera. Vnde cùm resipiscunt, tunc primum se agnoscere animi sui conditionem & statum profitentur, sicut qui dicebat, Ierem. 31. *Postquam ostendisti mihi peccata mea, percussi femur meum, & confusus sum, & erubui.* Sicut auté maxima diuinæ maiestatis gloria est, cùm peccator suum scelus agnoscit & cõfitetur; ita etiam indignum iudicat Deus, vt improbus improbitatem suam ignoret, egeatque externa admonitione. Propterea per Ieremiam Prophetam capite secundo dicit Dominus: *Ego iudicio contẽdam tecum, eò quòd dixeris; non peccaui.* Ex quo colligitur, opus esse, vt quis *arguat coram impio viam eius*, hoc est, vt eius vita prodatur & ostendatur, vt ficta ementiti splendoris facie, qua fulget, detracta, arcanisque ipsius cogitationibus palam à diuini verbi vindice & prædicatore, cùm expedit, traductis, vel resipiscat, vel aliis nocere non possit. Illud quidem indignè molesteque ferunt *impij* illi, *cogitantes apud se nõ rectè*. Sap. 2. & 14. vbi ipsi sic loquentes introducuntur: *Factus est nobis in traductionem* (proprie ex Græco in redargutioné) *cogitationum nostrarum.*

Peccatores arguendi.

Peccatoribus vel ipsa propria scelera ignota.

Peccatores arguere, necessarium.

Redar-

Redargutioni subiũgit *obsecrationem*, quia summo studio & artificio prædicatori Euangelico in id incumbendum est, vt studiosè dispiciat quis verborum lenitate, quis seueritate indigeat; cùm hic facilius *obsecratione* flectatur, ille non nisi dura sermonis vehementioris acerbitate ad saniorẽ mentẽ possit reuocari. Vnde est, quod alios roget, alios obsecret, alios obtestetur, &c. Apostolus, iam *per misericordiam Dei*, iam *per Christi passionem* & cætera ipsius beneficia, iam per affectus sui in eos ad quos scribit, *testificationem & viscera, &c.* vt spiritualis medici scientiam se profiteri declaret, qui corporalis instar archiatri iam dulcia, sapida & iucunda ægri palato medicaméta præbet; pòst verò re ita exigente, dura & doloris plena adhibere testetur, ne officio suo defuisse videatur. Hinc est q, Samaritanus ille Luc. 10. primũ *oleum*, deinde *vinũ vulnerib⁹* sauciati *infuderit*, vt eam se misericordiæ rationem habuisse cómonstraret, ne interim iustitiæ partes neglexisse videretur. Quare non tantum durè coarguendos subditos cupit Apostolus, sed etiam rogandos & obsecrandos præcipit, vt hac facilitate, & sibi concilient, & suorum subditorum animos permoueant prælati. *Natura enim contumax est humanus animus*, inquit Seneca lib. 1. de clem. cap. 24. *& in contrarium atque arduum nitens, sequiturq́; facilius quam ducitur.* Et vt *generosi atque nobiles equi melius facili freno reguntur, ita clementiam voluntaria innocentia impetu suo sequitur, &c.* Item; *remissius imperanti melius paretur, &c.* Quam ob causam, obsecratione potius quàm imperio suis discipulis scribens, vsus fere semper fuit Apostolus: *Propter quod*, inquit Philemoni scribens, *multam fiduciam*

Cur redargutioni obsecratio subiungatur.

Discretio pastori necessaria.

Subditi quandoque rogandi & obsecrandi.

Obsecratione potius quam imperio vsus Paulus.

ciam habens in Christo Iesu imperandi tibi, quod ad rem pertinet, propter charitatem magis obsecro, cum sim talis vt Paulus senex; nunc autem & vinctus Iesu Christi, obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis Onesimo. Quibus verbis significat Apostolus, cùm duplici titulo potuisset suo Philemoni imperare, videlicet & quia Paulus, & quia senex, maluisse tamen *obsecrare*, & charitatis potius, quàm authoritatis rationem habere; Sic etiam 2. Thessalon. 3. dixit: *Denuntiamus & obsecramus.* Vt enim præcipientis authoritatem mitigaret, addidit; *obsecramus*; ne verò authoritas contemneretur, addit precibus minas. Et cap. 2. eiusdem epistolæ, sic ait: *Cum possemus vobis oneri esse, vt Christi Apostoli; facti sumus paruuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foueat filios suos.*

Authoritas charitate mitiganda.

Necdum *redargutione* & *obsecratione* contentus Apostolus, subdit *Increpa.* Quo verbo vultus, gestus, clamorisq; vehementia ac verborum strepitu vult præconem Euangelicum eos impios in faciem redarguere, qui nec precibus, nec obsecrationibus, nec deniq; rationib⁹ flecti volunt. Quo etiã sub indicat animi magnitudine & insigni virtute p̃dicatori esse opus, q quasi litem potentioribus intendere, rep̃hendendo, & ad nouissimũ iudiciũ prouocando audeat, quasi illis contestaretur & diem ad tribunal supremi iudicis diceret. Eiusmodi certè minister erat Micheas, q capite primo: *Veruntamen ego repletus sum*, inquit, *virtute Spiritus Domini in iudicio & virtute, vt annuntiem.* Cum enim sancti impios in faciem increpant, non sua, sed diuini Spiritus virtute id faciunt; sicut in futuro iudicio facturus est Deus, cum,

Increpandi verbum, quid importet.

Animi magnitudine prædicatori opus.

vt Psalm. 49. scriptum est; *Statuet coram faciem illorum.* Inde est, quod Græci interpretes locum illum Job, cap. 21. *Quis arguet coram eo viam eius, &c.* expendentes; *Quemadmodum*, inquiunt, *ab his, qui sunt viarum periti, quærimus, quo hæc, illaue via ducat: sic prorsus perditis profligatisq; hominibus vitæ suæ exitum exploratum esse oportebat. Verum quis arguet coram eo viam eius? Quis flagitiosè atque fœliciter viuenti, aut viam in qua se dedit, aut viæ clausulam commonstrabit? Quis impio coram palamq; dicet vitæ suæ omnis finem esse mortem? vt his hac ratione compungatur, & ad tumulum meditans præ solitudine vigilet?* Quare, cùm potentiorum ingenia, & principum mores nouisset Sapiens; sic hominem instruebat, qui cum eis acturus esset, Eccl. 8. *Ego os regis obseruo.* *Et* deinde: *Ne festines à facie eius, neque permaneas in opere malo.* Quasi diceret: Ita te gerere debes cum principe, vt eum præsentem omni obseruantia colas, & venerabundus coram illius facie cōsistas: ita tamen vt illius facies nullam tibi persuadeat iniquitatem, vt subdit: *Quia omne quod voluerit faciet, & sermo illius potestate plenus est, neque quisquam dicere ei potest, Cur ita facis?* Hanc potentiorum faciem aliquando videtur formidasse Hieremias, sed diuina voce confirmatus est ad eos redarguendos in faciem & increpandos. Jerem. 1. *Ne formides à facie eorum; nec enim timere te faciam vultum eorum, &c.*

Cum principibus agendi modus.

Inde est, quod has prædicatorum increpationes, & seueriores admonitiones, Scriptura vocet alibi *tonitrua*, tum propter admirationem, quam illæ auditorum mentibus inijciunt, tum propter terrorem,

Seueriores admonitiones tonitrua dicuntur: & cur

rem, quem peccatoribus incutiunt. Quamobrem, Euangelij præcones futuri filij Zebedæi, Jacobus scilicet & Joannes, *Boänerges*, id est, filij tonitrui, seu tonitrua sunt à Christo appellati Marc. 3. eo quod altissima fidei mysteria & formidanda malis præparata supplicia admirabili & terrifico concionis reboätu tonaturi essent, præcipuè verò Joannes, qui mox Euangelij sui initio, altissimè intonuit, dicens: *In principio erat verbum, &c.* Accedit, quod tonante cœlo, ceruæ quæ difficillimi sunt partus, vt habetur Job cap. 39. parere præ timore soleant, quemadmodum Psal 28. significauit Regius vates, cum dixit: *Vox Domini præparantis ceruos*, id est, iuxta D. Hieronymi, eum locum ex Hebræo interpretantis, sententiam, *Vox Domini obstetricans seu parturire faciens ceruas præmetu*; vbi per *vocem Domini*, tonitru intelligitur. Sic etiã peccatores, qui ceruis ꝓpter timorem comparantur, iuxta illud Prouerb. 18. *Fugit impius nemine persequente*, qui etiam difficilem cer-

Increpationum effectus & vtilitas.

uarum instar spiritualem conuersionis fœtum emittunt, audito terrificæ increpationis tonitru, ictusq; seuerioris reprehensionis fulmine, item extremi iudicij, sicut & cruciatuum inferni mentione, quasi tonitru audito pariunt & conuertuntur. Quod ipsum Esai. 26. videntur ipsi confiteri, cum aiunt: *A facie tua Domine concepimus & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum salutis.*

7. In omni patientia & doctrina.

Hæc duo conuenienter adhiberi imperat, quia *doctrina viri per patientiam nascitur.* Prouerb. 19. & Psal. 91. *Bene patientes erunt & annuntient.* Vult autem

Paulus

Paulus in coarguendis & reprehendendis peccatoribus, *omni*, id est, perfecta *patientia* vti Timotheum; per *patientiam* intelligens, vel eam, quæ in persecutionibus ac contumelijs æquo & patienti animo ferendis; vel, quæ in diu expectandis ad pœnitentiam peccatoribus, consistit. Necessaria est siquidē Episcopis & pastoribus prima patientia, ne succumbant laboribus & molestijs, quæ in Ecclesiæ administratione, & subditorum reprehensionibus deësse non possunt. Quod indicasse videtur Apostolus 1. Timoth. 5. cùm Episcopos & pastores bobus similes faciens; *Non alligabis*; inquit, ex Deut. cap. 25. *os boui trituranti.* Est enim bos animal laboriosum, & multi laboris patiens. Quare, *patientiam*, citharam appellauit August. in illud Psal. 42. *Confitebor tibi in cithara Deus, &c. Quid est*, inquit August. *in cithara confiteri, & in psalterio? Vtrumq; organum manibus portatur, & tangitur; sed Psalterium de superiori parte habet testudinē, illud scilicet tympanum & concauum lignum, cui chordæ innitentes, resonant; cithara v. idem lignum concauum & sonorum ex inferiori parte habet. Quando igitur ex præceptis Dei, aliquid facimus, & non patimur, psalterium est: Faciunt enim ita & angeli. Dum aliquid autem patimur tribulationum, quia non patimur, nisi ex inferiori parte, id est, ex eo quod mortales sumus, cithara est, cantamus & citharizamus, Sic, cùm dicebat*, Rom. 5. *D. Paulus: Gloriamur in tribulationibus, &c. cithara sonabat ex inferiori quidem parte, sed tamen dulciter Omnis enim patientia dulcis est Deo. Si autem in ipsis tribulationibus defeceris, citharam fregisti, &c.* Hæc Aug. Hanc *patientiæ citharam non frangebat Apostolus*, qui 1. Cor. 4. dicebat: *Maledicimur & benedicimus, persecutionem*

Duplex patientia.

Prima. Episcopo necessaria.

Patientia, cithara dicitur.

patimur & sustinemus, blasphemamur & obsecramus; tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsq; ad hac. Quib⁹ verbis, significat Apostolus sanctos haberi à malis & sceleratis hominibus tanquam *purgamenta*, id est, tanquam fœces & immunditias *huius mundi*, quibus videlicet de medio sublatis, putant mundum purgari, quasi purgamentis & fœcibus, è domo cum verritur, eiectis. Significat item, se factum omnium *peripsema*, siue per hoc puluerem, quem calcamus; siue soleæ suppactũ corium; siue illud, quod in mare iactatur, vt nauis sit incolumis; siue reticulum, quo sudantes se abstergunt; siue scoriam omnem; siue illud omne, quod apud nos nauci & nihili est, velut quisquiliæ; siue deniq; ramentum, & quicquid limando teritur, intelligamus, talis tamen cum putaretur Apostolus, patienter eã de se existimationẽ, & reliquas omnes psecutiones tolerabat, nec in medio laborum positus, vnquam patientiæ citharam deposuit, nedum fregit.

Iusti sceleratis sunt quasi purgamenta.

Paulus se peripsema dicens, quid intellexerit.

Nec tamen soli Episcopo & prædicatori, sed & auditori bono, huius generis patientia, (iuxta Domini sententiam, Luc. 8.) necessaria est : *Hi sunt*, inquit Dominus, *qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.* Affert enim fructum concionator, affert & auditor, si tamen *in omni patientia* sementem fecerit. Quemadmodum enim agricola, de semine suo in terram iacto nunquam fructum refert, nisi magna vsus patientia multos labores pertulerit, multum diuq́ue messem expectauerit; Ita & cor bonum adeoq́ue optimum, ex verbi Dei semine accepto nunquam fructum refert, nisi magna cum patientia & animi forti-

Patientia non tantum prædicatori sed & auditori necessaria.

Simile.

fortitudine, qua negligentiam excutiat, consuetudini prauæ resistat, tentationes, vel ex cupiditate, vel ex voluptate natas, repellat, operi virtutis quod verbum docet incumbat, &c.

Cæterũ huius loci *patientia*, cui⁹ dulcedine circũ liniendam cupit Apostolus reprehensionum amaritudinem, in eo consistere videtur, vt peccatores non subitò & temere, sed cum quadam tarditate & longanimitate adhibitis increpationibus, diu etiam ad resipiscentiam & præteritæ vitæ pœnitudinem expectentur. Et hæc est frequentissima *patientiæ* in sacris literis acceptio, quemadmodum patet ex Matt. 18. *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*. Et Rom. 2. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis?* Quo sensu, sæpe dicitur Deus in scriptura *patiens*. Esa. 42. *Tacui, semper silui, patiens fui; sicut parturiens loquar*. Joël. 2. *Conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus, & misericors est, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia*. Et Nahum 1. *Dominus patiens & magnus fortitudine*. Hac *patientia* dicuntur Romani imperium orbis obtinuisse, quemadmodum legitur 1. Machab. 8. *Possiderunt omnem locum consilio suo, & patientia*, id est longanimitate, qua Romani sic ferebant Reges, rebellesque populos, vt eos non statim penitus destruerent, sed ad faciendam vltro deditionem generosè expectarét. De hac patientia accipi illud potest, quod Prouerb. 14. dicitur: *Qui patiens est multa gubernatur sapientia; qui autẽ impatiens est, exaltat stultitiã suã*. Quibus verbis indicat Sapiens, *patientem*, id est, longanimem, multum esse prudentem; impatienté verò, &c.

Patientia in Episcopo requisita.

Frequentior patientiæ significatio.

Romani patientia imperiũ orbis obtinuerunt.

vt ita loquamur, angustanimem, *exaltare stultitiam suam*, id est stultitiam suam manifestam facere, eò quod quæ in sublime tolluntur, omnibus fiant conspicua.

Longanimitas Episcopo cur commendetur, &

Commendatur itaq; Episcopo & prædicatori, non solum vt patiens laborum sit, sed etiam, vt longanimis in sustinendis & expectandis peccatoribus ad pœnitentiam; quæ virtus, maximè est in quolibet prælato necessaria, vt patientia sua & longanimitate subditos,, etiam feroces & rebelles, conetur dissimulando & expectando emollire, & quodammodo cicurare. Id quod ipsius Dei exemplo, prælatis commendat D. Gregorius, 2. part. Pastor. cap. 10. exponens illud Esai. cap. 51. *Mentita es, & mei non es recordata: neque cogitasti in corde tuo, quia ego tacens & quasi non videns. Dissimulauit ergo culpas*, inquit Gregorius, *& indicauit, quia & contra peccantem tacuit, & hoc ipsum tamen, quia tacuerit, dixit. Nonnulla enim vel apertè cognita, mature toleranda sunt, cum videlicet rerum minime opportunitas congruit, vt apertè corrigantur. Nam secta immaturè vulnera, deterius inferuescunt; sed cum tempus subditis ad correptionem quæritur, sub ipso culparum pondere patientia præsulis exercetur. Vnde benè per Psalmistam*, (Psalm. 128.) *dicitur; Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores. In dorso quippe, onera sustinemus. Supra dorsum igitur suum fabricasse peccatores conqueritur, ac si apertè dicat, quos corrigere nequeo quasi superimpositum onus porto.*

Dei longanimitas.

Hæc Gregorius.

8. Erit

8. *Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt.*

Puræ, putæque veritatis prædicandæ necessitatem & perseuerantiam, ab euentu pergit exaggerare: Quia, inquit, iam non desunt impostores, qui falsa doctrina fidelium animos occupare velint, tu eosdem ad Euangelij mentem gnauiter & bene imbutos ac firmatos præoccupa. Eodem modo, primæ epistolæ cap. 4. eundem Timotheum præmonuerat, dicens *à fide* quosdam *falsi nominis scientiam* profitentes, discessuros, *attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, &c.* Illa autem per Metonymiam, *doctrina* dicitur *sana*, quæ spiritualem sanitatem credétium animis, tam in his, quæ ad contemplationem, quàm quæ ad actionem spectant, affert. Ea est, *quam Spiritu sancto inspirati sancti Dei homines, sunt prælocuti,* (2. Petr. 4.) quam legitimi Doctores, à Deo dati Ecclesiæ patroni, iuxta communem sensum & intelligentiam ad posteros transmiserunt. Sicut enim corpus sanum, alimentis nutritur; ægritudo verò, salutaribus antidotis, ad artis medicæ normam compositis curatur; ita *pane vitæ, & intellectus* non modò fidelis animus alitur & sustentatur, sed integer, sincerus & ita perfectus conseruatur, vt & Deo gratas, & proximo vtiles actiones ritè possit exercere. Hoc porrò cibo, vt oues suas pasceret & reficeret, Petro, communi pastori mandans Dominus, Ioan. vlt. *Pasce,* inquit, *oues meas.* Et Paulus cap 4. ad Ephesios, ad eam rem *dedisse* Deum dicit *Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum, vt non circumferamur omni vento doctrinæ;* quam scilicet, fraudulenter ex pro-

Huius loci sensus.

Sana doctrina, quæ dicatur.

Fidelium spiritualis cibus.

prio sensu excogitatam suggerunt, qui à communi Ecclesiæ fide seiuncti, priuatas opiniones sectantur, & pertinaciter defendunt, vt à Catholica institutione sese discessisse ostendant.

Sectariŭ priuatas & nouas opiniones sectantur. Eiusmodi hodie sunt Lutheri & Caluini sequaces, qui ex electione sua, peregrina dogmata perniciosasque sectas excogitantes, nouitati student; cum è contra Catholici, nó ad suam priuatam electioné, sed ad diuinam traditionem, sua inuenta reuocent, omnis corruptelæ expertia, hoc firmiter apud se statuentes, non cuiuis dari optionem, sicne aliter, an sic de fidei rebus, ac morum ratione, sit sentiendum, sed quod Ecclesiæ traditio definierit esse prosequendum. *Spiritualis sanitas in Ecclesia.* Norunt enim Catholici, spiritualem animorum sanitatem, ab Ecclesia (qua Spiritus sancti assistentia gubernatur) præscriptis remediis conseruari: De qua prioris ad Timoth. cap. 2. loquens Apostolus: *Hæc*, inquit, *tibi scribo, vt scias quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis.* *Perniciosa mentis falsitas.* Ex quibus fit euidés, perniciosam mentis falsitatem esse ibi non posse, vbi firmata docetur veritas; nec sanitatis spiritualis perdendæ occasiones esse metuendas in ea domo, quam Deus viuus, hoc est, vitæ conseruator & author inhabitat, quandoquidem ibi, & credendorum infallibilis regula, quæ in contemplatione cernuntur, & agendorum, quę in communi vita occurrũt, amussis præscribitur. Nam per Ecclesiam suam, *mittit Deus* ad homines *verbum suum, quo eosdem ipse sanet, eripiatque de interitionibus eorum.*

Impiis onerosa veritas. Dicit igitur Paulus, ab impiis doctrinam, sanitatem afferentem non sustineri, quia eis onerosa, gra-

nis & molesta est; cum teste Ecclesiastico capite vigesimo primo: *Compedes sit stulto doctrina:* quæ tamen iustos, *torrente voluptatis replet*, quibus Christi iugum suauitas, onus vero plumæ sunt. Sicut enim cachecticis, & mali habitus corporibus, sapidiores sunt cibi crassiores, & perniciosum sanguinem generantes; ita sceleratis, tam ingratum, quàm molestum est illud doctrinæ genus, quod errores manifestè coarguit, moresque componens vitæ corruptelam corrigit. Scriptum est enim, Hamos 5. *Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectè*, hoc est, verba perfecta & sancta, quibus videlicet homines ad iustitiam colendam incitantur. Eiusmodi verba, post prophetas semper publicè loqués Dominus (quemadmodum testatur Petrus, Ioan. 6. *Domine, ad quem ibimus? Verba æternæ vitæ habes*: & ministri Pharisæorum capite septimo dixerunt: *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo*) impiorum odium & inuidiam incurrit, quemadmodum, Ioan. 15. ipsemet testatum facit: *Nunc autem & viderunt, & oderunt, & me, & patrem meum, sed vt impleatur, quod in lege eorum scriptũ est, quia odio habuerunt me gratis.* *Simile.*

9. *Sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus.*

Hyperbaticus Latinæ orationis contextus ex Græco facilior reddetur, si vocabulis *prurientes auribus*, à voce *magistros* disiunctis, fiat hic sensus: Ipsi prurientes auribus, coacerabunt, magistros suæ ipsorum libidini conuenientes, qui sibi prurientes *Verus huius loci sensus.*

aures

aures titillent, scalpantque voluptatum illecebris, & adulationis lenociniis. Verbum *coaceruandi*, ordinis defectum, confusionem, & rerum perturbationem indicat. Sicut enim irrationabilia sibi inuicem inconuenientia, vti lapides, lignorum strues, in aceruum cumulantur: Et, quemadmodum terra, sine cohærentia & dispositionis aptitudine, in aceruum ruditer aggeritur: Ita hæreticorum synagogæ, summa confusione congregantur, in quibus nullum caput, quod aliis membris præsit, nec vllam vel doctrinæ, vel actionum humanarum harmoniam est reperire, propter diuersas opiniones, studia in contrarium diuisa, ac multiplices sectas, eiusmodi animorum dissensiones progignentes, vt pauci sint, qui vel *in eodem sensu, vel in eadem sententia consentiant.* 1. Corinth. 1. Atque id genus synagogistis ita vsitatum est, vt semper audire, proferreq; noua & curiosa, theatro magis aut Academia digna velint, quàm Ecclesia. Vnde, *sermones Dei* (vt apud Ezech. 31. & 33.) *conuertunt in canticum & carmen musicum*, quod suaui dulcique sono canitur; peioresque sunt Atheniensibus, *qui ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere aut audire aliquid noui*; imo cum scribis & Pharisæis, atque cum Herode comparari debent, qui signa requirebant à Christo, Matth. 12. Lucæ 23. eundem vero, doctrinamque eius improbabant, & deridebant. Eiusmodi instabiles & curiosi, rectè dici possunt habere pruritum in pedibus, cum scilicet nesciunt quiescere; in auribus verò, cùm semper nouorum, curiosorum & sæpe noxiorum auditu delectentur. Vt enim pruritus carnis, sine, vel sanguinis, vel seminis effusione incendium est: ita nouæ doctrinæ auditoribus

Coaceruandi verbum quid importet.

Apud Sectarios omnia confusa.

Sectarij nouitatis amatores.

Quid sit pruritus.

Similia.

bus placent eiusmodi sermones sine spiritu, sine fide, sine veritate, sine charitate, sine castitate prolati. Et vt pruriens continuo fricari; sic horum aures nunquam non cupiunt audire verba, quæ *vanitatem, insanias falsas & mendacia* docent, & ad irrationalem voluptatem illiciant. Sed graphicè futilium verborum opificia, in Sophista, siue de Ente descripsit Plato: *Quicumque contentionis studio delectatur*, inquit, *res suas negligit: verba autem audientibus iucunda componit & quæstiunculas semper aucupatur. Non aliter, mea quidem sententia, quàm nugator & garrulus est vocandus*. Hinc est, quòd hoc modo loquentes inducat cap. 30. Esaias, *Videntibus nolite videre*. Et paulò post; Dicite *nobis placentia:* Et hoc, quia, vt est Prouerb. 18. *non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde suo*.

Futilium verborum opificia descripta.

Qui carni blanda & iucunda duntaxat prædicant, ij sunt magistri, qui prurientibus auribus arridènt, non mordaci cataplasmate vulnera rodunt, aut mordent; cum tamen ea demùm remedia, omnium iudicio salutaria existimentur, quæ dolorem afferunt. Ab eiusmodi Ecclesiastis multi discipuli abducuntur; quia *lata via est, quæ ducit ad perditionem, & multi eam inueniunt*. Aliter Christi præcursor concionabatur, qui suæ prædicationis ab vtili pœnitentia exordium sumens, *securim ad radicem esse positam* dicebat, nisi omnis generis auditores protinus resipuissent. Qui namque verba de iudicio, de inferni pœnis, de morte, de purgatorio, de corporis afflictionibus faciunt, despectui sunt mollibus, voluptuariis, & teneris Christianis; quorum aures cum pruriant, qui eas scalpant & fricent, semper expectant

Prurientium aurium magistri, qui?

Conciones paulo seueriores voluptuariis Christianis molesta.

Hodiernarum hæresum origo. Doctores. Ideo tam facilis hac ætate in hæresin defectio auditur, quæ per eandem carnis & voluptatis illecebras proponẽtem, fenestram aperit, palpum titillando obtrudit, arduæ virtutis exercitia, sicut bonorum operum molestias non esse Christiano vel vtiles, vel necessarias iactitat, modo fidei Christianæ firmus præbeatur assensus. Hæc est enim hodiernorum malorũ origo, hoc ad omne malum incitamẽtũ; fidei confessioni omnia asscribere, nihil vero pietatis, sanctimoniæ, & totius virtutis cultui tribuere.

Inter Sectarios, omnes magistri & Doctores. Recte verò in plurali, ab his curiosis hominibus *coaceruari magistros* dicit, quia, sicut totius Ecclesiæ vnus est inuisibilis magister Christi Domini Spiritus, & visibilis Vicarius, Pontifex Romanus, ita inter Sectarios omnes sunt Doctores, oẽs magistri & præceptores, nullus discipulus, aut subditus, propter omnium æqualitatẽ in fide fundatam, sicut impius docuit Lutherus; cum tamen D. Iacobi sententia vetitum sit, *ne plures fieri* velint *magistri*, cap. 3.

10. *Et à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.*

Auribus prurientes, asperiora verba reiiciunt, Illi quibus *aurium* est *pruritus*, sine iudicio & delectu Doctoribus iis duntaxat adhærent, qui blandis sermonibus humanos oblectant sensus, nõ verò eos sequuntur, qui asperiorum verborum cauterio scelerum vulnera contra putredinem adurunt. Hos cap. 30. Esaias *filios mendaces, filios nolentes audire legem Dei* appellat: *Qui dicunt videntibus; nolite videre, & aspicientibus; nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt; loquimini nobis placentia videte nobis errores, &c.* Eorum etiam cap. 2. Rom. videtur Apostolus meminisse, cùm eos qui

qui *ex contentione sunt* , & *qui non acquiescunt veritati, iram & indignationẽ manere* dicit: De Hæreticis nempe loquens, qui aduersus Ecclesiæ sanctissimas leges impiè contendũt, vt noua & inaudita hæreseôn portenta importent. Est n. id genus magistris solenne, quod Prouerb. 20 scriptũ est, *suauem esse panẽ mendacij*; sed, prout ibidẽ subditur, *implebitur os eorũ calculo*, quem scilicet postea dentibus pro pane protrituri & molituri sunt. In hæc namq; videmur tẽpora incidisse, vt hominũ fallax adulator prurientibus hominũ auribus magis placeat, quàm verax obiurgator: Quibus euenisse videtur, quod olim Iudæis, quibus dulce mãna siue *panis omne delectamentũ in se habens* fastidio erat; Ægyptiis verò allia, cæpæ, porriq; in deliciis habebantur. Sic n. hodie contingit, vt missam è cælo veritatẽ plurimi nauseent, quæ è contra falsitatis porris, imposturarum saporibus & mendaciorũ alliis mirificè oblectentur propter corruptũ mentis affectũ, & corporis sensus in tanta perniciosorum magistrorũ coaceruatione stupefactos & hœbetatos. Hodie namq; (quod est apud Regium vatẽ Psal. 11.) *diminutæ* vidẽtur *veritates à filiis hominũ vana loquentium ad proximũ suum, labia dolosa in corde & corde habẽtium*, posteaquàm scilicet à pura & puta veritate maxima Christianorũ pars auditũ longè lateq; auertit. Ij siquidẽ, qui *Christũ ore confitẽtur* Sectarij, & tñ *factis negant*, veritatẽ cupiditatũ & vitiorũ vinculis astrictã detinent, ne in bonas & salutares actiones abeat. Veritas etenim licet Christi sententia *liberare* hominẽ possit, Ioan. 8. non tamen nisi libera prius fuerit, quemquam liberum pronuntiat; cùm scilicet ex intellectu in volũtatem, in appetentem & irascibilem animi facultatem, in oculos, manus, pedes, in totum deniq́ue animum totumq; cor-

Adulatio hodie contempta veritate, in pretio est.

Sectarij, veritatem captiuam tenent.

Veritas, quomodo hominẽ liberare poßit.

pus liberè prodierit. Vnde D. Basilius, in reg. breui, interrog 65. explicans illud Roman. 1. *Qui veritatem Dei in iniustitia detinent*; *Quotiescumque*, inquit, *datis à Deo bonis abutimur, toties veritatem captiuam detinemus. Quod vitium in se fuisse negauit Paulus, cùm Corinthiis scribens* 2. epist. cap. 2. *Non sumus*, inquit, *sicut plurimi adulterantes verbum Dei.* Et 2. Thessal. 2. *Neque aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ, Deus testis est; neque quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis.* E contrario verò Iudæi *à veritate auditum auerterunt*, Christo multis signis & argumẽtis efficacissimis eandem comprobante, quam facile illi agnoscere si voluissent, poterant. Hinc interroganti Domino, Ioan. 8. *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* ad conuitia & contumelias conuersi rèspondebant: *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & Dæmonium habes?* Quod ipsum hodiernis Sectariis euenire, luce meridiana clarius est, vtpote in quibus Dei sermo (qui est ipsa veritas teste D. Petro Ioan. 17. *Sermo tuus veritas est*) capere, id est locum habere non potest. Quemadmodũ enim vas iam plenum liquorem amplius capere non potest; aut strictum nimis & angustum copiam super infusam non admittit: Ita Sectarij ob malitiæ & vitiorum redundantiam, quibus occupati & pleni sunt, sermonis diuini virtutem & efcaciam vel recipere, vel gustare non possunt, propter intellectus angustias incredulitatis cæcitate obstructas, quæ Christi sermonem purum, sanctum ac diuinum admittere non potest. Non enim sufficit audisse tantum verbum Dei, sed oportet ei locum in corde dare, & in ipsa viscera

Iudæi, veritatis osores.

In Sectariis verbum Dei locum non habet.

Simile.

viſcera illud ipſum traijcere, vt qui verbum Dei capit, etiam ab eodem capiatur. Nam verbum Dei ſimile eſt hamo, quem ſicut piſcis vt capiatur capit, & in viſcera trahit, vt per eum ex pelago in littus trahatur: Ita homo vt capiatur à Deo, Dei verbum capere, captumq; in viſcera trahere debet; vt per hoc ex turbulento peccati profundo ad placidum ducatur gratiæ littus; quemadmodum docet Aug. tract. 42. in Ioan.

Verbum Dei hamo ſimile capit cum capitur.

Rectè porrò dicit Apoſtolus eos quibus *pruriunt aures, auditum à veritate auertere,* quia vt ait Comicus in Andria, *Veritas odium parit.* Quemadmodum enim oſorem odio habitam auerſatur, vtpote quā nec audire, nec cernere poteſt: Ita & veritatis hoſtes quæ vera ſunt grauiter ac iniquo animo & vidēt & audiunt. Eiuſmodi oſores erant Judæi, quibus diuini veritatis ſplendor moleſtus erat, qui ex D. Stephani loquentis ore proficiſcebatur. Quamobrem, vt legitur Act. 7. *audientes diſſecabantur cordibus & ſtridebant dentibus in eum.* Vnde, *continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt in eum, &c.* Hoc pacto veritas, quam docebat Dominus, eam Judæis moleſtiam laborem & inuidiam afferebant, vt arreptis lapidibus eiuſmodi in ipſum vellent facere impetum, qualem poſtea fecerunt in Stephanum: Imitati nempe impium Achabum regem, qui 3. Reg. 22. Micheam Propheta in carcerem iuſſit conijci, propterea quod veritam loqueretur: Propter quam etiam cauſam Rex Amaſias, 2. Paralip. 26. Prophetæ vera dicenti mortem eſt minatus. Eſt autem impij & improbi cordis veritatis partum monſtrorum, odium nempe diligere, cum tamen genuinus veritatis

Veritas odium parit.

Genuinus veritatis partus eſt amor.

tis fœtus amor naturaliter esse deberet, quemadmodum lib. 10. Confess. cap. 23. August. *ab hominibus naturaliter amari veritatem lucentem* dicit; Et S. Thom. in proœm. opusc. 73. *omnem hominem à natura non degenerantem amare veritatem, & eam scire desiderare* probat. Quæ causa est, quod Diabolus sua mendacia veritatis imagine vel potius fuco semper abscondere nitatur. Et ideò Paulus, Gal. cap. 3. vocat *insensatos & fascinatos*, q, *non obedirent veritati*; quia *fascinatio* (vt ait Sapiens, c. 4.) *nugacitatis obscurat bona*, id est, huius mundi diuitiæ, honores, voluptates sua cupiditate pueriles animos fascinant, verisque bonis & virtutibus tenebras offundunt, atq; ipsam veritatem obscurant. Inde est, quod hoc loco dicat Apostolus, à *veri nominis scientia* & veritate, ad mendacia & fabulas eos deflectere, quibus tanquam lippis veritatis fulgor est tum inuisus, tum molestus, quos Psal. 4 Regius vates rep̃hendens: *Filij hominum*, inq̃t, *vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? Fabulæ* enim, *vanitas*, *falsitas*, *insania falsæ*, *mendacia*, *somnia*, Regio vati sunt sinonyma, quemadmodum ex plerisq; Psalmis animaduertet is, q̃ veritatis osores ab eo vehementer increpari intelliget, vt Psal. 118. oct. 11. v. 5. de impijs loquens: *Narrauerunt*, inquit, *iniqui fabulationes*, *sed non vt lex tua*, quæ continet mandata veritatis, æquitatis, fidei & iustitiæ plenissima.

Veritas inuisa & molesta.

II. Tu verò vigila, in omnibus labora.

Boni pastoris officium.

Bono pastori non modo iugis cura & assidua solicitudo necessaria sunt, sed amor erga subditos ei-

dem

dem bene probatus & constans esse debet, cui fideliũ gubernatio est commissa. Neq; enim vt priuatam suam; sed tanquam Christi rem tractare debet, qui alijs in Ecclesia præest; adeò, vt charitatem & dilectionem, quam erga Christum ipsum profitetur, erga eius oues siue subditos exercere, ipsisq; exhibere debeat, non sicut faciebant illi pastores, de quibus dicitur Ezech. 34. *Væ pastoribus Israël, qui seipsos pascebant.* Dicitur enim ille *pascere seipsum*, qui propriam vtilitatem, gloriam & commodum, non ipsorum fidelium quærit, quos gubernat; & non Dei gloriam ex regimine, sed suum quæstum & compendium. Ideò Apostolorum princeps, 1. Pet. 5. *Pascite*, inquit; *qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè, neque turpis lucri gratia, sed voluntariè, neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Quod ipsum Timotheo pastori hoc loco inculcat Apostolus, posteaquam ouium gregi lupinam sectariorum & impostorum præmonuit rabiem imminere, qui circa caulas, notabiles edant strages, nisi *supra gregem* suum excubias diligenter & iugiter agat. Si etenim secus faxit; non tam eum pastorem, quam mercenarium aliquem futurum insinuat, qui propriam vitam ab omnibus liberam periculis, magno ouium detrimento cõseruet; qui cùm *lupum venientem videt*, non vigilat; non expectat, non se opponit, sed *fugit*, & dimittit oues in discrimine Lupus enim venit nemine vigilante, vel resistente, & oues rapit ac dispergit; aliquas earum mactat & laniat: cæteras verò quas rapere non potest, dispergit, quia timore & terrore omnibus perculsis

Quoniam seipsos pascant.

Pastori vigilandum.

Lupo venienti resistendum.

perculsis, vnaquæq; in suum locum fugit, fuga salutem quærens. Non sic facere debet verus ac propri⁹ pastor; sed lupo occurrere, ac resistẽdo & oues defendendo, vel ipsius vitæ subire periculũ. Quod egregius ille pastor Dauid, de cuius semine Christus pastor bonus, secundum carnẽ natus faciebat, qui, 1. Reg. 17. dixit ad Saul: *Pascebat seruus tuus gregem patris sui, & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam eruebamque de ore eorum, & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum & suffocabam interficiebamq; eos.*

Alia vigilantiæ ratio. Sunt, qui huius loci *vigilantiam* ad disciplinam & doctrinam reuocent, quibus subditorum animos sic præoccupare ac informare debeat Episcopus & pastor vt viriliter, p̃uenientibus lupis possint resistere & à Dominico ouili diligenter arcere.

Generalis vigilantiæ acceptio, quid importet. Alij viriliter *vigilantiam* accipiunt, quasi velit Episcopum, vel iam agere ianitorem qui feris aditum
1. in ouile ouium interdicat, quemadmodũ suis discipulis Marc. 13. posteaquam iniunxisset Dominus, vt *viderent, vigilarent & orarent*, ijsdem ceu ostia-
2. rijs præcipiebat, vt excubias ad fores agerent. Vel Episcopos vult Paulus contra hostium, siue impetus, siue insidias in editiore loco agere speculatores, de quibus Ezech. 3. scriptum est: *Fili hominis dedi te speculatorem domui Israël.* Quo pacto dicebat Regius vates *se vigilasse & factum esse sicut passerem solita-*
3. *rium in tecto.* Vel præpositos Ecclesiæ cupit *vigilare*, bonorum pastorum instar qui, sicut Luc. 2. scri-
4. ptum est, *agant vigilias noctis circa suos greges.* Vel vt contra damnationis læthargum, cordis munditiem & pu-

& puritatem iugiter seruare meminerint, sicut Apocal. 3. monentur, vt *pœnitentiam agant: Quod si non vigilauerint, futurum vt angelus tanquam fur ad eos veniat.* Contra quem læthargum, dicit Ecclesiasticus, cap. 38. quod *vigilia sua mundabit fornacem*: volens insinuare; si Episcopus & pastor, rerum æternarum & cœlestium contemplationi operam dabit, non esse metuendum, quod vitijs alimenta qui es diuturna ministret. Eiusmodi enim (quemadmodum est in Cant, cap. 5.) ita *dormit*, vt *cor* ipsius internè *vigilet*. Quo pacto, Esaias 26. *In præcordiis meis* (dicebat) *de mane vigilabo ad te.* Et has vigilias comitari debet orationis & SS. precum assiduitas, quibus à Deo perseuerantia in bonis operibus impetretur, sicut à ditioribus humanæ vitæ sustentationem indigi continua mendicitate implorant & impetrant. Ad eam rem hortabatur discipulos Dominus Matt. 24 dicens: *Vigilate & orate*; Et ipse Apostolus, Ephesios cap. 6. prouocabat, vt *orarent omni tempore in spiritu, & in ipso vigilarent.* Id genus *vigilantiæ*, sacrarum literarum iugi meditatione non minus iuuari solet, quàm foueri. Ideò beatum illum prædicabat, Prouerb. 3. cap. Sapientia, qui *ad ipsius fores quotidie vigilasset.* Et Ecclesiast. cap. 39. quod *iustus cor suum tradidit ad vigilandum diluculo*: Et hoc, vt tempestiuè in Dei laudes & gratiarum actiones erumpat. De qua vigilia, Eccl. 31. dictum est, quod *vigilia honestatis tabefaciet carnes, & cogitatus illius auferet somnum.*

Vigilantia precibus iungenda

Hæc porrò pastorum *vigilia*, in duobus maximè est spectabilis: Primum in subditorum correctione, quemadmodum Apoc. 3. Episcopus admo- 5.

Pastorum vigilia in duobus sita.

netur, vt sit *vigilans, & confirmet cætera, quæ moritura erant.* Deinceps in aduersariorum repulsione, eorum videlicet instar, qui iam ab hostibus obsessi sese moliuntur defendere, vt tandem erumpant. Ad hanc vigiliam omnes vniuersim cohortatur Apostolorum princeps, 1. Pet. 5. *Sobrij estote, vigilate, quia aduersarius vester diabolus, &c.*

Vigiliis labores coniungendi.

Sed quia frustra & inaniter vigilat, qui Ecclesiæ curam gerit, nisi simul etiam ad perferendos labores in omnem euentum sese idoneum aptumque præstet; Ideò adiungit Apostolus, vt *in omnibus laboret,* hoc est, strenuè, & impigrè molestias & incommoda, omni contentione sit perferre paratus, quæ religionis propagandæ causa euenient. Q. d. siue studendum ac meditandum est, ad confirmandos in fide subditorum animos; siue instruendi & catechizandi sint rudiores; siue perfectiores, & qui iam in Christianismo progressum fecère, confirmandi erunt: siue sectarijs & impostoribus ac Pseudoäpostolis resistendum & occurrendum, &c. in omnibus virum te præsta. Hoc enim est, quod Luc. 22. communi omnium pastori præcipiens Dominus: *Et tu aliquando,* dicebat, *conuersus confirma fratres tuos. Beati* siquidem sunt, qui *super omnes aquas seminant,* Esai. 33. quia bonorum *laborum gloriosus est fructus.* Sap. 3.

12. *Opus fac Euangelistæ.*

Vocabulum *Euangelista*, à nomine *Euangelium* vel potius à verbo *Euangelizo* deriuatum, & prophanis, & sacris scriptoribus, in diuersa significatione est

est obuium. Et prophanis quidem authoribus, *Euangelium*, dijs fieri solitum sacrificium, & supplicationem pro læto Nuntio haberi consuetam, significat, quemadmodum apud Ciceronem, in epist. ad Atticum, videre est, vbi dicitur: *O suaues epistolas, quibus Euangelium deberi fateor.* Sacri verò & Ecclesiastici scriptores, *Euangelij* vocem pro lætæ rei præconio & renuntiatione; præcipuè verò, pro gratiæ, ac redemptionis per Christum partæ publicatione vtuntur. Juxta hanc significationem, bifariam *Euangelistæ* nomen sumi potest; Vno, iuxta Ecclesiasticorum vsurpationem, pro Euangelij scriptore, quorũ antiqua Patrũ traditio, authenticos semper in Ecclesia quatuor ita approbauit, vt cum SS. literæ, epistola quædam sint Dei è cœlo missa, Euangelia tamen Christi, ipsum singulariter nobis repræsentent, quasi spirantem, docentem, mira patrantem, dira patientẽ. Basilius lib 4. ep. 84. Orig. in præf. in princ. Joan. Aug. præf. in Joan. Altero modo sumptum legitur in scriptura *Euangelistæ* nomen, pro prædicatore Euangelij, sicut hoc loco illud ipsum vsurpat Apostolus, & cap. 4. ad Eph. vbi dicit, à Christo cœlos ascensuro, *quosdam* esse datos *Prophetas, quosdam Apostolos, quosdam verò Euangelistas, &c.* Et licet vocabulum *Euangelista*, propriè & primario in hac significatione Apostolis conueniret, alijs tamen etiam cõmune fuisse, ex Actis Apost. constat; vbi cap. 5. Philippus etiam *Euangelista* dicitur, eo q, per occasionem, circa quædã loca Euangeliũ prædicaret, quemadmodum exponit Ambrosius in epist. ad Eph. & Chrysost. ibid. hom. 11. Eiusmodi *Euangelistas* fuisse Priscillam & Aquilam, author est Theodoretus in epist. ad Ephes.

Euangelij nomen diuersimode acceptũ.
1.
2.
Duplex Euangelistæ nominis acceptio.
1.
2.
Euangelistæ nomen pluribus attributum.

 Quare,

Quare, *Euangelistæ* nomine non tantum intelligendi sunt ij, qui scripserunt *Euangelium*, sed & qui prædicarunt &, vt vult Anselmus, qui officium ministrandi pauperibus habuerunt, *vt septem Diaconi*, inquit, *sub Apostolis*: Vtrumq; enim victum præbuisse, testatur & spiritualem & corporalem, & similiter nunc agere debere Diaconos, proptereaq; hodie legere in missa Euangelium.

Episcopo non otiandum, sed laborandum.

Cum igitur præsulem, siue Episcopum ageret Timotheus, ad quẽ *euangelizandi* munus spectat, ideò non otiandum, sed operandum & laborandum illi esse ex officij sui vocatione inculcat. Non enim ad otium, sed ad opus vocatur is, qui Ecclesiæ præficitur, cùm *Episcopatum desiderans, bonum opus*, id est, bonus Ecclesiæ operarius esse desideret. Quæ considerans D. Hieron. Sophon. capite 3. *Videte*, inquit, *quid dixerit Apostolus; bonum opus desiderat, non dignitatem. Si autem despecto opere, solam aspexerit dignitatatem, cito corruet turris in Siloã, & excelsæ Cedri fulmine feriuntur, & erecta ceruix frangitur, & cygnus extento collo in sublime se tendens, inter immundas volucres computatur.* Hæc ille. Adeò igitur clarum operibus præsulem, vult esse Apostolus, vt exemplar sit omnibus bonorum operum. Hoc enim est *opus Euangelistæ facere*, quemadmodum & ab ipso Tito expetebat, vt *in omnibus seipsum præberet exemplum bonorum operum.* In quæ verba D. Chrysostomus; *Sit*, inquit, *omnibus doctrina, exemplarque virtutis tuæ speculum vitæ quod omnibus proponitur ad imitandum, veluti primitiua quædam imago, omnia in se habens, quæ bona atque honesta sunt, quæ magna cum facilitate volentibus aliquid*

Quid sit opus Euangelistæ facere.

aliquid sui decoris imitari, exempla semper præbere parata sit. Neque enim sine causa à D. Paulo *bobus* comparati sunt Ecclesiastici operarij 1. Corinth. 9. & 1. Timoth. 5. de quibus illud Deuteron. 25. interpretatur: *Non alligabis os boui trituranti.* Sicut enim bos labori atq; agriculturæ destinatum est animal, quod paucis est contentum, vtpote herba viuens & paleis, non verò carnibus; Ad eundem modum Ecclesiæ bonũ operarium labori destinatum esse cupit Apostolus, qui se animarum culturę totum tradens paucis contentus viuat, quemadmodum 1. Timoth 6 *Habentes*, inquit Apostolus, *alimenta & quibus tegamur, his contenti simus, &c.*

Pastores cur bobus comparentur.

Simile.

Et sanè *opus Euangelistæ* reipsa faciebat Apostolus, Act. 20. qui dicebat, *nihil à se subtractum vtilium, quo minus annuntiaret* (ouibus & subditis) *& doceret illos publicè & per domos*, vt *opus* scilicet faceret *Euangelistæ*, omnia æstimans, & ad quæque abiiciens seipsum. Quibus verbis promptitudinem ac solicitudinem suam ait Chrysostomus ostẽdere Apostolum, quam exigit in iis, qui aliis præsunt. Qui enim *præest*, ait cap. 12. ad Rom. *in solicitudine*, in studio, in animi assidua & vehementi, magna cum voluptate, (vt Cicero lib. 1. de inuent. *studium* definit) occupatione munus suum debet exequi, vt se *debitorem* meminerit *sapientibus, & insipientibus ac barbaris*. Rom. 1. Huic debitò si non satisfaciat Ecclesiæ pastor, seipsum quasi suffuratur Deo & fratribus, quibus eum Deus dederat Doctorem & Euangelistam. Nam *si Euangelizauero*, inquit Paulus, 1. Corinth. 9. *non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi est si non euangelizauero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo, si au-*

Paulus, verus Euangelista.

Pastor omnibus se debitorem meminerit.

tem inuitus, dispensatio mihi credita est. Quare pastor hoc euangelizandi debitum soluere debet iustis & iniustis, quos per *sapientes* & *insipientes* intelligunt Augustinus, in Psalm. 37. & Gregor. homil. 11. in Ezech. Sed *quis nostrum rogo*, ait Gregorius, *ad hæc sufficiat, vt non solum peccatores studiose corripiat, sed etiam iustis inuigilet, ne cadant? Nos enim infirmitatis nostræ conscij, cum iustos viros conspicimus, admonere eos non præsumimus: & tamen prædicatoris est debitum, etiam iustos admonere. Vnde enim est, quod egregius prædicator dicebat* Rom. 1. *Sapientibus & insipientibus debitor sum, &c.* Et Ambrosius 1. Offic. cap. 1. *Effugere non possumus officium docendi, quod nobis refugientibus imposuit Sacerdotij necessitudo.*

Difficile pastorum munus.

13. *Ministerium tuum imple.*

Ministerij vocabulum voci *Dominium* opponitur. Tametsi verò Christus vt homo, multis titulis dominus esset, se tamen Luc. 22. *tãquam qui ministrat* inter discipulos suos fuisse versatũ dicit, vt omnem dominandi libidinem & affectum ab eorum cordibus remoueret. Licet enim ratione vnionis humanitatis ad verbum (iuxta quam omnem potestatem acceperat) & ratione redemptionis, (ob quam vniuersorũ singulari dominio gaudebat, quos suo sanguine de Diaboli potestate eripuerat) omnium creaturarum esset Dominus, de se tamen dicit, *in medio* suorum discipulorum sic vixisse, *sicut qui ministrat*, eundemque *serui formam* accepisse Philip. cap. 2. testatur Apostolus. Et hoc quidem, vt ostenderet Ecclesiæ suæ constituendæ formam à gentium regnis

Dominandi libido pastori penitus exuenda.

&Mun-

& Mundi Rebuspub. longe aliam & differentem esse oportere; quia *reges gentium*, inquit, *dominantur eorũ, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur: Vos autem non sic, sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor & qui præcessor est, sicut ministrator.* Inde est, quod Paulus 1. Corinth. 4. se, alios Apostolos, eorumque successores existimari velit *sicut Dei ministros & dispensatores mysteriorum Dei.* Et alibi se dicit *ministerium suum glorificaturum, &c.* Ad cuius imitationem SS. Pontifices ex præscripto S. Gregorij magni, *seruos seruorum*, alij vero Ecclesiæ prælati & religiosi, *seruos in Christo*, se tum scribunt, tum nominant, vt omnem sese dominandi cupiditatem exuisse faciant testatum.

Ecclesia forma à secularibus regnis diuersa.

Quod igitur Paulus ante à Timotheo præsule iure suo postulauerat, vt *opus* faceret *Euangelistæ*, hoc loco illud idem *ministerium* appellãs, *impleri*, hoc est, ritè perfici, consummari & ad finem perduci desiderat. Tum porro operis ministeriique sacerdotalis mensura impletur, cum magna charitate, vigilantia, castitate, patientia, assiduo in prædicando, corrigendoque populo, labore ita cumulatur, coaugmentatur, & executioni mandatur, vt superfluat, quemadmodum Actor. 13. dicitur D. Ioannes *implesse cursum suum*, id est executum. Quod reipsa maioribus Ecclesiæ Ephesinæ narrabat à se præstitum Apostolus Actor. 20. cum diceret: *Vigilate*, inquit, *memoria retinentes; quoniam per triennium nocte & die non cessaui cum lacrymis monens vnumquemque vestrum.* Item: *Argentum & aurum aut vestem nullius concupiui sicut ipsi scitis, &c.*

Ministerium Ecclesiast. quomodo impleatur.

Ex quibus fit perspicuum eos demum perfectè tum munus, tum *opus*, tum *ministerium* suum Apostolicum

Coroll. Quinam ministerium suum implesse dicantur.

licum siue Euangelicum hodie, vti par est, exequi, qui cum omni humilitate & lacrymis Deo seruiunt, qui hostium persecutiones patientia superant, qui publicè & per domos nocte & die cum lacrymis vnumquemque monere hortarique non cessant. Vnde rectissimè D. Gregorius, lib. 27. Moral. cap. 19. operarios ab opera vult appellari, quod ea operantur quæ docent, sicut Act. 1. dicitur Christus, *fecisse simul & docuisse. Prædicatores*, inquit, *sancti operarij sunt, quia non desinunt agere quod loquuntur, cum videlicet, quod ore euangelizant, opere faciunt; quemadmodum & ipse Apostolus cap. 15. ad Rom. faciebat dicens, se non audere loqui aliquid eorum, quæ per me*, inquit, *Christus non effecit.*

14. Sobrius esto.

Sobrietas quid; & sententia expositio.

Hoc non habent Græci, sicut nec ex Latinis multi. Quod si sobrietatis vox ad corporalem cibi potusque temperantiam reuocetur, tum nonnulli hanc clausulam adiectam volunt, quasi operi & ministerio Euangelico exequendis, sobrietas & corporalis abstinentia plurimum afferre præsidij queat: iuxta quam sententiam dixit Sapiens Eccles. cap. 2. *se cogitasse à vino abstrahere carnem suam.* Et ipse Apostolorum princeps 1. Petr. 5. admonet, vt *sobrij simus & vigilemus, quia aduersarius noster Diabolus tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.*

Alia acceptio & expositio.

Si vero pro iudicij discretione *sobrietas* sumatur, (quemadmodum Act. cap. 26. obiicienti sibi Festo præsidi insaniam, respondens Paulus vsurpauit: *Veritatis & sobrietatis verba loquor*) tum plurima ab Euãgelista operario & ministro Ecclesiæ vult caueri Apostolus, quæ communis, & non ita perfectæ vitæ studio-

ſtudioſis hominibus non prohibentur. Exigit inprimis ne rebus terrenis ita ſe implicari patiatur, vt irretiatur; ſicut fecerant Apoſtoli Matth. 19. qui ſe *omnia reliquiſſe*, Chriſti cauſa affirmabant, & hoc vt eo feruentius vacare ſpiritualibus & æternis poſſent; quia *nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus.* ſup. cap. 2. Ad eam rem, plurimum conducit corporalis tum afflictio, tum maceratio, ſicut in ſeipſo 1. Corint. 9. dicit experientia ſe didiciſſe Apoſtolus, cum *caſtigaret ſuum corpus, & in ſeruitutem illud redigeret, ne cum aliis prædicaſſet, ipſe reprobus efficeretur.* Huc etiam ſpectat renuntiatio, quæ parentibus & carnalibus amicis fieri ſolet prædicationis Euangelicæ cauſa, quemadmodum à Chriſto vocatus ſe protinus cap. 1. ad Galat. feciſſe ſimiliter dicit Apoſtolus: *Continuo*, inquit, *non acquieui carni & ſanguini, &c.* Et hoc, quia qui *in carne & ſanguine volutantur*, non ita facile ſacrarum literarum meditationi, & his quæ ad prædicationis officium Euangelicæque functionis onus ſpectant, intendere vacareque poſſunt, imò ab oratione, quæ pro his quibus Euangeliſtæ prædicāt, aſſiduè fieri deberet, animum & cordis deuotionem auocant, cum è contra Apoſtolus cap. 1. ad Roman. Deum in teſtem vocet, quod *eorum memoriam faciat in orationibus ſuis.*

Terrenis rebus prædicatori renuntiandum.

Res mundanæ prædicatori impedimento.

15. *Ego enim iam delibor.*

Cauſam reddit Apoſtolus, ob quam *miniſterium* ſuum *implere, opus Euangeliſtæ facere*, & gnauiter *laborare* debeat Timotheus, nempe quia tanquam victima (per mortem ſibi imminētem) Deo *delibari*, hoc

est, immolari iam incipiat. Quod vt facilius intelligatur, aduertendus est locus, qui est in Numeris cap. 15. *Cum veneritis in terram quam dabo vobis, & comederitis de panibus regionis illius, separabitis primitias Domino de cibis vestris. Sicut de areis primitias separabitis: ita & de pulmentis dabitis primitiua Domino:* Quod Hieronymus vertit primitias & primitiua, LXX. Interpretes verterunt ἀπαρχὴν, qua voce cap. 11. eius quæ est ad Rom. vtitur Paulus; cuius interpres vertit *delibationem*, eo quod primitiæ pastorum primò delibarentur ex reliquo, id est, parcè, & quasi extremis labris desumerentur. Id enim est *delibare*, quemadmodum est apud Virgilium, *Oscula libauit gnatæ*; vt verbum delibari hoc loco idem sit, quod prægustari, & Deo incipere offerri, sicut aliqua grata hostia. Receptũ n. more fuit in veteri lege, vt si quando aliq. liquidum Deo deberet offerri, prius à sacerdote degustaretur, dignumne esset an indignũ offerri. Possent & verbo *delibari*, passiones, vincula, molestiæ, verbera, &c. intelligi, quę mortem iustorũ tanquam præuiæ dispositiones præcedebant. Mors porrò sanctorum passim in Scriptura immolatio vocatur, sicut Psal. 115. *in conspectu Domini ideo pretiosa vocatur.* In qua significatione, capite secundo, eius quæ est ad Philip. dicit Apostolus: *Sed etsi immolor supra sacrificium & obsequium fidei vestræ.* Quibus verbis sic Philippensium salutem sibi esse curæ contestatur, vt pro ea sit mori paratus, imo gauisurus, si contingat se in tam egregio negotio emori. Q. d. Si Deus vult me esse victimam, vt immoler super fide vestra, præbeo me lubens tanquam holocaustum Deo offerendum. Sunt enim martyres digna Deo holocausta, digniora sa-

Locus Num. 15.

Quid sit delibare.

Mors sanctorũ immolatio in Script. dicitur.

ra sanè quàm illa, quæ in templo Ierosolymitano offerebantur, quia illa typus duntaxat erant, hæc veritas. Nam *tanquam aurum in fornace probauit illos* (martyres) ait Sapient. 3. Salomon, *& quasi holocausti hostiam probauit illos, &c.* Hinc est quod illud Prouerb. 9. *Sapientia immolauit victimas suas*; de martyribus exponat D. Augustinus, libro decimo septimo de Ciuitate Dei, capite vigesimo, in hunc sensum; *Christus Dei sapientia, immolauit victimas suas, id est martyres.* Et quidni sacrificia & holocausta immolent martyres, cum vitam, imo seipsos pro nomine Iesu occidendos offerunt, cùm ipsa carnis castigatio & prauarum appetitionum repressio, *sacrificij* nomine censeantur in Scriptura. Explorata est enim hæc ex Paulo Roman. 12. admonitio: *Obsecro*, inquit, *vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum: & nolite conformari huic sæculo sed reformamini in nouitate sensus vestri.* Vbi aduerte pro, *rationabile obsequium* haberi in Græco λογικὴν λατρείαν, hoc est, *rationabilē latriam*, quoniam huiusmodi sacrificium in altissimum Dei cultum ipsique soli debitum redundat. Sunt enim ea verba per appositionem intelligenda, vt ipsa corporis castigatio, rationabilis latria appelletur; quod ad præstantiam mortificationis amplificandam maximè pertinet. Hanc ob causam D. Gregorius, homilia vigesima secunda in Ezechielem, comparat altari holocausti mentem eorum, qui cum Apostolo *castigant corpus suum & in seruitutem redigunt*: *Quod est*, inquit, *altare holocausti, nisi mens bene viuentium, qui peccatorum suorum memores,*

Martyres, &c. gua Deo holocausta.

Carnis macerationes sacrificia dicuntur.

Carnis castigatio, rationabilis latria.

Carnis castigantium mens altare holocausti.

mores, lacrymis se lauant, carnem per abstinentiam lacerãt, vbi ex mærore compunctionis ignis ardet, & caro consumitur, &c. Vbi in huius rei confirmationem affert locum Pauli citatum, docēs *hostiam viuentem dici* à Paulo corpus Domino afflictum; *hostiam* quidem, quia iam huic mundo est mortuum; *viuentem* verò, quia cuncta quæ præualet, bona operatur. Sic etiam eundem locum intellexit Origenes lib. 9. in epist. ad Roman. *Qui*, inquit, *membra sua mortificant, hostiam viuentem rationabiliter offerunt, & legem sacrificiorum, quæ in Leuitico est, secundum spiritalem intelligentiam complent; si superbiam vincunt, immolant vitulum: si iracundiam superant, arietem; si libidinem, hircum: si vagos & lubricos cogitationum resecant volatus, columbas & turtures, &c.* Huc pertinet illud Psalm. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritũ & humiliatũ Deus ne despicias.*

Membra sua mortificantes sacrificiorum legem adimplent.

Quidni etiam sanctorum martyrũ *pretiosa mors* sacrificium dicatur, cum vel ipsæ laudes Deo decantatæ *sacrificia* dici, perspicuum sit ex Psal. 68. vbi Regius vates, *Laudabo nomen Dei*, inquit, *cum cantico, & magnificabo eum in laude, & placebit Deo super vitulum nouellum cornua producentem & vngulas:* Quibus verbis laudes Dei comparantur, imo anteferuntur vitulorum sacrificiis. Et Psalm. 48. *Immola Deo sacrificium laudis.* Et iterum, *Sacrificium laudis honorificabit me.* Psalm. 115. *Dirupisti vincula mea tibi sacrificabo hostiam laudis.* Et Oseæ 14. *Conuertimini ad Dominum & dicite ei: omnem aufer iniquitatem, & reddemus vitulos labiorum nostrorum.* In quem locum D. Hieronymus: *Vituli*, inquit, *labiorum laudes Dei sunt & gratiarum actio, &c.*

Dei laudes sacrificia.

Quidni denique vita pro Deo data vocetur victima, cum opera misericordiæ sacrificium appellentur,

Eleemosyna, sacrificium dicitur.

lentur, vt patet Oseæ 6. Matth. 6. *Misericordiam volui & non sacrificium.* Quo testimonio ad id probandũ D. Aug. vtitur in comment. sup. Psal. 49. potestq́; adeò misericordia & potissimũ eleemosyna *sacrificiũ iustitiæ* appellari, cum eleemosyna dicatur iustitia Matth. 6. *Attendite ne iustitiam* (græce eleemosynã) *vestram faciatis coram hominibus*, vt de ea etiam interpretatur Hieronymus. Imò quodcumque opus bonum sacrificium dici, fit ex Psal. 50. perspicuum: *Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ oblationes & holocausta.* Et Psal. 4. *Sacrificate sacrificium iustitiæ*, id est, bona opera Deo offerte.

Omne opus bonum sacrificiũ.

16. *Et tempus resolutionis meæ instat.*

Quod *delibandi* verbo dixerat obscuriùs, hic explicatiùs exponit, nempe sui corporis *resolutionem*, hoc est, mortem corporalem imminere: cum scilicet in ea, ex quibus constat res aliqua desinit, dicatur *resolui*. Sicut ergo corporis & animæ coniunctione hominis vita: ita vtriusq; ab inuicem separatione, mors constat.

Quid sit, resolui.

Rectè porrò propriam suam mortem, *resolutionis* voce exprimit Apostolus, quod per mortem, corporis ergastulo & corruptionis seruitute liberabitur, vt æterna libertate & incorruptibili vita possit perfrui & gaudere. Inde est quod Psal. 141. petebat à Deo Regius vates *educi animam suam de custodia*, nempe mortalis corporis, qua mancipata multis & maximis ærumnis detinebatur obnoxia. Eodem modo cap. 1. ad Philip. cupiebat Apostolus *dissolui*, vt *esse cum Christo* posset. *Mihi*, inquit, *viuere Christus est, & mori lucrum. Quod si viuere in carne hic mihi fru-*

Pauli mors rectè resolutionis voce exprimitur.

Peccatorum mors resolutio dici non potest.

ctus operis est, & quid eligam ignoro. Coarctor enim è duobus, &c. E contra peccatorum mors *resolutio* non dicitur, sed religatio; cum impiorum animæ tartareis vinculis impressius, quam antea religentur, iuxta parabolam Matth. 22. *Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores, &c.*

Duplex hominis resolutio.

Bifariam porrò contingit hominē resolui; vel cū reuertitur puluis in terram suam, vnde erat, & spiritus redit ad Deum, qui dedit illum Eccl. vlt. vel cum iuxta corpus in puluerem desinit, sicut Gen. 3. scriptum est: *Puluis es & in puluerem reuerteris.* Cum enim à Deo factus fuisset *homo inexterminabilis* Sap. 2. Rom. 5. *mors propter peccatum & inuidiam Diaboli* ipsū est ineuitabiliter consecuta, quemadmodum Conc. Trident. Patres, sess. 5. de peccato orig. post S. Aug. tradiderunt, qui lib. 13. de Ciuit. Dei c. 15. ait, inter Christianos, qui veraciter Catholicā fidē tenent, cōstare etiā ipsam corporis mortē non cōtigisse nobis lege naturæ, sed meritò inflictam esse lege peccati, quia peccatū vindicans Deus, dixit primo homini, in quo tunc omnes eramus: *Terra es, & in terram ibis.*

Mors per peccatum in mundum introducta.

Mortis pœna omnes homines tenentur.

Hac mortis pœna, communiter & æqualiter omnes teneri docet vsus & experientia, adeò vt nō sine causa interrogauerit Regius vates: *Quis est homo qui viuet, & non videbit mortē: eruet animā suam de manu inferi.* Et Horatius, lib. 1. Carm. *Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas, Regumque turres.*

Mortis pœna vtilis & salutaris.

Licet v. peccati pœna mors fuerit, non inutilis tamen sed salutaris fuit, ne & malitia & miseria hominis fieret immortalis, & vt metus impēdentis mortis, & à male agendo reuocaret, & solicitaret ad bene agendum: *Saltem hæc mortis plaga* (ait Rupertus, c. 3. Genes.

Genes. explicans) *superbiam cineris domare, & redigendas in lutum ceruices quandoq; flectere habebat. Iam antea quidem miser homo verè mortuus, quia Deo mortuus erat, scilicet morte peccati, quæ animam à Deo separat: Dixit autem Deus, quia in quocumq; die comederis ex ex eo, morte morieris. At ille repenti petulantia carnis delibutus, eius mortis amaritudinem non sentiebat; quemadmodum & nos hodie, cum tam multos quotidie carne morientes videamus, lasciuiente adhuc sanguine iocamur ac ridemus: iamq; gaudiis æternis priuati, & mox temporalibus quoq; priuandi, tamen læti sumus. Quid si nunquam carne morituri essemus? Quomodo animæ mortē & futurū in fine sæculi iudicium surdis auribus præteriremus, qui cras morituri hodieq; superbimus? Quid, inquam, si interim dum viximus, absq; laboribus, & absq; sudore vultus sui omnis homo pane suo vesceretur, cum semper in solicititudine famis & alterāte diuersarum rerum penuria, præterea de imminente morte nobis semper incertis; tamen adhuc semetipsum caro nostra præ superbia nesciat, & libidinibus diffluat, &c.*

17. Bonum certamen certaui.

Cum antea sibi mortem iminere dixisset, idē ex eo confirmat, quod fidei iustitiæq; causa pro virib⁹ desudādo, immarcessibilē gloriæ coronā sibi paulò post adeundā certis indicijs & argumentis didicisset. Vbi obseruandū occurrit, quod sicut humanam *militiæ*, Job; ita *certamini* Christianam vitam in suis passim epistolis D. Paulus cōparet, ad agones ingēti populorum accursu olim celebrari cōsuetos alludēs. Ab his n. agonibus Metaphoras & loquēdi formulas frequenter petit, dū Christianos ad spiritualia certamina quæ cū vitæ huius statu necessariò coniuncta *Vita Christiana certaminis similis.*

sunt

ſunt, viriliter & intrepidè ſuſcipienda & ineunda, cohortatur; interdum quidem generatim nulla vel corporalis vel ſpiritualis certaminis facta mentione; aliquando autem ſpeciatim, cùm definitè ſcilicet, huius vel illius agonis meminit, vt verbi gratia prioris epiſt. cap. 6. *Certa bonum certamen fidei*: quaſi præſtantiſſimum illud ſpiritualis certaminis genus eſſet, quo Chriſtiani pro fide viriliter dimicant atque contendunt, vt cui incomparabile vitæ æternæ præmium ſit repoſitum. Hic porrò non quodcumque certamen ſe dicit Apoſtolus *certaſſe*, ſed *bonum*, hoc eſt, quod ex Chriſtiana profeſſione certandum eſt, quemadmndum eleganter obſeruauit collega meus P. Jacobus Gretſerus, lib. 1. Spirit, Athleth. cap. 1. illud Chryſoſtomi hom. 9. in hanc epiſt. adducens: *Nihil hoc certamine melius; nihil illuſtrius, nullo corona hæc fine concluditur, non ea ex oleaſtri floribus texitur, non habet editorem munerum hominem, neque homines ſpectatores. Ex angelis conſlatum eſt theatrum. In certaminibus ſæculi laborant dies plurimos, & in ærumnis degunt, vnius horæ momento acceptâ coronâ, protinus voluptas omnis emarcuit: hic autem non ſic, ſed ſemper claritas ſemper honos augetur.* Tale certamen *bonum*, cuiuſmodi à ſe certatum affirmat hoc loco Apoſtolus, nominatur in lib. Sapient. cap. 10. *forte*, hoc eſt, difficile & arduum. Loquens enim ſcriptura de Patriarcha Jacob profugo à facie irati fratris ſui Eſau, poſt multa in laudem Patriarchæ recenſita, ſubditur: *Certamen forte dedit illi vt vinceret, & ſciret quoniam omnium potentior eſt ſapientia*, ſeu vt Græcè habetur, *pietas*. Victoriam enim & coronam, etiam ex difficillimo certamine reportat, qui ſeu ſapientiam ſeu pietatem

Bonum certamen certare, quid.

Forte certamen.

tem in certamine adiutricem habet, inquit citatus P. Gretserus, apud quem hac de re plura videri possunt. Quocirca mortem multas ob causas formidabilem sibi minimè metuendam, non quidem arroganter iactitat, sed simpliciter affirmat, vt & gratiã Dei commendet, qua sibi securitatem pollicetur, & ad sui imitationem Timotheum, tum reliquos Ecclesiæ pastores inuitet; vt nempe strenui pro Christianæ religionis negotio pugiles & agiles in via mandatorum Dei cursores, & fidi supra familiam Domini constituti seruitores esse velint, vt sic viriliter pugnando, alacriter currendo, & fideliter famulando, vna secum suo tempore, immortalitatis brauium apprehendant.

Cur omnium terribilissimam mortem non formidet Apostolus.

Duas porrò ob causas pius, afflictus & oppressus Christi athleta sibi tantam securitatem promittit. Primum quia ingens solatium mors ei afferebat, quæ securum reddebat illum ab impiorum & tyrannorum furore atque impetu, iuxta id Sapient. cap. 4: *Viuens inter peccatores translatus est.* Et paulò post: *Propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatis:* in Græco tantum est: *properauit de medio iniquitatum:* Quasi iustus acceleraret, vt ex impiorum cœtu auolaret: quia dum moritur cessant à tumultu & inferendis propter iustitiam iniurijs tyranni, quemadmodum cap. 3. dicit Job, *impios à tumultu in morte cessare,* quia per mortem furendi sæuiendiq; in pauperes & pios homines finis imponitur; Nam quam morté Gen. 3. cõminatus est Deus homini, vt à peccato deterreret; eandem sæpe infert, vt à peccando cesset, ne diutius illius spiritus permaneat cum homine in æternũ. Quo pacto 1. Reg. 2. minatur, *pedes*

Cur Paulus tantam sibi securitatem polliceatur: duplex ratio.

1.

tent, cum *spes hypocritæ*, vt est apud Job cap. 11. *sit peritura: Non enim ei placebit vecordia sua & sicut tela aranearum fiducia eius.* Sic Prouerb. 18. *Spes impiorum peribit.* Et Sapient. 5. *Spes impij tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur, & tanquam spuma gracilis quæ à procella dispergitur.* Et Ecclesiast. *Vana spes & mendacium viro insensato.*

18. Cursum consummaui.

Cursus (quem se consummasse dicit Apostolus) nomine, fœlicem iustorum in operib⁹ bonis ꝓgressum exprimere solet scriptura, vt Psal. 83. dicit Regius vates, *postquam legislator dederit benedictionem, iustos ituros de virtute in virtutem*, vt scilicet gnauiter currẽdo brauiũ comprehendãt. Quo pacto se *viam mandatorum Dei cucurrisse*, Dauid Psal. 118. gloriatur. Et ad hanc solicitè Hebr. c. 4. prouocans Apostolus: *Festinemus*, ait, *ingredi in illam requiem*; quia longinqua est ad cœlestem quietem via, tum propter status distantiam, in quo, vt omnis boni est plenitudo, ita ab omni malo est summa immunitas; tum quia considerãti perfecta est ibi visio, hic vero sunt istis omnia contraria; tum quia tempus est admodum breue iuxta illud. Job 14. *Breues dies hominis sunt*; quod istud tempus cum hoc, quod est modicum, etiam est incertũ: *Nescit enim homo finem suum.* Eccl. 9. tum propter vrgentem interiorem vocationem per stimulum charitatis, sicut Esa. cap. 59. scriptum est; *Cum venerit quasi fluuius violentus, quem spiritus Domini cogit*: tum deniq; ꝓpter tardãtis periculum, quemadmodũ fatuarũ virginum parabola ob oculos expresse ponit, Matt. 25. quæ tardius venientes repulsam sunt passæ.

Cursus nomine quid intelligendum.

Longa ad cœlum via.

Alia vocabuli cursus acceptio

Cursus etiam vocabulo, prædicationem suam intellexit Apostolus, qui solis instar, nunquam in vno loco vel consistebat, vel repebat, vel ibat; sed omnes ciuitates, omnes pagos, omnia loca tam celsa quam infima luce sua collustrans, velocissimè percurrebat. Quid enim aliud Pauli vita fuit, quam solis instar orbem terrarum peragrantis assiduus cursus? Quocirca hom. 9. in hunc locum D. Chrysom. *Cursus sole purior est, quem Paulus currebat in terra, plusquã illustrabat orbem, quàm solis iubar.* In quam sententiam Paulum, Paulique successores per Esaiam eo ipso monebat Dominus, quando eos ita *clamare* præcipiebat, vt non *cessarent*. Sicut enim à cursu sol non cessat, ita nec ab iniuncto sibi prædicationis officio cessare concionator debet. Hoc sensu ipsemet Paulus *consummationem cursus* sui interpretatus est Actor. 23. *esse ministerium verbi, quod acceperat à Domino Iesu testificari Euangelium gratiæ Dei*; quod quia fecit longis per orbem peregrinationibus, merito potuit dicere, se hoc moriturus decurrisse.

Pauli prædicatio solis instar orbem peragrauit.

Alia currendi verbi significationes.

Solet etiam *currendi* verbo scriptura *conuersari* simpliciter & absolutè significare; vt Psal. 58. ait Psalmographus. *Sine iniqtate cucurri & dixeri*; quodcũq; munus obire vel conari, vt; *Non est volentis neq; currẽtis* Rom. 9. progredi & perficere in aliqua re, sine impedimento, vt Psal. 147. *Velociter currit sermo eius.* Quo modo optat Apostolus 2. Thess. 3. *vt sermo Dei currat & multiplicetur.* Et ab hac *currendi* significatione, Joannes *præcursoris* nomẽ accepit; ideò videlicet, quod nunquam, dum strenuè *viam* Christo *præparet*, illi subsistere, nunquam diuertere, *nullum valuit cum*

Joannes præcursoris nomen vnde sumpserit.

sæculo sermonem habere, inquit Rupertus, in c. 1. Ioan. *non domum, non agrum possidere, non affines agnoscere, sed vrgente sermone Domini nudus currere habebat ante faciem Christi.* Tales Christus Apostolos *cursores* esse volebat & Apostolicos prædicatores, sine sacculo, pera, baculo, calceamentis, Matth. 10. Luc. 10. Marc. 6. *neminem salutãtes per viam*, Luc. 10. denique, vt Esaias cap. 18. eos nominat; *Angelos veloces, nubes volantes.* Deniq; nostram vitam esse *cursum*, Christianos *cursores*, multæ Pauli à *cursu* & *cursoribus* deductæ Metaphoræ & similitudines apertè declarant. Sic 1. Corinth. 9. *Nescitis*, inquit, *quod ij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium, &c.* & passim alibi adhortatur Christianos ad sic *currendum*, id est, viuendum, vt vitæ æternæ *brauium*, post huius vitæ cursum possint *comprehendere*.

Apostoli cursores.

Nostra vita, verus cursus.

19. *Fidem seruaui.*

Ne in vacuum Dei gratiam accepisse videretur Apostolus, 2. Corinth. 6. se *fidem* non in vna significatione duntaxat acceptam gloriatur *seruasse*, sed prout multa sacræ literæ illi attribuunt. *Fidei* namque vocabulum multifariam passim vsurpatum reperitur. Aliquando enim significat ipsam doctrinam fidei, & simplicem assensum, siue etiam materiam credẽdorum, quatenus ipsi infidelitati, siue ignorantiæ credendorum opponitur. Huiusmodi sunt hæc: *Fides ex auditu.* Rom. 10. *Vt sani sint in fide.* Tit. 1. *Enutritus verbis fidei*, 1. Timoth. 4. *Infirmum in fide assumite.* Rom. 14. *Vna fides.* Ephes. 4. *Secundum rationem & analogiam fidei*, Roman. 12. *Subuerterunt quorundam fidem.* Et; *Reprobi circa fidem*, hic cap. 3. & alia multa his simi-

Varia fidei significationes.

1. *pro simplici assensu.*

2. *pro gratia fidem præcedente.* lia. Aliquando effertur pro gratia quæ est principium fidei, quatenus legi seu naturæ viribus opponitur. Sic Roman. 12. *Deus diuisit mensuram fidei.* Roman. 4. *Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio.* Rom. 9. *Gentes apprehenderunt iustitiam, quæ est ex fide, &c.*

3. *pro Theolog. virtutũ prima.* Aliquando pro Theologicarum virtutum prima, prout virtus est ab ipsa charitate cæterisque virtutibus distincta: Quo sensu, vera quidẽ est, sed non viua fides, vt ex sequentibus locis apertè patet. *Manent hæc tria; fides, spes, charitas, &c.* 1. Cor. 13. *Fides sine operibus mortua est.* Iacob. 2. *Quæ à me audisti in fide & dilectione, &c.* hic cap. 2. *Noui opera tua, & fidẽ, & charitatẽ, & ministerium, &c.* Apoc. 2.

4. *pro conscientia* Aliquãdo pro conscientia accipitur, quę propter ligamen & vinculum dictantis rationis, fidei assimilatur. Rom. 14. *Qui discernit, si manducauerit dãnatus est, quia non ex fide. Omne aũt quod non est ex fide, peccatũ est.*

5. *pro voto siue promisso.* Subinde etiam promissum siue votũ significat, prout illud est firma quædã promissio & pactio obligans vouentem ad præstandum promissum. Sic Genes. 4 loquitur ad Ioseph Iudas: *In meam hunc recepi fidem, & spopondi dicens, &c.* Act. 17. dicitur Deus *iudicaturus orbem in æquitate, in viro in quo statuit, fidem præbens omnibus, &c.* Vbi per *fidem omnibus præstitam* (sic enim legit Chrysostomi Interpres) certa Dei promissio seu decretum de futura generali omnium resurrectione & iudicio intelligitur. Clarius Rom. 3. *Nunquid incredulitas eorum, fidem Dei* (id est, promissionem Abrahæ factam & pactum initum) *euacuabit?*

Deus fidelis quomodo dicatur. Atque à tali *fide* dicitur Deus *fidelis*, id est, verax, & eius *verba fidelia*, 1. Corinth. 10. 1. Thessal. 5. Apoc 19. 21. 22. Eodem modo, ex communi interpretati sumus illud 1. Timoth. 4. *Viduæ nubere*

bere volentes damnationem habent, quia primam fidem (id est, primam promissionem & pactionem Deo factam) *irritam fecerunt.* Interdum quoque sumitur 6.
pro fiducia & confidentia ipsa alicuius beneficij accipiendi, quatenus diffidentiæ opponitur. Sic Matth 17. Dominus: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, &c.* Marc. 11. *Habete fidem Dei.* Matth. 9. *Fiat vobis secundum fidem vestram.* Matth. 8. *Quid timidi estis modicæ fidei.* Atq; de hoc *fidei* genere non semel monuit eos Christus, apud quos miracula fecit; vt tam sine ea nihil se operari posse, quam per eam & propter eam quiduis operari velle ostenderet. Matth. 13. Marc. 9. Postremo sumitur *fidei* vocabulum, pro 7.
illa viua, per charitatem formata, bonorumque operum frugifera fide, *quæ*, authore Paulo Galat. 5. *per charitatem operatur* & est principium quoddam, fundamentum & radix iustificationis. Atque hæc fides est, quæ tantopere in sacris literis, maximè vero à Paulo commendatur & prædicatur: Super qua disputans Augustinus, libro de spirit. & lit. cap. 32. *Hæc est*, inquit, *fides ex qua iustus viuit: hæc est fides qua credimus in eum qui iustificat impium. Hæc est fides qua impetratur largitas spiritus, &c.* Et Eusebius vt fertur Emissenus, homil. 2. de symb. *Fides religionis Catholicæ lumen est animæ, ostium vitæ, fundamentum salutis æternæ; Qui hac derelicta procedit ad alia, similiter facit ac si sine fundamento ædificet, aut si prætermisso ostio velit intrare per tectum, &c.* Gloriatur itaque hoc loco Apostolus, se fidem ita seruasse, vt *neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neq; futura, neque fortitudo, neq; altitudo, neque profundum, neq; creatura alia* potuerint eum quoquo modo ab illa dimouere. Rom. 8.

pro fiducia.

pro fide charitate efformata.

Fides in Scriptura quanam prædicatur.

Huius loci sensus.

Neque

Neque tamen quiſquam exiſtimet, Paulum per inanem arrogãtiam, rerum ſuarum geſtarum commemoratione, humanam laudem aucupari voluiſſe, cùm nõ ignoraret, Phariſæum illum apud Deum ſeſe laudantem, grauiſſimè offendiſſe Luc. 18. Is enim erat Apoſtolus, quem etiam non fugiebat, propriam laudem, propriumue de ſua innocentia teſtimonium, non ſolum in proprio ore ſordeſcere, ſed etiam, aut mendacij, aut ſuſpectæ veritatis nomine, in iudicio locum non habere, ſed explodi, & exſibilari. In eam ſiquidem ſententiam, Ioan. 8 à Phariſæis Chriſto Domino dictum eſt: *Tu de teipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum.* Quibus, inter alia, reſpondit Veritas: *Si iudico ego, iudicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum, ſed ego & qui me miſit pater.*

Laus propria in proprio ore ſordeſcit.

Laus autem illa, quam homo proprio frequenter ore vſurpat, & alterius fidei teſtimonioque renuit committere, furtiua videtur eſſe, non propria, eò quod non aliter ac furto raptum, non permittatur liberè euagari per aliorũ manus, ne redeat ad ſuum Dominum. Hinc eſt, quod illam filij Dei maieſtatem vel hoc vno nomine explicarit & commendarit Apoſtolus, ſcribens Philippenſibus, cùm eam libenter diſſimulaſſe, & aliorum quaſi teſtimoniis & prædicationi permiſiſſe dicit: *Non enim rapinam arbitratus eſt*, inquit, *eſſe ſe æqualem Deo, &c.* Quare, illud eſt verum virtutis teſtimonium, quod non ore proprio, ſed alieno præſtatur, eò quod frigeat, reprehẽſioneque digna ſit illa laus, quam ſibi quiſque aſſumit, nulla neceſſitate coactus. Quo pacto, nemine incitante vel impellente, ſeipſum proximi contemptor laudauit & commendauit ille, de quo ſupra, Phari-

Laus propria furtiua videtur.

Pharisæus. Cæterùm, his non obstantibus, Plutarchus, Comment. *qua quis ratione seipsum citra inuidiam laudare possit*; *Vsu*, inquit, *venire potest, vt audendum sit viro ciuili aliquid de seipso dicere, non gloriæ vllius aut gratiæ captandæ causa, sed quia occasio & res ita postulent*. Vbi plures absque reprehensionis culpa priuatæ & propriæ sui ipsius laudis rationes assignat, quarum prima est; *Si calumniæ aut accusationis depellendæ gratia id faciat*. Secunda; *si quis in aliquam inciderit calamitatem*. Tertia; *si rem bene gestam defendat*. Quarta; *si suam quis laudem in Deum transferat*; Quinta denique, *si laudem propriam ad vtilitatem auditoris referat*. Quæ omnia, pulchris exemplis sententiisque à citato Plutarcho confirmātur; Quæ si quis parumper perpendere voluerit, in Paulum vniuersa conuenire facile intelliget. Inprimis quidem, *tanquam malè operans* ab plerisque reputabatur Apostolus; deinde, sæuissimi Neronis carcere detinebatur; Multis etiam suas actiones calumniantibus, respondere cogebatur. Præterea, ita se laudat, vt omnem suarum laudum originem Deum agnoscens, eidem cuncta accepta referat. Denique, Timotheum sibi similem cupiens, suarum laudum commemoratione, ad similia peragenda inuitabat. Sicut enim, teste Basilio, epist. 16. pictores exemplar tyronibus suis proponunt, vt illud diligenter respicientes, ad eius lineamenta & colores imaginem exprimant; Ita Paulus, omni virtutum genere Timotheum instructum cupiens, earundem imaginem in seipso exprimit, vt in eius dicta factaque diligenter intuens, certam vitæ suæ conformandæ regulam & amussim haberet Timotheus.

Seipsum commendare, quandoque licitum imo necessarium. Quinque casus seipsum citra culpam laudandi.

1. 2. 3. 4. 5.

Omnes causæ in Paulo.

Propriarum virtutum commemoratione auditores quandoque excitantur.

20. *In reliquo reposita est mihi corona iustitia.*

Enumeratis suis laboribus & ærumnis, quæ, fidei Christianæ causa, Dei gratia comite & adiuuante infracto animo exantlarat; hinc superesse duntaxat dicit, vt eorum præmium tanquam depositum aliquod ex æquitate recipiat. Solent enim ærumnæ & calamitates piis, iustisque hominibus non præcidere, aut extenuare spem; sed excitare, sed accendere, nutrire, confirmare Hinc Paulus, Rom. 8. posteaquam *creaturam*, id est, iustum hominem, *ingemiscentem*, & parturientem, & *subiectum vanitati*, id est, mūdanis pressuris, quæ citò transeunt, asseruit, eundem tādem subiectum in spe melioris cōditionis, & beatitudinis obtinendæ subiungit. Quos propterea vocat Zacharias, cap. 9. *vinctos spei*, quod vincula, squalor carceris, sordes & tenebræ spem eis afferant melioris status, & malis atque ærumnis obligati redemptionem per Christum sibi polliceantur. Sic enim illos alloquitur Propheta: *Conuertimini ad munitionem vincti spei. Hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi.* Vbi per *duplicia* latissima bona duploque maiora q̄ quæ sperare quis audeat, intelligit. Quod ipsum sua illa gradatione declarauit Apostolus, Rom. 5. cum ait: *Gloriamur in tribulationibus, quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem.* Q. d. Cuius est semel cognita probataque sustinentiæ virtus, &c. hunc necesse est in spem certissimam erigi coronæ certantibus propositæ. Quo maior est enim tribulationum ignis, amplior q; patientiæ materia animo subiecta, eo maiorem spei flam-

Tribulationes spem iustis excitant & confirmant.

Iusti, cur vincti spei dicantur.

Quo maior tribulatio, eo maior iustorū spes.

flammam exurgere necesse est. Quod non tacuit Regius vates; qui dum *appropiarent super se nocentes, ederent carnes suas*, & per summam crudelitatem dilacerarent, *dum tribularent se inimici, dum consisterent aduersum se castra, dum exurgeret prælium*, Psal. 26. in eo ipso prælio & conflictu sperabat, & quo magis ardebat, eo maiores in seipso spei igniculos sentiebat. In quam rem facere videtur illud quod Socrates dicere solebat; *neque mulierem sine viro, neque spem bonam absque labore quicquam vtile parere*. Hinc est quod frequens iustorum hæc sit in sacro sermone compellatio, *Qui sperant in Domino*; eo quod tanta sit illorum pietas & religio, vt cruciatibus & ærumnis vexati, suas omnes vitæ actiones atque spes in Deo collocatas habeant. Ad hanc autem spem, quam ex cruciatibus & ærumnis concipiunt homines iusti, omnem beatitudinem, gloriationem, constātiam, gaudium animorum, quæ afflictis & tribulationem patientibus tribui solent, reuocat Apostolus, Rom. 12. *In spe gaudentes, in tribulatione patientes, &c.* Et cap. 5. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei, non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus.* Q. d. Non solum speramus fore, vt beatitudinem aliquando consequamur, sed ita *spem* cum *tribulationibus* coniunctam habemus, vt qui gloriamur in spe, gloriemur in tribulationibus. Rursum, *spem* atq; *tribulationem* ita cum *gloria* quam speramus, coniungimus, vt gloriosi iam nobis ipsis videamur in ipsis tribulationibus constituti, in fletu & lamentis, in prælio & persecutionibus exultare & triumphare. Vnde non solum est *spes gloriæ*, sed, vt Paulus loquitur, Hebr. 3. *gloria spei*, quam vtramque siue *gloriæ spem*, siue *gloriam spei*, in iustis hominibus efficere videntur tribulationes patienter toleratæ.

Sperantes in Domino, iustorū compellatio.

Ad spem ex tribulationibus conceptam omnia reuocantur

Gloria spei, & spes gloriæ.

Quare Paulus, posteaquam multa de tribulationibus disseruisset 2. Corinth. 4. sic tandem concludit: *Ergo mors* (id est mortificatio, & assidua malorũ perpessio, iuxta Anselmum) *in nobis operatur*, id est, non est otiosa, neque inutilis, sed operosa, efficax, fœcunda, aliquid proferens. Neque enim solum passione afficitur, qui tribulationes patitur, sed aliquid prætereà cum tribulatione coniunctum habet, illud videlicet, quod paulò post subdit: *Momentaneum & leue tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Q. d. Nunc hoc ipso tempore quo patimur, gignitur & efficitur, imo crescit augeturq; ingens quidam gloriæ cumulus; tanta est spei efficacitas, tanta cogitationis assiduæ vis & robur. Atque hæc est illa *iustitiæ corona*, quam suis laboribus & operibus bonis progenitam, sibi *in reliquo repositam* dicit hoc loco Apostolus, vitam scilicet æternam, quæ ideo *corona* nõ inusitata phrasi Scripturæ dicitur, quod vndiq; hominem ad similitudinem coronæ circundet, vel circuntegendo eum & à malis omnibus seruando; vel omni ex parte bonis eum replendo & cumulando. In quam sententiam Psal. 5. dicitur: *Scuto circundabit te veritas eius*. Et Psalm. 8. *Gloria & honore coronasti eum Domine*. Q. d. Regius vates, Deum coronando, sua benignitate bonorũ suorum copiâ hominẽ, ipsius nempe animum & corpus replere & cumulare statu bonorum omnium aggregatione perfecto. Quod autem ea *corona iustitiæ* dicatur, Hebraismus est, quasi *coronam iustitiæ* pro iusta corona ideo posuerit, vt bonis ipsius operibus iuxta debiti & iustitiæ rationem merces à Deo promissa esset reddenda, quemadmodum idem Apostolus Rom. 4. dixit: *Ei qui operatur, mer-*

Vita æterna, cur corona dicatur.

Iustis secundũ iustitiæ rationem merces reddenda.

merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Vnde Hebr. 4. *Non est*, inquit, *iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri.* Et Dauid Psal. 17. *Retribuet mihi secundum iustitiam meam.*

Et licet inter Deum & homines perfecta iustitiæ & ęqualitatis ratio reperiri non possit, aliqua tamen esse potest, sicut & inter Patrem & filium. Quemadmodum enim filius obsequens Patris voluntati, & iussis eius obtemperans, tametsi non tantum reddit Patri, quantum accepit ab eo; nihilominus tamẽ ius habet vt alatur & educetur à Patre, atque eius bona hæreditatis iure possideat: Ita etiam homo iustus factus filius Dei per adoptionem (quam gratuito Dei munere accepit) quæ facit opera ex obedientia & charitate Dei, obsequens ipsi atque inseruiens, iure sunt merita apud Deum. Vnde bene argumentatur cap. 8. ad Rom. Apostolus dicens: *Si filij, & hæredes; hæredes quidem Dei cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Hanc rem eleganti similitudine declarauit Pererius, disput. 10. in cap. 6. Rom. Quemadmodum res naturales, licet operentur per virtutes à Deo acceptas, ipsoque Deo ad efficiendas operationes earum rerum concurrẽte; reuera tamen sunt causæ suorum effectuum & operum: Sic etiam homines iusti, licet bona opera facere non possint, nisi per gratiam à Deo gratis acceptam, nec nisi Deo ipso ad operandum eos mouente & iuuante: (quam ob causam Esaias dixit cap. 25. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Et Paulus Philipp. 2. *Ipse est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate.* Et Christus Dominus Joan. 15. *Sine me nihil potestis facere*) Nihilominus

Iustitia inter Deum & homines quomodo esse possit.

Similitudine declaratur.

nus tamen, quia per liberum nostrum arbitrium cooperamur gratiæ Dei; & verè sumus causa operum quæ facimus; & opera nostra verè sunt nostra; & merita sunt apud Deum, quæ Deus remuneratur *corona* illa *omnibus diligentibus aduentum eius præparata.*

Locus Psal. 102 explicatur.

Quod porrò ait Regius vates Psalm. 102. *Qui coronat te in misericordia & miserationibus*, non ita est intelligendum, quasi gratis siue per misericordiam, & non propter merita coronet; sed secundum eam doctrinam, quam tradit Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 23. docens, *misericordiam Dei semper adesse & adhærere viris iustis, siue cum conuertuntur ad Deum, siue cum præliantur, siue cum coronantur.*

Iustorum opera ex misericordia Dei principaliter promanant

Quia enim merita ipsa iustorum ex gratia Dei per misericordiam eius ipsis data principaliter promanant: idcircò *corona iustitiæ*, quæ meritis illorum redditur, nuncupatur *misericordia.* Deus etenim propter suam misericordiam vocauit hominem ad pœnitentiam; & vocatum, vt ritè atque idoneè præpararetur ad recipiendam iustitiam, pluribus auxilijs præuenit & adiuuit; & iam præparato gratiam suam & iustitiam gratuito donauit, & iustificatum ad bene operandum subinde excitauit, & singularibus auxilijs suis ad vincendas perarduas tentationes, & facienda heroica virtutum opera animauit & corroborauit, ac demum perseuerantiæ donum vsque ad finem impertiuit.

Cælestis gloria tum iam gratia, tum iustitia asscribatur.

Et hanc ob causam, citato Psalmo, gloria cœlestis, *gratiæ* siue *misericordiæ*; hic verò *iustitiæ* asscribitur, quia videlicet ea ipsa gratia, per quam gloriam promeremur,

remur, gratis primum infunditur absque vllo nostro merito, sub quod prima gratia non cadit. Hanc rationem fusè persequitur cit. D. August. epist. 105. quæ est ad Sixtum presbyterum: *Cum Deus*, inquit, *coronat merita nostra, nihil aliud coronat quàm munera sua: Nec enim frustra Deo cantatur; Misericordia eius præueniet me*. *Psalm. 58. & misericordia eius subsequetur me*; Psalm. 22. *Vnde & ipsa vita æterna, quæ meritis præcedentibus redditur, tamen quia eadem merita quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur. Audi Apostolum*, Rom. 6. *Stipendium peccati mors; gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro. Non dixit stipendium autem iustitiæ vita æterna, sed gratia Dei vita æterna; Etenim si accepturus es vitam æternam, iustitiæ quidem stipendium est, sed tibi gratia est, cui gratia est & ipsa iustitia, quia de plenitudine eius non omnes accepimus gratiam pro gratia* Joan. 1. *id est, non solum gratiam, qua nunc iustè in laboribus vsque ad finem viuimus, sed etiam gratiam pro hac gratia, vt in requie postea sine fine viuamus.* Hæc Augustinus.

21. *Quam reddet mihi Dominus in die illa, iustus iudex.*

Verbo *reddendi* significat Apostolus (quemadmodum Græci obseruarunt) vitam æternam bonorum operum esse mercedem, quibus eam promerentur homines iusti. Licet enim alibi doceat Augustinus, Deum coronare sua dona, quando coronat humana opera, quasi non ex debito iustitiæ, sed misericordiæ ac liberalitatis dono; rectè tamen *Reddendi Verbo, quid significetur.*

est

est intelligendus. Vnde celebrem, huius loci sententiam, qua Paulus sua opera recenset, exponens idem Augustinus: *Consideremus*, inquit, *merita B. Pauli, quibus ipse dixit coronam redditurum iustum iudicem, & videamus vtrum merita ipsius tanquam ipsius & ex seipso sibi comparata, an dona fuerint Dei: Bonum, inquit certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Primo ista bona opera, si non ea praecessissent cogitationes bonae, nulla prorsus fuissent. De cogitationibus autem bonis scribens Apostolus ait 2. Corinth. 3. Non quod idonei simus cogitare aliquid à nobis, tanquam à nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Deinde singula eius merita inspiciamus, Bonum, inquit, certamen certaui. Sed qua virtute certauit? Vtrum, quae illi à seipso fuit, an quae à Deo? Sed absit, vt tantus Doctor Gentium ignorauerit legem Dei, cuius est illa vox* (Deut. cap. 8.) *Ne dicas: Fortitudo mea & potentia manus mea fecit mihi virtutem magnam hanc; sed memoraberis Domini Dei tui, quia ipse tibi dat fortitudinem & facere virtutem. Cursum inquit consummaui. Sed ille hoc dixit, qui Rom. 9. ait: Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis. Postremo ait: Fidem seruaui. Sed ille hoc dixit, qui* (1. Timoth. 1.) *ait, Misericordiam consecutus sum, vt fidelis essem. Non dixit. Misericordiam consecutus sum quia fidelis eram; sed vt fidelis essem, hinc ostendens etiam ipsam fidem haberi nisi Deo miserante, non posse, & ipsam esse donum Dei, sicut ipse dixit: Gratia estis salui facti per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est, non ex operibus, ne forte quis extollatur. Non quia istis verbis negare aut euacuare voluerit opera bona, cum alibi dixerit,* (Rom. 2.) *Deum vnicuique redditurum secundum opera eius, sed quia bona opera sunt ex fide, non autem ex operibus fides est: at*

Celebris S. August. sententia.

per

per hoc ab illo sunt nobis opera iustitiæ, à quo est ipsa fides, de qua dictum est, Habac. 2. Iustus ex fide viuit. Hom 3. autem non intelligentes quod Apostolus dixit, operibus Arbitramur iustificari hominem per fidem fidem etiamsi legis; putauerunt eum dicere sufficere sentiret vas electio- bona opera non habeat. Quod sto Iesu, neque circumcisio a- nis, qui Galatis dixit: I- putium, sed fides, quæ per dilectio- liquid valet, nequ- Ipsa est fides, quæ fideles Dei separat ab nem operat- mundis spiritibus, nam & ipsi sicut scribit Apostolus Iacobus cap. 2. credunt & contremiscunt: sed non bene operantur: non enim habent istam fidem, ex qua iustus viuit, & quæ per dilectionem operatur, vt reddat ei Deus vitam æternam secundum opera eius. Sed quia & ipsa bona opera nobis à Deo sunt à quo nobis & fides est & dilectio, propterea idem ipse Doctor Gentium etiam ipsam vitam æternam nuncupauit gratiam scribens: Gratia autem Dei vita æterna. Hactenus ex Augustino.

Ex quibus colligitur *coronam*, quam sibi promissam & præparatã alibi gratiã vocat Apostolus, meriti rationem præsupposita Dei ꝓmissione nõ amittere; quia licet reddatur bonis meritis, non tamen redditur eis, vt opera sunt propria hominis ipsius naturali voluntate & potestate facta; sed quia à Dei gratia sunt profecta, quam gratis homini Deus donauit: qua conditione considerata, gratiæ rationẽ quandam habent, sicut cap. 6. eius, quæ est ad Rom. est scriptum. Gratia etenim gratis data homini, est principalis causa bonorum meritorum; quæ quidem merita quandam iustitiam apud Deum habent, quia virorũ bonorũ opera ex iustitia vitâ æternâ compensat, quemadmodum hoc loco apertè testatur

Corona cælestis, licet gratia dicatur, non amittit rationem meriti.

Gratia gratis data, bonorum meritorum causa.

ſtatur Paulus? Quid n. aliud eſt *corona iuſtitiæ*, quàm vita æterna bonis hominũ meriti ex iuſtitia debita? niſi gratiam ſibi hoc vult; *Quam reddet iuſtus iudex*, narũ, pro reddet Deus ſine acceptione vlla perſo- idem Apoſtolus cuiuſq; operum? Vnde Hebr. c. 6. *liuiſcatur operis veſtri &* inquit, *Deus iniuſtus, vt ob-* *ab initio.* Quaſi Deus futurus *tionis, quam ei exhibuiſtis* iniuſtus, ſi iuſtorum hominum opera & labores ex ... itate ſuſceptos non condignè remuneraretur. Vnde ... ctus Dñi diſcipulus 1. Joan. 3. *Nemo vos*, inquit, *ſeducat: qui enim facit iuſtitiam iuſtus eſt, ſicut & ille iuſtus eſt.* Q. d. Sicut nos iuſtitiæ opera faciendo iuſti ſumus: Ita in remunerandis illis iuſtus eſt Deus. Cui conſentiens cap. 2. eius quæ eſt ad Rom. Apoſtolus, *Non eſſe acceptionẽ perſonarum apud Deum* affirmat, *ſed vnicuique illum reddere ſecundum eius opera, alijs quidem vitam æternam, alijs verò iram & indignationem.* Ex quibus fit euidens æternæ vitæ retributionem, & iuſtitiæ quandam habere rationem, hoc eſt, condignè bonorum operum meritis reſpondere; & gratiæ ipſius diuinæ inniti, ſecundum quod ipſa bona merita Dei quodammodo dona & gratia ſunt. Nam quicquid homo agat, vt merendi vim & dignitatem habeat, gratiæ Dei id debet, qua liberum arbitrium ſanctificetur & iuſtificetur, fiatq; potens operandi quæ Deo grata ſunt & accepta ad vitam æternam.

Vita æterna, & iuſtitia, & gratiæ aſcribi poteſt.

Et quamuis Apoſtolus Rom. 8. dicat ſe *exiſtimare quod non ſint condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelatur in nobis*: ſi tamen opera bona iuſtorum ea ratione ſpectentur, vt à Spiritu ſancto

Quomodo iuſti æquale & dignum ſuis operibus præmiũ accipere poſſint.

cto

ſto per gratiam iuſti animam inhabitante, proficiſcuntur, ea profeſto conuenientem habent æquitatis & dignitatis proportionem cum præmio ipſo vitæ æternæ. Gratia etenim, quæ principalis cauſa eſt bonorum operum, & ipſa gloria, quæ eſt finis & merces eius, eiuſdem ſunt ordinis ac dignitatis. Vtraq; enim eſt bonum quoddam ſupernaturale ac diuinum, & participatio quædam diuinitatis, faciẽs hominem *diuinæ conſortem naturæ*; eò quòd gloria ſit gratia conſummata; & gratia in hac vita ſit velut quædam inchoata gloria. Quapropter B. Joañes dixit c. 1. *nos per Christum accipere gratiam pro gratia.* Et Zach. 4. *Quod ipſe æquabit gratiã gratiæ.* Vocat etiã gratiam. D. Joan. 1. epiſt. c. 3. *Semen Dei, manens in homine*, Et Paulus Gal. cap. 6. *Qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.* Quemadmodum enim ſemẽ arboris, aƈtu quidem paruum eſt & imperfeƈtum, & longè minus arbore: attamen poteſtate ac virtute, arbori æquale eſt: habet enim vim producendi vniuerſam arborem: Ita licet in præſenti vita non ſit gratia aƈtu æqualis gloriæ, habet tamen vim quodammodo producendi ipſam gloriam. Simile.

Ex diƈtis fit euidens, per *coronam iuſtitiæ* intelligi prẽmium quod in ſcholis vocant eſſentiale, quod nihil aliud eſt, quã clara Dei viſio & excellens, ac incomparabile de veritate gaudiũ, de quo c. 28. dixiſſe videtur Eſaias: *In illo die erit Dominus exercituum corona gloriæ, & ſertum exultationis reſiduo populi ſui.* Eſt quidem & alia *corona*, quæ dicitur accidentalis, quæ ſingularibus iuſtorum operibus debetur, & vocatur *aureola*, quarum vna virginibus, altera martyribus, tertia Doƈtoribus *Corona iuſtitiæ nominibus præmium eſſentiale intelligendum.*

Triplex aureola. dabitur. Huius autem *coronæ* recipiendæ certitudinem auget circumstantia temporis, cum dicit, *in illa die.* Nam *corona gloriæ in die mortis* redditur animæ *Corona recipienda definita tempora.* sanctificatæ & iustæ: Et hæc quidem in die mortis, q̃ *suæ resolutionis* tempus paulò ante vocauerat Apostolus, de qua illi sermo esse videtur 2. Cor. 5. cum ait: *Si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, ædificationem habemus ex Deo.* Ad *coronam gloriæ,* quæ corpori debetur, quod attinet, iustis reseruatur in diem iudicij, quando *omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* 1. Cor. 15. *Seminatur,* inquit ibidem Apostolus, *in ignobilitate surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spirituale, &c.*

22. *Non solum autem mihi, sed & his qui diligunt aduentum eius.*

Iustæ coronæ siue præmij cœlestis nō se duntaxat, sed & omnes iustos, quibus Christi aduentus in desiderio & expectatione est, participes esse subiungit. Æquum enim est, vt qui laborum, virtutis & passionũ sunt in hac ærumnosa vita socij, de gloria *Quinam dicantur diligere Domini aduentum.* & consolatione gaudeant, simulq́; lętentur. Dicũtur autē *diligere Domini aduentũ* qui nō solũ *diem Domini* exoptantes, adesse eũ cupiunt, sed q. per bona opera, *sobriè* scilicet *piè, & iustè viuendo expectant beatā spem & aduentũ gloriæ magni Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi;* Tit. 2, ne tum confundantur & erubescant si vacui iudicaturo Domino occurrant. Ideò Saluator, Matt. 6. cùm Domini *regnũ* quæri iussisset, adiecit, *iustitiam* eius ante omnia esse sectandam; qua neglecta cœleste regnum nemini patere potest,

quemad-

quemadmodum docet fatuarum virginum parabola, quæ licet sibi illud aperiri studiosè peterent, cum bonorum operum oleum in vasis deficeret, exclusæ sunt: Nec iniuria; Est enim Domini ore pronuntiata sententia, Matth. 7. *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem patris, &c.* Ex quibus liquidò constat, (quicquid secus doceant Sectarij) otiosis & inertibus *coronam iustitiæ*, siue Dei regnum non esse repositum, cùm *regnum cælorũ vim patiatur, & soli violenti illud rapiant.* Matth. 11. & ingressuris in vitam obseruatio mandatorum singulariter sit iniuncta. Matth. 19. Vnde frustra Dei *regnum* sibi quotidie petunt in communi precationis à Domino institutę formula *aduenire*, qui, tanquam adiutores & administri gratiæ Dei, suum studium & operam nõ adhibent in eo tenendo cursu, quo peruenitur ad cælũ; nempe per viam mandatorum Dei, quam se cucurrisse referebat Regius vates corde suo à Deo dilatato. Iis igitur duntaxat *gloriæ corona reposita* est, qui regni gratiæ Dei hac in vita fuere incolæ; quod regnum ex Apostoli sententia, Roman. 14. *iustitia est, pax & gaudium in Spiritu sancto:* Christus enim in nobis per virtutes intimas fidem, spem, charitatem regnat; quibus virtutibus regni quodammodo partes effecti, peculiari quadam ratione Deo subiiciuntur, vt, quemadmodum dixit Apostolus, Galat. 2. *Viuo ego, iam non ego, viuit autem in me Christus*, ita nobis dicere liceat; Regno ego, iam non ego, regnat verò in me Christus. Porrò hoc regnum *iustitia* dicitur, quia Christi Domini iustitia est constitutum; ac de hoc regno sic loquitur Lucæ 17. Dominus: *Regnum Dei intra vos est.* Nam etsi Christus

Regnum cælorum non nisi bonis operibus acquiritur.

Frustra sibi Dei regnum aduenire petunt Sectarij.

Quibus iustitia corona reposita.

Regnum Dei cur iustitia dicatur.

per fidem regnet in omnibus, qui gremio ac sinu SS. matris Ecclesiæ continentur, præcipuo tamen modo regit eos, qui præstanti fide, spe & charitate prædìti, se tanquam pura quædam & viua membra Deo præbuerunt, in quibus gratiæ regnum esse dicitur, quæ se per bona opera exerit & manifestat. Qui igitur huius regni gratiæ non fuerunt indigenæ, impossibile est vt in regno gloriæ *participes omnium tormentium Deum* efficiantur. Nam *gratia*, teste Domino Ioan. 4. *fons est aquæ salientis in vitam æternam*; gloria verò nihil aliud est, nisi gratia quædam perfecta & absoluta. Quamdiu enim in hac cæca peregrinatione *peregrinamur à Domino*, abiecto regni gratiæ adminiculo, quo nitebamur, sæpe labimur & cadimus: Cum autem *corona gloriæ*, quæ perfecta est, nos vndique circumcinxerit, firmi & stabiles perpetuo subsistemus: Omne enim & vitium & incommodum exhaurietur; omnis infirmitas confirmata roborabitur; ipse denique nostra in anima & in corpore regnabit Deus. Quid igitur mirum est, si *recti corde* seu iusti homines *Domini aduentum diligãt*, & non modo diligant, sed etiam vehemẽter & cupidè expectent, vt videlicet immortalitate, quoad corpus donentur. Ideo tam incredibilis iustorum est exultatio in conspectu sui iudicis, cùm vel ex hoc tempore iam respiciunt & *leuant capita*, Matth. 21. vt videndo spe se sustentent: qua olim sustentabatur ipse Iob, qui dicebat, quod *rursum circundatus sua pelle, in carne sua visurus esset Deum suum*. Quem sequentes iusti homines, huius *aduentum diligunt*, vt *vbicumque fuerit corpus, illuc congregentur & aquilæ*; Comparauit enim

Regnũ gratiæ.

Gloria, perfecta gratia.

Iustorum in aduentu iudicis exultatio.

Matth. 24. iudicem cadaueri, iustos verò cum aquilis, sic interpretantibus Irenæo libro quarto, capite vigesimo octauo, Hilario & Chrysostomo: Vbicumque est cadauer, illuc congregabuntur & aquilæ, participantes gloriæ Domini: Non enim minus auidè nec minus alacriter suis votis & desideriis videntur iusti præcurrere in Dei iudicis conspectum, & appetere illius tribunal, quàm solet aquila præcurrere ad locum cadauerum. Nam iusti homines, Christi Domini corpus illud post resurrectionem gloriosum, ad iudicandum rediturum obseruant, & suam ipsorum mortem expectant, vt Christi corporis gloriosissimi conspectu perfrui possint. Expectant etiam vniuersalem resurrectionem, vt non solum animo, sed etiam *in carne sua videant Deum suum*. Hi sunt veræ illæ aquilæ, quarum *conuersatio est in cælis*, quæ ad corpus, vbi illud viderint, velocissime conuolabunt: quæ nunquam oculos ab illo corpore gloriosissimo auertẽt, quemadmodum docuit Hugo Ætherianus vetustus scriptor libro de regressu animarum capite secundo. *Aquilæ*, inquit, *sancti nominantur, eò quòd in excelso obuiam Christo ituri aduolabunt; & quia sicut aquilæ solem intuentur absque reuerberatione, ita iusti à seruitute corruptionis exuti, veræ lucis radios, Christum scilicet intuebuntur venientem in nubibus.*

Iusti, cupidè expectant aduentum iudicii.

Iusti aquilis comparantur.

23. *Festina ad me venire cito.*

Quia soli sibi relictus, mortis suæ tempus instare coniiciebat Apostolus, memor lacrymarum quas à se discedens fuderat Timotheus, discipulum ad se

abs mora proficisci desiderat, vt illi, (quemadmodũ ad Roman. cap. 1. scriptum est) *aliquid gratiæ spiritualis impertiatur, ad confirmandum eum, id est, simul consolari in eo per eam, quæ erat, fidem vtriusque*. Sibi namq; carceri mancipato iamiamq; immolando Timotheum præsentem adesse cupiebat, vt Ecclesiæ rebus illi cõmendatis, per mutuam fidei communicationem, vtrinq; consolationem acciperent, Timotheus à Paulo, & econtra; quia *frater qui iuuatur à fratre, quasi ciuitas firma*. Prouerb. 18. Pauli quidem corpus in vinculis erat; sed amor in Timotheum carceris ergastulo conclusus non erat, de cuius salute, profectu & consolatione tantopere erat solicitus. Hoc enim sanctorum, & bonorum pastorum est proprium, oues, dum laboribus premuntur, curare, quemadmodum docet D. Gregorius, lib. 3. moral. c. 12. his verbis: *Habent hoc iusti proprium, vt in dolore positi tribulationis suæ, curam non deserant vtilitatis alienæ. Et cùm de se aduersa patientes dolent; aliis necessaria docẽtes prouident; & quasi percußi quidam magni medici ægrotant. Ipsi tolerant scissuras vulneris, & aliis proferunt medicamenta sanitatis*. Nec solius Timothei, sed & aliorum discipulorum, imo multarum Ecclesiarum curam ex vinculis singularem gerere solebat Apostolus, quemadmodum ex epistolis ipsius patet, quas Philippensibus, Ephesiis, Philemoni scripsit. Quin & Ephesi captiuus, officij Colossenses in Christianismo, paternè ac solicitè admonebat. Sicut enim fax in carcere conclusa per rimulas iucundum emittit lumen: ita Paulus arctis Romæ catenis circundatus, orbis terræ solicitudinem à se noctes & dies geri, solicitudinis suæ declaratione testatum faciebat. Nullis enim vel angu-

Cur Paulus ad se vocet Timotheum.

Boni pastores, etiam in mediis calamitatibus oues curant.

Paulus etiam in carcere multarum Ecclesiarum curam gerit.

Simile.

angustiis, vel persecutionum procellis concludi aut impediri charitas potest, cum hæc iustorum sors sit & vocatio, multa temporaliter mala perpeti, & de proximi salute plurimum nō sine etiam magno suo incommodo esse anxium. Vnde suos Thessalonicenses 1. epist. cap. 3. monens: *Nemo moueatur*, inquit Apostolus, *in tribulationibus vestris. Ipsi enim scitis, quod in hoc positi*, id est, ad hoc destinati & vocati sumus. Quo pacto Actor. 24. idem ipse cum Barnaba, *confirmantes animas discipulorum, exhortantesque vt permanerent in fide*, addiderunt; *quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*. Diuinæ siquidem in homines dilectionis certū est argumētum, multa aduersa fortiter virtutis & Christianæ veritatis causa, tolerare, quemadmodum Tobiæ viro iusto, graui cæcitate percusso, insinuabat Angelus Raphael c. 12. *Quia acceptus eras Deo necesse erat vt probatio tētaret te*. Et Christus, Luc. 12. *Dico vobis amici mei; nolite timere eos qui occidunt corpus, &c.* vbi *amicos* vocat eos, quos ad sanguinis pro iustitia effusionem inuitat, quia maximum amicitiæ & charitatis argumentum eiusmodi Deo præbent. Quemadmodum enim amicitiæ humanæ officium exigit, non solum vt alter pro altero libenter laboret, & laborando patiatur, sed etiam, vt alter ab altero laboriosa officia exigatat, quæ familiariter laborandi & patiendi materiam alter alteri præbeat: Sic inter Deum & homines contingit, quorum est arctissima & omnem humanam exsuperans dilectio. Nec inter amicos tantum, sed & inter superiores & subditos eundem amorem cernimus; quorum vt hi pro magistratu quem reuerentur, nihil arduum fere recusant; quin dilectionis ar-

Tribulationes, diuinæ dilectionis argumentū.

Simile.

gumentum interpretantur, si quid eis arduum imperetur, ita illi nihil intermittunt, vt subditis, quos amant, prosint. Vnde in eo libro, quem de prouidentia Dei scripsit Seneca: *Nihil eo infelius esse* ait, *cui nihil euenit aduersi. Argumentum enim est, à Deo illum contemni vt imbellem & ignauum. Ignominiam iudicat gladiator eum imbelle componi. Scit enim sine gloria vinci, qui sine periculo vincitur. Idem facit Dei prouidentia. Fortissimum quemque aggreditur, aduersus quem suam vim intendat. Ignem experiebatur in Mutio; paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormenta in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone.* Hæc ille Ethnicus. Verum in his omnibus totus finis, totaque merces erat vana gloriola, iuxta illud Poëtæ: *Vicit amor patriæ laudisque immensa cupido:* At multo felicius & fortius in seruis suis experitur Deus suorum fortitudinem, fidem, dilectionem, &c.

Christiana Senecæ sententia.

24. *Demas me reliquit diligens hoc seculum, & abiit Thessalonicam.*

Videtur his verbis causam reddere Apostolus, cur ita festinanter ad se velit Timotheum properare; nempe quod à discipulo tempore necessitatis desertus esset, cuius opera in priuatis & publicis rebus sibi vsui esse poterat. Hic Demas, Apostoli videtur *amicus fuisse secundum tempus suum, qui non permansit in die tribulationum.* Eccles. 6. *Eiusmodi amicum si possides,* inquit idem Sapiens, *in tentatione posside eum, & ne facile credas ei teipsum: Est enim amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis.* Huius generis amicos & fami-

Demas, secundum tempus amicus.

familiares *quasi alienos à se recessisse conqueritur* Iob, capite decimo nono, qui paulò ante peculiari scientia, priuato experimento, necessitudine sibi amicissimi fuerant; vtpote quos non minus mutua secretorum communicatio cōtinere debuerat in officio, quam stabilem ac firmam retinere amicitiam. Quod ipsum sibi à Dema præstitum *relinquendi* verbo hoc loco, declarat Apostolus, quod impudentem infidumque recessum & separationem à re iniucunda & ingrata videtur continere; in qua significatione, Ezech. 14. *Recesserunt à me, dicit Dominus in cunctis idolis suis.* Q. d. illectos prauo amore & concupiscentia idolorum abalienatos à se fuisse Iudæos, diligendo & recedendo longius, quod minimè gratus illis existeret, atque ipsius leges alienæ illis & peregrinæ viderentur. Iure igitur potuit Paulus dicere illud Psal. 30. *Homo vnanimis, dux meus, & notus* (perspectus mihi propter secretorum animi communicationem.) *meus, qui simul dulces capiebat* (secretorum & consiliorum arcanorum) *cibos.* Et illud; *Factus sum timor* (timendi materia, si mihi adsint, & ita præ timore fugiunt) *notis* (amicissimis & eorundem arcanorum participibus) *meis. Factus sum tanquam vas perditum*, cum scilicet nō sim illis vsui, negligor ab amico, qui quondam meam familiaritatem atque consuetudinem vtilitate metiebatur, qui olim me habebat opportunum & vtile vas in sua suppellectile, comparatum ad omnes vitæ oportunitates. Sed iam confractus & perditus miser ego à familiaritate, ab vsu & conuictu quotidiano reiicior, neq; dignus æstimor, nisi carcere & vinculis.

Relinquendi verbum, quid importet.

Quarela neglecta amicitia.

Causam autem huius à se, imo ab ipso Deo discessus, dicit Apostolus fuisse immoderatum & planè cæcum huius mundi amorem. Necesse est enim, vt Deum deserat, qui mundi huius delicias diligit; eò quòd contrarij sint hi duo, Dei & mundi amores, nec in vno pectore cohabitare vllo modo possint. Vnde Augustinus: Duo sunt amores, Dei & mundi: si amor mundi inhabitet, non est quo amor Dei intret, cum iuxta D. Iacobum cap. 4 *amicitia huius mundi Deo sit inimica.* Et lib. 11. de Genes. ad lit. cap. 15. de duplici hoc amore sic disserit idem Augustinus: *Hi duo amores, quorum alter sanctus est, alter immundus; alter socialis, alter priuatus; alter communi vtilitati consulens propter supernam societatem, alter etiam rem communem in potestatem propriam redigens propter arrogantem dominationem; alter subditus alter æmulus Deo; alter tranquillus, alter turbulentus; alter pacificus, alter seditiosus; alter veritatem laudibus errantium præferens, alter quoquo modo laudis auidus; alter amicabilis alter inuidus; alter hoc volens proximo quod sibi, alter subiicere proximum sibi; alter propter proximi vtilitatem regens proximũ, alter propter suam; præcesserunt in angelis, alter in bonis, alter in malis; & distinxerunt conditas in genere humano ciuitates duas, sub admirabili & ineffabili prouidentia Dei, cuncta quæ sunt administrantis, & ordinantis alteram iustorum, alteram impiorum.* Hæc ille.

Deum deserit, qui mundum diligit.

Dei & mundi amores, contrarij.

Ex quibus fit euidens, Christi sequelam Apostolicæ disciplinæ imitationem, vitæque Christianæ consuetudinem, *sæculi*, id est, mundi siue malitiæ & incredulitatis humanæ importuno amore vehementer impediri. Excæcat enim creaturarum amor hominem, vt, relicto *sole iustitiæ*, Deo, *qui vocauit nos in*

Amoris huius sæculi impedimenta.

admi-

admirabile lumen suum, seruiamus potius creaturæ quam creatori, ambulantes in vanitate sensus nostri & tenebris obscuratum intellectum habentes propter cæcitatem cordis, quæ in nobis est. Ephes. 4. Vnde leui quadam huius sæculi voluptate affectus Demas, requiem & quietem huius vitæ amans, altiora non respexit, sicut qui longa peregrinatione instituta, hospitium fortè commodum nactus, ibi se oblectat & immoratur, reliquam profectionem negligens, cum tamen *omnia huius mundi gaudia miserorum sint solatia, non gaudia beatorum*, vt author est August. lib. 19. de ciuit. cap. 27. Hinc de rege Assyriorum superbo dicit Propheta Ezechiel, cap. 31. *Aquæ nutrierunt illum, & abyssus exaltauit illum:* per aquas & abyssum diuitias & potentiam intelligens: Hæc enim duo illum extulerunt, & ex sublimitate in imam profunditatem præcipitarunt; quæ duo intellectum tenebris circumfundere, & errorum ac vitiorum caligine operire solent. Ideo Propheta *aquas* propter confusionem & abyssum ꝓpter *tenebras* iuxta illud Gen. 1. *Abyssus erat super faciem terræ*, illa duo terrena bona vocat.

Sæcularium rerum amor à Deo amicere hominem auertit

Huius sæculi sequaciũ voces sunt Sap. 2. cap. *Venite, fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanq̃ in iuuentute celeriter, vino pretioso & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant. Nullũ pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Vbiq; relinquamus signa lætitiæ, quoniã hæc est pars nostra, & hæc est sors. Sed cap. 22.* respondens ijs Esaias: *Vocabit Dominus Deus exercituum*, inquit, *in die illa ad fletum, & ad planctum, & ad caluitium, & ad cingulum sacci & ecce gaudium* (vestrum) *& lætitia occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes & bibere vinum.* Quasi diceret, erga mundum esse affe-

Huius sæculi sequacium voces.

Omnis terrenarum rerum affectus exuendus.

ctum omnem exuendum & ei abdicandum ante omnia, naturæ ductum, qui Christi & Apostolorũ institutis vtiliter & firmiter velit insistere. Sicut enim luna, quo plus luminis habet versus terram, eo minus habet versus cœlum: ita anima humana à terrenis voluptatibus & honoribus & solatijs remotissima esse debet, vt Deo suo plenè fruatur. Quanto n. magis terrenis afficitur; tanto minus capit cœlestia, tanto est à sole iustitiæ longinquior. Vox sponsæ est Cant. 1. *Decolorauit me sol*, id est, Dei spiritus intus ardens, fecit me ijs quæ foris sunt, contemptibilem esse; fecit me ea quæ foris sunt contemnere, &, vt Apostolus loquitur Philip. 3. *omnia pro stercore & detrimento habere, vt Christum lucrifaciam.* Pulchrè D. Bernardus in declamat. de bonis deserendis: *Lux interior exterioris impatiens est. Ignis est, inania folia non admittit. Aut exuri folia vanitatis, aut certè, si illa præualuerint, extingui ignem necesse est.* Quemadmodum naturalis corporis calor tanto vehementior est, quanto exterius frigemus magis: & contrà tanto debilior, quantò circumfusus aër calidior: Ita & in rerum carnalium & spiritualium amore cõtingit. Quanto enim ad ea quæ foris sunt, mundi huius & carnis oblectamenta, animus se per amoré plus diffundit; tanto minus intus feruet, eaq; quæ ad interiorem hominem spectant, tantò minus appetit & parum appetendo incapax fit. *Quantum* enim *vas fidei homo attulerit ad fontem, tantum implet*, inquit August. tract. 32. in Joan. Quod si alio liquore animus præoccupatus impletur, infundendæ Dei gratiæ nullus relinquitur locus. Totum enim homi-

Simile.

Terrenis rebus addictus incapax cœlestium.

Simile.

Qui plus terrena, eo minus Deus amatur.

hominem, totum cor, totum animum Deus inhabitare & possidere vult, non medium; cum meretricis vox sit hæc 3. Regum tertio. *Nec mihi, nec tibi, sed diuidatur.* Vnde sapienter Christi sequaces monet dilectus Christi discipulus, 1. Joannis 1. *ne mundum velint diligere, neque ea quæ in mundo sunt, quia si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo: Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex patre.* Quibus verbis, huius mundi amor, ex sententia sancti Thomæ, non ad vtendum, sed ad fruendum ab Apostolo prohibetur. Ad necessitatem enim vti mundo licet, tametsi ad superfluitatem eoque affectu non liceat eundem prosequi, vt cum diligitur conditus mundus, conditor deseratur & contemnatur. Vnde monebat Paulus 1. Corinthiorum 7. *vt qui vxores habent sint quasi non habentes; Et qui vtuntur hoc mundo, sint tanquam non vtantur; præterit enim figura huius mundi.* Vsus quidem vxoris, liberorum, possessionum, &c. non negatur, sed eorum omnium inordinatus amor, id est, non nisi in ordine ad Deum. Huius porrò sæculi vanitatem, cui se totos plerique repudiatis bonis cœlestibus, cum Demâ addicunt, egregiè his verbis descripsit Cypr. epist ad Donatum: *Arridet mundus vt sæuiat, blanditur vt fallat, illicit vt occidat, extollit vt deprimat. Fauore quodam nocendi, quā fuerit amplior summa dignitatis & honorum, tam maior exigitur & vsura pœnarum. Vna igitur placida & fida tranquillitas, vna solida & firma & ꝑpetua securitas, &c.* Hinc est, ꝙ hic mūdus eiusq;

Deus totum hominem inhabitare cupit.

Mundo frui, non vti illicitum.

eiusque tota vanitas atque cupiditas *mare magnum atque spatiosum manibus*, in scriptura vocetur Psalm. 103. eò quòd sicut mare mille periculis est expositum, vt *pericula sua narrent, qui per mare nauigant*. Eccl. 43. ita periculosius nihil sit mundo, cui *conformari*, id est, cuius cursum tenere, prohibet Apostolus, Rom. 12. Vnde Augustinus, serm. 13. de verbis Domini: *Vnicuique sua cupiditas tempestas est. Amas Deum? ambulas super mare. Amas saeculum? Absorbebit te. Amatores suos vocare nouit, portare non nouit.* Cuius rei exemplum esse potest huius loci Demas, qui hoc *saeculum diligens* tantis tempestatum procellis est jactatus, vt teste Dorotheo, in Synopsi, factus fuerit ex D. Pauli discipulo Thessalonicae simulacrorum sacerdos. Quare hunc Demam ex ijs fuisse insinuat Apostolus, qui cum *ad aratrum misisset manum, retro respexerit*: Nam cū Christi & Apostolorum eius discipulatui antea animum adiecisset, ad mundana negotia defecit, cum tamen Ecclesiasticum aratorem qui spiritualem stiuam tenet, non quae retro sunt respicere, sed ea, quae ante sunt intueri oporteat.

Mundus, cur mare spatiosum dicatur.

Mundi mare amatores suos vocare nouit non portare.

Demas ex Pauli discipulo simulachrorum sacerdos factus.

Addit porrò eundem Demam, abijsse Thessalonicam, vt scilicet, ibi fortasse tutiori loco & à persecutionibus immunis posset habitare; sicut olim Jonas fugiebat in Tharsis, vt à Domini conspectu sibi fuga consulere posset. Est autem Thessalonica Macedoniae metropolis, Halia prius vocata, sed ob Thessalos ibi deuictos ab Amyntae filio Philippo, & à nutrice Nice, cui sobolem ibidem susceptam ex Jasonis nepte nutriendam dederat; aut etiam à matre dictae prolis Nicasipoli, nouum id nomen obtinuit;

Cur Demas Thessal. abierit.

Thessalonicae descriptio.

nuit; de qua ciuitate plura Plinius l.4. c.10. & Volaterranus lib. 8. Geoph. qui testatur *integrum de hac vrbe scriptum librum ab insigni scriptore Lucio Tarræo.* Ad huius ciuitatis incolas, geminas Paulus dedit epistolas, quarum prior à Chrysost. Theodor. & alijs proœm. in epist. Pauli creditur omnium Paulinarum epistolarum prima, in quibus eos commendat, eisdemque Aristarchum constituit Episcopum. Hodie Salonica dicitur, eoque fere confluunt Judæi, & qui ad Iudaismum de Christianismo deficiunt.

Card. Baronius an. Christi 59. sic ad tempus à Paulo discessisse Demam dicit, vt tamen Christianã fidem, & ipsum Apostolum non sit penitus auersatus. Nam *Romam iterum rediisse eundem, ac Paulo adhuc in vinculis agenti, vnà cum alijs ministrasse idem Paulus* (inquit) *ad Philemonem scribens testatur, cum ait: Salutat te Epaphras concaptiuus meus in Christo Iesu, Marcus, Aristarchus, & Demas, & Lucas adiutores mei.* Quamobrem (subijcit idem Baronius) *planè arguitur Dorotheus aliter somnians, cum Demam olim Pauli discipulum, cum ab eo recessisset, tradit factum esse Thessalonicæ simulacrorum sacerdotem, &c.* Sed loquitur Baronius in illa sua singulari opinione, qua, contra communem SS. Patrum sententiam, putat epistolam ad Philemonem hac nostra 2. ad Timotheum, multo posteriorem esse; cum tamen constet illam ad Philemonem in primis, hanc ad Timotheum in secundis vinculis constitutum mortiq; proximum dedisse Apostolum, vt tradunt Eusebius lib. 2. hist. Eccl. Chrysost. in proœm. epist. Paul. Hieronymus de script. Eccl. in Paulo, Theodoretus

Card. Baronij sententia.

Baronij sententia reijcitur.

Haec 2. ad Timoth. epist. omnium postrema.

tus in praef. in epist. Pauli, Ambrosius hic, & *vt verbo dicam, omnium qui vel de ordine Epistolarum Pauli disseruerunt, vel epistolam hanc ad Timotheum scriptis commentariis explanarunt*, vt inquit Pererius in proleg. epist ad Rom. num. 55. Cui sententiae apertissimis verbis suffragatus est vel ipse Paulus, cum supra dixit: *Ego iam delibor & tempus resolutionis meae instat*, vt vidimus.

25. *Crescens in Galatiam: Titus in Dalmatiam.*

Paulus moriturus discipulos ad praedicandum mittit

Sicut regressurus in coelum Dominus, in vniuersum orbem mittebat Apostolos, non solum pacis & reconciliationis inter Deum & homines factae praedicatores, sed rectores & gubernatores in spiritualibus, ijsq; omnibus quae ad salutē pertinent: Eodem modo suis discipulis tanquam pastoribus & Doctoribus, certas prouincias & definitas mundi regiones Christianis mysterijs imbuendas, iam iam moriturū Paulum designasse, huius loci consideratio facit testatum. Authoritate enim ipsius Pauli, vt Theodor. & D. Thom. D. vero Petri vt Innocent. ep. ad Jan. & Rupertus de offic. c. 27. factum esse intelligendū est, quod Crescens in Galatiam, Titus verò in Dalmatiam abijsse praedicationis gratia dicuntur. Neque enim probanda est illa Catharini sententia, qui hunc Pauli locum allegoricè interpretans, Crescentem sponte à S. Paulo discessisse significat, sicuti Demas discesserat. Aduersatur enim hoc omnium Interpretum sententiae, qui non suapte sponte, sed vel Petri, vel Pauli iussu hoc aggressum iter fatentur

Crescens vel Petri, vel Pauli authoritate in Galatiam profectus.

tur, vt Chrysostomus Theodoretus & alij. Neque enim aliter abijt *Cresens in Galatiam*, quam *Titus in Dalmatiam* ijsse dicitur; quem tamen ab Apostolo profugisse, bonaq; ipsius venia profectum non esse, nullus vnquam dixerit. Neque verò Apostolus hisce duobus turpe illud appinxit elogium, quod Demæ appinxerat, *sæculi* nimirum huius amorem, quo captus Thessalonicam abierat Demas. Vnde: *Hi*, (Crescens & Titus) ait Theodoretus, *liberi sunt ab illa* (Demæ) *reprehensione*; *Ab eo* (Paulo) *enim missi fuerant gratia prædicationis.* Postquam enim suos discipulos bene & gnauiter fidei Christianæ veritatem & doctrinam docuissent Apostoli, eosdem huius veritatis & disciplinæ annuntiatores hinc inde amamdabant Ecclesiæ Dei futuros rectores, vt non sibi solis, sed toti mundo saperent & crederent, seque alijs perfectos salutis ministros exhiberent, prædicaturi nempe, gubernaturi & directuri mundum in viam salutis & veritatis. Ad hoc autem præstandum non aliter discipulis suis imperabant Apostoli, ac ventis & flammarum igni, quibus tanquam nuntijs & ministris vtitur Deus in iussis suis & imperatis exequendis iuxta Dauidem Psalm. 103. *Facis angelos tuos spiritus, & ministros tuos flammam ignis.* Cui consentiens cap. 38. Job; *Nunquid mittes fulgura & ibunt? & reuertentia dicent tibi, assumus.* Vbi verbo *mittere*, superioris principis est aliquid demandantis nuntio perferendum aut exequendum: verbo porrò *assumus*, obsequij significatur promptitudo, non solum præstandi, sed præstiti; &

r. Catharini sententia improbatur.

Apostolo discipulos ad prædicandum amandare soliti.

Apostoli suis non aliter ac ventis imperabant.

legationis non ſolum obeundæ, ſed iam obitæ; Apoſtolorũ namq; diſcipuli aliquo ire à ſuis ſuperiorib' iuſſi, eodem modo dixerant: Ecce iam abſque vlla mora imperata confecimus; quid reliqui nobis eſt perficiendum?

Creſcens in Galatiam miſſus.

Ad Creſcentem quod attinet, prædicationis gratia miſſum in *Galatiam* dicit hoc loco Apoſtolus: *Galatiæ* nomine generatim regionem, in quam ille abijſſet, indicare Timotheo cupiens. Contendit autem Epiphanius, in Panar. hær. 51. dum agit de huius loci textu, pro *Galatia*, Galliam eſſe legendum, cùm ait: *In epiſtolis ſuis idem Apoſtolus dicit; Creſcens in Galliam. Non enim in Galatiam, vt quidam decepti putant, ſed in Galliam legendum eſt.* Hæc ille. Sed retenta vulgata *Galatiæ* lectione, dicendum eſt per *Galatiam* hoc loco intelligendam eſſe Galliam, in qua Creſcentem prædicaſſe Euangelium teſtantur poſt Euſebium lib. 3. cap. 4. Nicephorum libro 3. cap. 1. & Hieronym. in Catal. omnes ſacri Hiſtorici. Gallos enim olim dictos Galatas affirmat Ammianus Marcellinus, lib. 15. cum agit de Gallorum origine: Ita (Galatas ſcilicet) inquit *Gallos ſermo Græcus appellat.* Cui conſentiens Theodoretus: *Galatiam, inquit, Gallias appellauit Apoſtolus. Ita enim appellabantur antiquitus: ita etiam nunc eas nominant, qui ſunt externæ doctrinæ participes.* Cuiuſmodi ſunt Varro apud Sextum Ruffum, c. de Orient. regn. Pauſanias in Phocaicis, Seneca lib. ad Albinam c. 6. Joſeph' l. 17. Antiq. c. 15. Galatiã Gallorũ Coloniã fuiſſe pluribus docet Juſtinus lib. 23. & 24. hiſt. & Hieron. in proœm. epiſt. ad Galat. ita vt Galli & Galatæ

Pro Galatia Galliam ponit Epiph.

Galli olim dicti Galatæ.

Galatiam Gallorum coloniã facit Iuſtinus.

latæ sicut nomine, sic re fuerint coniuncti. Nec potest intelligi hoc loco nomine *Galatiæ*, illa Asiæ minoris prouincia, habens ab Oriente Cappadociam, Bythiniam ab Occidente, à meridie Pamphyliam, mare Euxinum à Septentrione, quam cum Phrygia transeuntes Paulus & eius socij, vetiti sunt à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia. Omnes siquidem historici fatentur non in Asiam, sed in Galliam missum Crescentem; quem etiam ad certas Galliæ vrbes venisse, vt Viennam Ado, Beda, &c. Coloniam Rupertus lib. 1. de offic. cap. 27. Moguntiam iidem Ado, Beda, &c. testantur; ex quibus etiam duas, Viennensem & Moguntinam sedes erexisse passim traditur. Nec mirum cuiquam videri debet, quod cum in Galatiam siue Galliam abierit Crescens, Moguntiam Germaniæ vrbem (vt veteres ponunt) venisse dicatur. Præterquam enim quod Moguntia inter Galliæ ciuitates ab antiquis numeretur, Galatiæ etiam nomine, non Gallia tantum, sed Germania etiam apud veteres non raro comprehenditur. Nam Plutarchus in Crasso, quos Galatas vocarat, eosdem in Spartaci exercitu, paulo post vocat Germanos. Et hoc forsan voluit Matyrologium Rom. cum 27. Iunij videtur Galatiam à Gallia distinguere: Sic enim dicitur, *Crescens B. Pauli Apostoli discipulus, qui in Gallias transitũ faciens, verbo prædicationis multos ad fidem Christi conuertit: rediens verò ad Gentem, cui specialiter datus erat Episcopus, cum Galatas ipsos vsque ad finem vitæ suæ in opere Domini confirmasset, demum sub Traiano martyrium consummauit.* Per *Galatiam* enim intelligi potest Moguntina illa Germaniæ, Galliæque regio, ad quã

Descriptio Galatiæ Asiæ minoris.

Crescens in Galliam missus Coloniam & Moguntiam venit.

Obiectionis solutio.

Galatiæ nomine præter Galliam Germania etiam comprehenditur.

Martyr. Rom. explicatur.

post conuersos Gallos rediisse, ibique ad finem vsq; vitæ suæ permansisse traditur.

Titus hic non Pauli hospes sed discipulus.

Titus, qui in Dalmatiam hoc loco abiisse dicitur, diuersus est ab eo Tito Iusto *Deum colente*, in cuius domum migrans de Corinthi synagoga intrauit Paulus, Actor. 18. Hic enim de quo hoc loco, non Pauli hospes, sed discipulus fuit, cum quo sicut & cū Barnaba post annos quatuordecim Ierosolymam ascendit ad conferendum Euangelium & colloquendum Apostolis, vt ipse Galatis cap. 2. testatur cum ait: *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito, &c.* Et paulò post: *Sed neque Titus qui mecum erat, cum esset Gentilis, compulsus est circuncidi; sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem, &c.* Ex quibus colligunt quidam non solum Timotheum post Euangelium à Paulo fuisse circumcisum, sed etiam Titum, non quidem compulsum, vt dicitur; sed ob subintroductos falsos fratres & scandalum vitandum; vt etiam tradit Isidorus, libro de vita & obitu sanct. cap. 88. quamuis probabilior semper fuerit sancti Augustini epist. 19. ad Hieronym. & aliorum Patrum sententia, qui Titum præputiatum permāsisse, nec ob introductos illos falsos fratres fuisse circuncisum, affirmant. Hunc Titum sibi charissimum discipulum per Ægæum mare Cycladas adnauigans, Cretamque nobilem insulam perueniens Paulus, ad Crentensem curandam Ecclesiam à se relictum, ipse in ea quam ad eum è Græcia dedit epistola cap. 1. testatur: *Huius rei gratia*, inquit, *reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt, corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut*

Titum à Paulo circuncisum quorundam sententia.

Titus à Paulo ordinatus Cretensium Episcopus.

eut & ego disposui tibi. Vnde & ab eodem Paulo ordinatum esse eiusdem Ecclesiæ Cretensis Episcopum, in confesso esse apud omnes, testatur Baronius, Anno Christi quinquagesimo octauo, licet alij senserint, non Cretæ solum, sed & aliorum eiusdem pelagi adiacentium illi esse curam ab Apostolo demandatam: imo & huius loci testimonio compertum habetur, & in Dalmatiam Euangelij causa profectum esse. Hunc etiam Titum Interpretis munere functum apud Apostolum Paulum, tradit Hieronymus, ad Hebidiam epistola centesima quinquagesima, quæstione decima quinta. Cuius officio adeo opus habuit Paulus, vt eiusdem absentiam, non modicum detrimẽtum suæ prædicationi attulisse, idem ipse secundo Corinthiis scribens, capite secundo testetur, cum ait: *Cum venissem Troadem propter Euangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino: non habui requiem spiritui meo, eo quod non inuenerim Titum fratrem meum, sed vale faciens profectus sum in Macedoniam.* Quod non aliam ob causam accidisse putauit Hieronymus, nisi quod eo vteretur interprete, in cuius aduẽtu se magnopere gauisum fuisse, testatur eiusdem epistolæ, capite septimo cum ait: *Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in aduentu Titi. Quæ autem,* inquit citatus Hieronymus, *fuit tanta consolatio, & quæ requies spiritui in præsentia Titi: quem quia non inuenit, valefaciens eis profectus est in Macedoniam? Aliquoties diximus, Apostolum Paulum virũ fuisse doctissimũ & eruditũ ad pedes Gamalielis; cumq; haberet scientiam SS. Scripturarũ, & sermonis, diuersarũq; linguarũ gratiam possideret; vnde ipse gloriatur in Domino, & dicit 1. Cor. 13.*

Titum necessarium Pauli interpret.

Locus 2. Cor. 2. explicatus.

Gra-

Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum linguis loquor: diuinorum sensuum maiestatem digno non poterat Græci eloquij explicare sermone. Habebat ergo Titũ interpretem, sicut & B. Petrus Marcum, cuius Euangelium ipso narrante & illo scribente, compositũ est. Hæc Hieron. qui & Marcum Petri interpretem fuisse ait, astipulãtibus etiam Papia apud Eusebium histor. lib. 3. cap. vlt. & Irenæo lib. 3. cap. 1. Cuius interpretis ministerium adeo visum est Petro necessarium, vt Alexandriam amandato Marco, alium fuisse nactũ interpretem, Glauciam videlicet, author sit Clemens Alexand. lib. 7. Strom. Nec hoc interpretis munus ideo Apostolis superuacaneum fuisse existimandum est, quod docente Spiritu sancto, linguas omnium didicerant Gentium, & Paulus non tantùm Hebraicis literis, sed etiam Græcis fuerit excultus, cum Græcos authores occasione data, ab ipso citatos videamus. Duplici enim de causa Paulo, sicut & cæteris, inseruiebant Interpretes, vt notauit Baronius Anno Christi 45. Vel cum alicui genti loquentes Apostoli, puta Romanis aut Græcis, in auditorio erant alij, qui Latinum vel Græcum sermonem quem illis loquebãtur, penitus ignorabant; tunc enim interpretis officium desiderari videbatur: quæ ratio est Theod. in epist. 1. ad Corinth. cap. 14. Vel cum captu difficilia iisdem Apostoli loquebãtur, interpretis erat eadem explanare. Sublimem enim fuisse Apostolicum sermonem, vel ex hoc aliquo modo metiri licet, quod scribentibus illis epistolas, licet ad hoc scriberent, vt quæ literis mandarent, ab omnibus intelligerentur & opere perficerentur, multa tamen in eis sunt ita obscura, vt non vno aut alio; sed pluribus interpretibus

Marcus D. Petri interpres.

Duo Apostolicorum interpretiũ munera.

1.

2.

Sublimis Apostolorum prædicatio.

bus ad ea explananda opus fuisse nulli dubium esse possit.

Dalmatia, ad quam profectus dicitur hoc loco Titus, regio est Illyrici, contermina Liburniæ, versus occasum, à qua Dalmatæ populi, quos ab Augusto Cæsare domitos scribit Appianus. In ea regione sita est Iadera ciuitas insignis.

Dalmatia descriptio.

26. *Lucas est mecum solus.*

Qui se charissimum Pauli discipulum, & indefessum peregrinationis comitem 2. Corinth. 8. & indiuiduum prædicationis socium semper præstiterat, vt de eo Hieronymus; hic se eiusdem verum in tribulationibus amicum ostendit. Veræ siquidem amicitiæ est, in periculis etiam maximis amicum non deserere, eo quod vera amicitia, sit quædam fraternitas & animorum æqualitas & coniunctio, iuxta illud Prouerb. 17. *Omni tempore diligit qui amicus, & frater in angustiis comprobatur.* Hoc tanti fecit Christus Dominus, vt eam ob causam, videatur regnum cælorum suis discipulis promisisse, Luc. 22. cum eos alloquens: *Vos estis*, inquit, *qui permansistis mecum in tribulatione, & ego dispono vobis regnum, vt edatis & bibatis, &c.* E contrario vulgaris & nõ veræ amicitiæ proprium esse videtur, vt ea tribulationibus & angustiis non modo lædatur, sed & penitus dissoluatur, iuxta illud Poëtæ.

Lucas indiuiduus Pauli socius.

Vera amicitia tribulationibus non dissoluitur sed solidatur.

Si fueris felix multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Vulgaris amicitia.

Et hoc, quia, vt canit idem:

Vulgus amicitias vtilitate probat.

De hac re plurimum, idque sæpius conqueritur Iob, cap. 6. cum ait: *Ecce non est auxilium mihi in me, & necessarij quoque mei recesserunt à me, &c.* Quasi amicitiæ & necessitudinis legem violatam in suis malis videns patientissimus Iob, necessariorum opem & amicorum officium desideraret, quos sua calamitas deterruerat & à se depulerat. Verum à vulgari hac amicitia alenissimus D. Lucas, tantum abest, vt Pauli calamitatibus & vinculis territus à magistro discesserit, vt potius ipse solus constanter cum Paulo iamiam occidendo manserit, mori, si opus foret, cum eo vel pro eo, non detrectans.

Lucas verus amicus.

Lucas hic, cuius constantiam laudat hoc loco Paulus, non fuit Lucius ille, de quo Roman. cap. vlt. quem male cum eo nonnulli apud Origenem confundunt; sed alius, natione Syrus, patria Antiochenus, arte medicus, Coloss. 4. scientia potius quam professione pictor. Vnde lib. 2. cap. 43. Nicephorus: *Lucas,* inquit, *medicus, & pictor egregius, pro corporum curatore, animarũ medicus factus est. Fertur primus Christi, & quæ eum ita vt Deum decebat genuit, matris, atque item principum Apostolorum effigiem, pingendi arte adumbrasse; vnde in omnem deinde habitabilem orbem tam venerandum & pretiosum opus est illatum.* Hæc ille.

Lucas, diuersus à Lucio, Syrus, medicus, & pictor.

Eundem Lucam proselytum fuisse, scribit Isidorus, Græcis & Philosophicis eruditum literis, Hebraicas vero disciplinas (quod non probatur) leuius attigisse. Quo factum putat, vt paulo elegantius quàm cæteri Euangelistæ, scribat Græcè, & Scripturæ testimonia non ex Hebræis fontibus, sed ex LXX. Interpretum editione proferre soleat. Numeratur & hic

Lucas proselitus Græca lingua doctus.

hic Lucas ab Origene, Gregorio, Epiphanio & aliis inter Septuaginta duos discipulos, ad prædicandum Euangelium præter Apostolos, à Domino dimissos Luc. 10. quem postea ad se conuertens Paulus, suum sectatorem, in Euangelio cooperatorem & Apostolum fecerit. Imo etiam ex duobus discipulis alterum eum fuisse putatur à nonnullis, quibus oppidum Emaus petentibus, Christus ad vitam reuocatus apparuit Luc. 24. Sed Tertullianus, lib. 4. cont. Marcion. eundem non Apostolum, sed *Apostolicum* virum vocat: quo nomine vocari solebāt ij, qui quamuis Christum non audiuissent, audiuissent tamen Apostolos. Quod probabilius esse existimat Maldonatus, præf. in Lucam, non solum quia plures authores id affirmant, sed quia id etiam de se ipse Lucas testari videtur. Cum enim cap. 1. dicit; *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis*; procul dubio significat se non vidisse, sed auditione ab iis, qui viderant, accepisse, quę scripturus erat. Idem, si verba rectè pensentur, colligi potest ex eo, quod eodem cap. Theophilum alloquens ait: *Visum est & mihi assecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi scribere*. *Assecutum* enim se dicit omnia diligenter, id est, summa diligentia facta, dictaque Christi scrutatum peruestigasse & explorasse, quod si vidisset, minimè fecisset. Nec contrarium voluit Ecclesia, cum in eius festo illud Luc. 10. legendum statuit: *Posthac autem designauit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam, &c.* Ecclesiæ enim consuetudo est, quæ de aliis dicta sunt, ad alios propter similitudi-

Lucas est LXXII discipulus.

Lucas non Apostolus, sed Apostolicus.

Obiectionis solutio.

nem aliquam accommodare, vt cum de Maria Lazari sorore dictum est eodem Luc. 10. *Maria optimam partem elegit*, ad Mariam matrem Christi in eius festo accommodat. Tempus vero & modum quibus ad Christianam fidem conuersus Euangelium susceperit, nullus scriptorum est qui mentionem faciat, vno Nicephoro excepto, qui libro secundo, capite quarto, prædicante iam D. Paulo, ad eum Thebas venisse, auditoque credidisse refert. Euangelium scripsisse, consentiunt omnes, & indicare videtur illud Pauli 1. Corinth. 8. de Luca dictum: *cuius laus est in Euangelio*; quod in Achaiæ Bœothiæque partibus factum, testatur Hieronym. in prolog. Matth. anno decimo quinto à Christi in cælos ascensu, vt scribũt Theophylactus & Euthymius; quos tamen repudiat & mendacij coarguit Cardinalis Baronius. Id autem factum nonnulli volunt non modo docente sed & dictante Paulo, cuius & discipulus & comes fuit.

Lucas quando & quomodo conuersus incertum.

Lucas vbi & quando Euangelium scripserit.

27. *Marcum assume, & adduc tecum: Est enim mihi vtilis in ministerio.*

Ne difficultas itineris Timotheo molestias pariat, eidem ad se vocato socium adiungit, eo quod optima sit duorum societas, vt quæ neque necessario solatio, & auxilio careat, nec tumultu & dissensionibus abundet. *Væ autem soli*, ait Ecclesiasticus, c. 4. *quia cum ceciderit non habet subleuantem se.* Quare cum, prout communi Prouerbio tritum est, iucundus comes in itinere pro vehiculo sit, voluit Paulus Timotheum Marco comitatum ad se venire, vt alter alteri in rebus aduersis & necessariis, adiumento & conso-

Marcus cur Timotheo in socium datus. 1.

Iucundus comes in via pro vehiculo.

lationi in via esse posset. *Frater enim qui iuuatur à fratre, quasi ciuitas firma*, ait Prouer. 18 Sapiens. Quam- 2.
uis & hæc possit reddi ratio, ideò factum, vel vt perpetuum haberet Timotheus actionum suarum testem, ne quis male eius solitudinem interpretaretur, quasi ideò solus esset, vt liberius sine teste peccaret; Vel quia duo sunt charitatis præcepta; alterum 5.
quod in Deo, alterum quod in proximo diligendo versatur; quæ allegorica potiùs, quàm literalis ratio est D. August. lib. 2. de consensu Euang. Quibus de causis etiam Christus Dominus discipulis ad prædicationem dimittendis socios adiunctos voluit, cum binos misit ante faciem suam. Quem morem vsitatum semper fuisse, ex scriptura annotat Origenes. Nã etiam Moysi, vt ex Ægypto populũ educeret, datus est Aaron socius Exod. 4. & 7. Josue cum Caleb eundẽ populũ murmurantẽ compescuit, & in terram Canaän introduxit. Bini etiam Apostoli à Matthæo numerantur cap. 10. binos item eosdem ad prædicandum misit Christus Marc. 6. ad soluendum asinum quo veheretur, duos quoque discipulos misit. Luc. 19. & Matth. 21. Itemque ad parandam vltimam cœnam alios duos Petrum & Joannem. Luc. 22. sed & Joannes Baptista, cum in vinculis esset, duos ex discipulis suis ad Christum legatos misit. Matth. 11. Quod imitati nostro tempore religiosi, duos communiter simul ob dictas causas, ex septis monasterij, vel collegij mittere solent.

Mos binos mittendi in scriptura vsitatum.

Varia exempla

Hic autem Marcus, quem ad se cũ Timotheo proficisci cupit Apostolus, filius fuit Mariæ prædiuitis ciuis Hierosolymitanæ, ad cuius domum, Petrum vinculis ab angelo solutum, de nocte venisse, tradit

Huius loci Marcus filius Mariæ Hieros. & consobrinus Barnabæ.

D. Lucas Actorum 12. Eundem Barnabæ consobrinum seu filium fratris, vel sororis fuisse testatur Colossensibus scribens capite vlt. D. Paulus; Propter quem, quod vel periculorum metu, vel matris Hierosolymæ agentis affectu discessisset Act. 13. orta est grauis dissentio inter Paulum & Barnabam. Act. 15. Paulus enim austerior & feruentior, vt Elias, non censebat eum admittendum in societatem, dubius de sua constantia: Barnabas verò benignior & facilior vt Moyses aliter iudicabat, non tam affinitati indulgendo, quàm q; pœnitentia ductum & laborũ cupidum, eorum socium fieri velle arbitraretur. Hac tamen vtriusque dissensione neutiquam violatam amicitiam fuisse, ipse Paulus demonstrat, Barnabæ crebram, eamque perhonorificam mentionem faciens 1. Cor. 9. & Galatas 2. sæpius. Plurimum autem Marco profuisse dicit Chrysostomus, & Pauli seueritatem & Barnabæ mansuetudinem, vt inde perterreretur, præteritamque damnaret ignauiam; hinc bonum animum resumeret, & alacritatem ad strenuè laborandum. Quod diligentissimè postea præstitisse, Pauloque familiariter vsum, docent eiusdem Pauli epistolæ, & ad Colossenses, cap. 4. & ad Philemonem, & hæc ad Timotheum, missæ. De hoc Marco Martyrologium Romanum, 27 Septemb. *Bibli in Phœnisia, S. Marci Episcopi, qui & Ioannes à B. Luca nominatur.*

Propter Marcum orta grauis inter Paulum & Barnabam dissentio.

Dissentione illa non violata amicitia.

Pauli seueritas & Barnabæ mansuetudo Marco proficua.

Verum non desunt, qui ex nominis similitudine colligant, Marcum hunc nostrum eundem fuisse cum Marco Euangelista, D. Petri discipulo, quem ipse suæ epist. cap. 5. *filium suum* vocat; aut quod eum paterno singulariq; amore prosequeretur, aut quod eum

Huius loci Marcus cum Marco Euangelista male confunditur.

eum in Christo genuisset. Sed falluntur hi magni alioqui nominis authores, tum quia in nostro Marco aliqua culpæ fuisse videtur, propter quam in Apostolorum consortium admitti non censebatur. Act. 15. quod de Marco Euangelista credere propensi ad pietatem ingenij esse non videtur: tum quia nostro Marco, Joannis nomen erat; quo nomine veterum authorum nemo Euangelistam appellauit: tum etiam quia illa nominum similitudo, quam secuti illi authores, in contrarium abierunt, nihilo maior quam dissimilitudo sit, cum vt ambo Marci similes, ita Joannis nomine dissimiles sint. Quod ipsum plurimum confirmat Paulina huius loci authoritas, cum Marcum tanquam sibi vtilem in Euangelica prædicatione futurum ad se venire iubet. Non enim intelligi potest de Marco Euangelista, cum is, vt scribunt præter alios Hieronymus lib. 3. de viris illust. & Jsidorus in lib. de Patribus noui Testamenti, obierit anno Neronis 8. & hæc epistola circiter decimum quartum, vel in ipso anno 14. scripta sit, Pauli videlicet iam martyrio imminente vt supra dicta sententia testatum facit: *Ego iam delibor, &c.*

Eius rationes. 1. 2. 3. *Confirmatur.* *Obitus Marci Euangelist.*

28. *Est enim mihi vtilis in ministerio.*

Exponit causam, cur Marcũ, itineris Timothei comitẽ esse velit, vt videlicet, non solũ in verbi diuini ꝑdicatione sed in & cõmunibus Apostolat⁹ sui officijs magno sibi vsui esse possit. Vox enim *ministeriũ*, actuosam Apostolicæ functionis executionem importat: Nam, tametsi vinculis teneretur Apostolus constrictus; Euangelij tamen cursum & cætera fidei

Vox ministerij, quid importat.

fidei propagandæ idoneæ nolebat carceris sui occasione impediri. Negligendum porrò non est hoc loco, voce *ministerij* sectarios prædicantes hodie vti, si quando vocationis suæ prædicanticæ dignitatem velint exprimere. Inde est, quod eam pari gaudere velint immunitate, qua Clerici Catholici, quibus imperare magistratus sæcularis non habet, nisi fortè in quibusdam rebus, quæ ad spiritualem finem pertinent, & communes grauesq; Reipub. necessitates concernunt. Sicut verò in plerisque alijs, ita & in huius vocabuli vsurpatione, se simias fingũt, eos imitantes, qui religiosis in Ecclesia Catholica p̃sident, & *Ministri* à suis subditis vocantur; sicut & summi Pontifices alio titulo non vtuntur, quam *serui seruorum Dei*. Est frequens in scripturis ministerij vocabulum, sicut & verbum *ministrandi*, quo sæpe Dominus ipse vtitur Luc. 10. 22. Joan. 12. Et Paulus Rom. 15. volens probare noui testamenti Christum esse authorem, dicit eundem circumcisioni primum *ministrasse*, vt ostenderet Patrem esse veracem, posteaquam filium Judæis misit, quem per prophetas suos in scripturis sanctis promiserat: *Dico*, ait Paulus, *Christum Iesum fuisse ministrum circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patris.*

Ministerij voce vtuntur sectarij prædicantes.

Sectarij veræ simiæ.

Ministerij vocabulum frequens in scriptura.

29. *Tychicum misi Ephesum.*

QuiaTimotheum Ephesinum Episcopum ad se vocarat Apostolus, ne interim Ephesina Ecclesia suo pastore destituta, cœtus sine duce, corpus sine anima esse videretur; eo se Tychicum misisse dicit, qui ad tempus coadiutoris munere fungeretur. Jugi enim inspectione & superintendentia indigebat illa metropoli-

Tychicus in Coadiutorem Ephesinum à Paulo datus.

tropolitana Asiæ ciuitas, in qua, vt obseruat Hieron. in præf. epist. ad Ephes. idololatria, & quod semper idololatriam sequitur, artium magicarum præstigię maximè viguerunt. Et licet iam fidem suscepisset Ephesus, quia tamẽ omnis Asia minor adhuc idolis dedita ad eam, vel religionis causa ad celeberrimũ Dianæ templum, vel negotiorum ad metropolim, vbi proconsul agebat, vel studiorum causa ventitabat; facilè absente pastore, à fide suscepta dimoueri poterant. Quæ pericula animaduertens Apostolus triennio ibidem moratus est, nocte & die Dei Euangelium prædicans, tum vt venientes ad ouile Christi lupos repelleret, tum etiam vt idololatriæ arce destructa, facile minorum vrbium templa clauderentur.

Ephesus, idololatria & magia dedita.

Ephesi cur triennio moratus Paulus.

Tametsi verò non minus turpe sit Episcopo non versari in sua diœcesi, quam ianitori non sedere ad ianuam, villico ad villam, gubernatori nauis ad nauim, alijsque ad sua munera; Timotheum tamen Ephesinum Episcopum ad se Romam venire cupit, maiorem Ecclesiæ vtilitatem & commodum prouidus pater semper ob oculos habens. Constituit autem Ephesinæ Ecclesiæ, sicut & olim Cretensis, coadiutorem Tychicum, vt is absentis Episcopi vices gerat; quo pacto etiam ob crebras Petri peregrinationes, dicit Epiphanius constitutos Romæ Episcopos Linum & Cletum, ne vrbs esset sine Episcopo; non quod plures Romanæ Ecclesiæ forẽt Episcopi, cum vnicus vnius ciuitatis esse debeat, sed quod Episcopi essent coadiutores, vt docet in Pontif. Damasus. Vnde totius orbis Papa Gregorius VII. quadam epistola: *Quoniam,*

Turpe Episcopo non versari in sua diœcesi.

Linus & Cletus, à Petro constituti Rom. Eccles. Coadiutores.

inquit, *propter occupationes ad peragendum nostræ sollicitudinis debitum singularum prouinciarum, Ecclesias per nosmetipsos visitare non possumus, necessarium valdè est, vt exigente ratione vel tempore, aliquem modo ad has, modo ad illas partes mittere studeamus, per quem commissa nobis secundum voluntatem Dei repræsentetur authoritas, & Dominici gregis salus atque communis prouideatur vtilitas. Scimus enim quoniam sine detrimento & magno animarum periculo esse non potest, cum illius diligentia ad quem summa negotiorum & curæ necessitas præcipuè spectat, diu subditis & commissis sibi fratribus deest.* Hæc Gregorius. Ex quibus apertè colligitur, per seipsum non per Vicarium ea quæ sunt Episcopi, munia obire oportere Episcopum, ne, quod scitè dixit Damasus, epist. ad Episcopos 4. *nutricibus similes habeantur, quæ statim vt pariunt, infantes suos aliis nutricibus tradunt educandos, vt suam citius valeant explere libidinem, atque ita isti, vt pro suo libito sæcularibus curis inhient, & quod sibi visum fuerit, liberius agant*: cum tamen Episcoporum & pastorum sit, solicitam & sedulam ouium suarum curam duntaxat gerere, vt vel ipsa Episcopi & pastoris nomina demonstrant. Episcopus enim speculatorem & superintendentem significat, qui *super gregem suum vigilias agit*, speculaturq́; num ouium aliqua opera & suo auxilio indigeat. Hoc qui negligunt, eiusmodi nominibus se reddunt indignos, titulumq́ue sine re magis gloriosè, quàm verè retinent, & magis peregrini censeri debent quàm sponsi, extranei quàm patres, *pascentes seipsos*, non oues, non ædificantes, sed ferè destruentes. Vnde quod Clerico epist. ad Nepotian. dixit Hiero-

Episcopus per seipsum non per Vicarios Episcopalia munera obeunda.

Episcopi etymon.

Episcopalia negligentes, Episcopi nominis indigni.

Hieronymus, id mutato nomine, sibi dictum putet Episcopus: *Qui seruit Ecclesiæ, interpretetur primum vocabulum suum, & nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur.*

Tychicus ille, quem *Ephesum* se *misisse* dicit hoc loco Paulus, Apostoli fuit discipulus, quem ad Colossenses cap. 4. & Ephesios cap. 6. scribens, *charissimum fratrem & fidelem ministrum, & conseruum in Domino* appellat. Huius Tychici opera vsum te crebrò in suis epistolis significat Apostolus, ad perferenda mandata & ad iuuandos absentes. Hunc Dorotheus in Synopsi, Chalcedoniensem in Bythinia Episcopum primũ censet, atq; ex discipulis LXXII. vnũ, quem tamen Pauli epistolis præfixa argumenta vocant *Diaconum*, cum epistolas ad Thessalonicenses, Ephesios, Colossenses, & 1. ad Timotheũ per Tichicum Diaconum missas inscribũt. Ex quo colligi potest, eundem Tychicũ tabellarij munere apud Paulũ perfunctum fuisse. Præter enim iam dictas epistolas eodem nuntio, Titum Cretensem Episcopum olim ad se accersiuit Apostolus, vt patet Tit. cap. 3. sicut & hanc 2. ad Timotheum epistolam per eundem missam, huius loci contextus videtur insinuare. Nam licet dicat Tychicum se iam misisse Ephesum, præteritum tamen tempus pro præsenti vsurpatum, facit ex simili loco Epistolæ ad Ephesios, capite sexto, probabile Card. Baronius, vbi de eodem Tychico, eiusdem epistolæ nuntio: *Vt & vos, inquit, sciatis, quæ circa me sunt, quid agam omnia vobis nota faciet Tychicus charissimus frater, & fidelis minister in Domino: quem misi ad vos in hoc ipsum, vt cognoscatis*

Tychicus, quis.

Tychici opera sæpius vsus Paulus.

Tychicus, Pauli tabellarius.

Per tychicum missa ad Timotheum hæc epistola.

scatis quæ circa nos sunt. Non enim cuique se offerenti olim Apostoli primique præsules, sed certis hominibus, ijsdemque non nisi sanctitatis & fidelitatis probatæ viris ac probè notis, committere suas literas consueuerant, vt ex S. Ignatij 11. & S. Cypriani 16. & 24. epist. fit euidentissimum, qui significat nefas fuisse Ecclesiasticos alijs vti, quam Ecclesiasticis tabellarijs: ideoque ob illorum inopiam, nouos ad eam obeundam functionem creasse clericos. Hoc autem tabellarij munere in alijs epistolis deferendis, præter hunc Tychicum, functus est Epaphroditus, Philippen. 2. Timotheus, 1. ad Corinth. cap. 4 & 16. Titus, 2. ad Corinth. cap. 8. & 12. Onesimus, ad Philem. quin & Pheben Ecclesiæ Cenchrensis ministram, detulisse epistolam ad Romanos, non desunt qui affirment. Cæterum hi non tantum munere tabellariorum, sed etiam legatorum fungebantur officio; Nam illis multa oretenus credebantur, quæ coram illis quos mitterent, explicaturi essent, vt de Tychico citata epistola ad Ephesios, cap. 6. & illa ad Colossenses, capite quarto, fit euidentissimum: *Quæ circa me sunt omnia notum faciet Tychicus, &c.*

Apostoli, non cuicumque, sed fidelibus epistolas committebant.

Varij Pauli tabellarij.

Pauli tabellarij etiam legatorum munere fungebantur.

30. *Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maximè autem membranas.*

Quid sit *penula*, quam Troade relictam, ad se deferri hoc loco cupit Apostolus, variant authores. Fuisse inprimis *penulam* vestem densam ac vilem, quæ nebuloso ac pluuioso tempore supra tunicam

Quid sit penula varia sententia.

pallij

pallij loco assumebatur, ad frigus & pluuias expellendas, author est Ælianus Lampridius, in Alexand. Vnde illud Galbæ apud Quinctilianum, lib. 6. cap. 4. *Galba*, inquit ille, *penulam roganti amico respondit: Si non pluet, non opus est tibi, si pluet, ipse vtar.* Huius generis penulas, duplices videtur facere Martialis, Vnam *scorteam*, si ex pellibus esset, de qua ille: Duplex penula.

Ingrediare viam cælo licet vsque sereno;
Ad subitas nusquam scortea desit aquas.

Scorta enim veteres animalium pelles, siue corium nominabant. *Penularum* altera erat *Gausapina* candida & villosa, qua hyberno tempore vsos Romanos, testatur idem Martialis, lib. 14. cum sic de se loquentem penulam fingit:

Is mihi candor inest, villorum gratia tanta est;
Vt me vel media sumere messe velis.

Quo disticho falsò quidam à poëta *penulam gausapinam* inter æstiua vestimenta annumerari putãt, cum hoc duntaxat dicatur, tantum penulæ inesse candorem, tantam villorum gratiam, vt etiamsi hyberno vsui destinata sit, eius tamen specie captus, eam *vel media sumere messe* (æstate) velit. Huius generis *penularum* vsum intra vrbem Senatoribus Romanis, frigoris depellendi gratia, concessisse Alexandrum, testis est citatus Lampridius; ita vt quod vestimentum itinerarium & pluuiæ antea fuerat, in vestem senatoriam ac consularem cederet. Vnde orta illa Hugonis & aliarum sententia, qua huius loci *penulam*, vestem Consularem fuisse volunt Pauli patri datam, cum ciuitate Romana donaretur. Quam penulam, vel in patris memoriam sibi reseruasse, vel etiam tanquam ciuem Romanum, gestasse dicunt Apostolum. Ve-

Martialis dilucidatus.

Penula Senatoribus Rom. concessa.

2.

Penula vestis consularis.

rum nec de hac Consulari veste, nec de illis vestimẽtis, arcendis imbribus aut frigori pellendo aptis, accipi potest huius loci *penula*. Non enim ratio patitur, vt in itinere positus Apostolus, Troadeq; discedens, iter agentis vestem adeò necessariam ibidem reliquerit; Nec occasio subest, vt Romæ in carcere positus, iam iamque immolandus, adeo illa siue consulari, siue villosa veste indigeret, vt illam immenso itineris spatio Romam afferendam, charissimo suo

3. Timotheo iniungeret. Quamobrem antiquorum alij, ex eo quod Græcè habetur φελόνην, penulam interpretati sunt volumen, quemadmodum testis est Hieronymus, in ea quam ad Damasum scripsit epist. 15. quæst. 2. cum ait: *Volumen Hebræum replico, quod Paulus φελόνην, iuxta quosdam, vocat.* Secundam hanc expositionem, Paulus ad se deferri mandauit volumen Hebræum, veteris Testamenti, libros & membranas: licet hæc inter se differant, vt notat Baronius. Nam *volumen*, chartæ in seipsas reuolutæ conficiunt: *libros* verò dicere consueuerunt, cum multæ papyraceæ chartæ simul iunctæ compaginãtur; quæ si ex pellibus fiant, *membranæ* dicantur. *Volumen* autem dici solitum, vetus Testamentum, vel ipsa testatur Scriptura, Exod. 24. Deut. 17. & 28. 29. 32. & alibi.

Penula pro volumine.

Huius loci sensus.

Vetus Testamentum volumen dictum.

4. Nonnulli penulam, vestem sacram esse dicunt, cuius in diuinis mysteriis vsus, quam planetam siue casulam dicimus, quia ὅλη φαίνεται, id est, vno interiectu totum ambiens sacerdotem tota conspiciatur. Huius rei testem affert Cardinal. Baronius, Nicephorum Constantinopolitanum Episcopum, qui ad

Penula pro casula.

ad Leonem III. Pontificem Romanum scribens, donaque mittens, hæc ait: *Symbolum autem mediatricis inter nos dilectionis, misimus fraternæ V. B. Encolpium aureum* (crucem videlicet pectoralem) *cuius vna facies crystallum inclusum; altera picta nigello, & intus habet alterum Encolpium, in quo sunt partes honorandi ligni in figura crucis positæ; tunicam candidam, & penulam castaneam, inconsutilem stolam & semicinctia auro variegata.* Vbi quod Græce erat φαινόλιον, vertit interpres *penulam*, sicut à Philotheo itidem Constatinopolit. Episcopo, in commentario de sacris officiis edito, & in quarto tomo Bibliothec. Patrum relato, dictum φαινόλιον vertit interpres *casulam*, (idem est, planeta) sic dicens: *Egreditur retro sacerdos demissam portans casulam.* Et inferius, voce Græca: *Sacerdos aperiens sancta portas, demissum phenolium portans.* Sic etiam Metaphrastes in Marcian. 10. Ianuar. *Habet solam penulam, vestem sacerdotalem, quæ corpus operiebat.* Et hanc cum præcedente sententia approbat Baronius, licet præcedens de legis volumine magis illi placeat, tum quod φελόνην non φαινόλιον, tum quod haud magni videatur ipsi fuisse negotij vel impensæ, alias sacras vestes eiusdem generis Romæ conficere, absque eo quod ex Asia eam velit per Timotheum ad se deferre.

Confirmatur hæc acceptio.

Baronij sententia.

Cæterùm vt aptior, ita probabilior videtur illa sententia, quam quorundam fuisse tradit Ioannes Chrysostomus, hic homil. 10. Pauli videlicet *penulam* fuisse loculos, scriniolum siue thecam, in qua libri conderentur; vt sit penula, quasi penus paruula, penarium vel penaria, in quâ reseruabantur & vete-

Probabilior huius loci sententia.

ris Testamenti libri & mẽbranæ illæ, quas sibi Troade deferendas obnixè cupit. Hanc autem *penulam* cum libris & membranis Apostolus Troade reliquerat, vel tanquam pignus sui ad Troes reditus, quem meriti fuerant vehemẽtissimo illo in Paulum amore, quo affecti verbum audiendo diem noctemque pendentes ab eius ore transegerant. Actor. 20. Vel tanquam non exiguum impedimentum prædicationis Euangelicæ cursui futurum, cum iter sibi terrestre foret peragendum. Cui enim sunt pauca quæ circumferat, onus ferre pedestris itineris facilius valet.

Cur Paulus penulam ad se deferri petat. 1. ... 2.

Carpus autem ille, apud quem *Troade* nobilissima prope Helespontum ciuitate se *penulam* reliquisse dicit, Pauli hospes ibidem fuisse videtur, quem Cretæ eadem charitatis officia erga fideles præstitisse, suscipiendo hospitio, qui apud se diuerterent Christianos, testatur Dionysius epist. 8. ad Demoph. licet ex eo quod alter Troade, alter verò in Creta agere videantur, diuersos velit esse Baronius. Hunc factum esse Episcopum Beroensium, author est Dorotheus in Synops. alij Laodicensem primum, deinde Cretensem. De hoc mirabilem memoriaque dignam visionem scribens citata epist. Dionysius, præclaro elogio eundem insignit, *virum* appellans *ob eximiam animi munditiam, ad Dei speculationem vltra omnes fermè aptissimum: qui nunquam sacra celebrare cepit, nisi prius inter eas preces, quæ antea consummantur, sancta illa ac propitia visio apparuerit.*

Carpus, Pauli hospes.

Carpi elogium.

14. *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit.*

Vt eo celerius ad se tot amicorum solatiis destitutum venire festinet Timotheus, etiam mala quæ pro Euangelicæ prædicationis propagatione, in eius absentia sustinuit, commemorat hoc sensu: Festinandum tibi est ô Timothee; Nam non modò ex eo affligor, quòd Demam inordinata huius sæculi dilectio, Crescentem verò & Titum Euangelicæ prædicationis necessitas mihi abstulerit, sed etiam ob plurima mala mihi ab *Alexandro* exhibita, quem antea ob blasphemiam, *diabolo* scis *traditum*, 1. Timoth. 1. Hic autem *Alexander*, quem *ærarium* vocat, non ærarij custos aut quæstor fuit, sed æris artifex; quemadmodum ex Græco nomine χαλκεὺς patet, quod dignitatis nomen censeri non potest. Hunc Glossa ordinaria (sicut & Bruno) non ferendo memoriæ lapsu, cum Demetrio argentario confundit, qui conuocatis opificibus suo sermone seditionem concitauit in Paulum & cæteros Act. 19. Quod ipsum videtur etiam Haymo fecisse, 1. Timoth. 1. cum ait *Alexandrum ærarium venisse ad fidem Christi, postea reuersum ad apostasiam; Athenis fecisse ædes Dianæ & commouisse ciuitatem contra Apostolos.* De hac re non immerito videtur conquestus D. Thomas; cùm sic nulla vel loci vel nominis personarum, vel earum muneris habita ratione, Alexander & Demetrius, Roma & Ephesus nescio quare confundantur.

Huius loci paraphrasis.

Alexander ærarius, quis.

Glossa ordin. Alexandrum cum Demetrio confundentis, error.

Dicit autem Apostolus à fabro ærario *multa* sibi illata *mala*, vt ostendat se non à viris duntaxat in dignitate constitutis, sed & à vilibus sibique manibus

Paulus multa à plebe perpessus.

victum quærentibus hominibus, illata mala patienter tolerasse. Sunt enim aliqui, qui licet à viris nobilioribus aut magistratu, illatas iniurias tolerare possint, authoritate scilicet dolorem mitigante; à vilioribus tamen & plebeis id ferre nec velint nec possint. Sed *omni*, id est, perfecta *patientia* præditus D. Paulus, non modò à viris dignitate præditis, sed ab ipsa plebe & opificibus illata mala tali patientia perferebat, vt in eis gloriari quodammodò videretur. Proprium autem esse videtur, qui sibi manibus victum quærunt, non modò seditionem in populum concitare, sed & plurimorum malorum materiam subministrare. Sic enim Demetrius argentarius *vniuersam Ephesum* in Paulum *concitauit*; Sic alij ab ipsa plebis fœce plurima sunt passi. Vnde in polymorpho hunc in modum præfatur Theodoretus: *Sunt nonnulli, qui cum nec ex genere, nec ex eruditione, nec ex rebus præclarè gestis, vllam laude dignam claritatem habeant, improbis studiis insignes euadere contendant. Talis erat ille Alexander ærarius, qui cum nihil in se egregium & suspiciendum haberet, non generis nobilitatem, non dicendi facultatem, non regendi populi artem, non ducendi exercitus scientiam, non rerum in bello fortiter gestarum commendationem, & solummodo sordidam & illiberalem exerceret artem, ex sola sua aduersus diuinissimum Paulum insania, notus extitit.* His addit ipse exemplum Semei, qui iactauit in Dauid contumelias, 2. Reg. 16. & authoris Manicheorum, & in genere aliorum Hæresiarcharum; quibus nos nostri temporis fœcem multam hæreticorum atque Schismaticorum adiungere possumus, fœcem inquam, magna ex parte constantem sordidis opificibus & vilissimis rusticis.

Opifices multorum malorum causa.

Plebeiorum proprium, multa mala inferre.

Hæreticorum fœces.

Phrasi

Phrasi porro Hebræa vtitur hoc loco Apostolus, cum ait sibi ab Alexandro plurima mala *ostensa*. *Ostendendi* siquidem verbum pro facere & exhibere vsurpant Hebræi, quemadmodum videre est apud Regium Vatem, Psalm. 4. *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona*, id est fecit. Psalm. 59. *Ostendisti populo tuo dura*; id est, fecisti. Psalm. 70. *Quantas ostendisti mihi tribulationes, multas & malas*; id est, fecisti. Psalm. 84 *Ostende nobis Domine misericordiam tuam*, id est, fac. Quod ipsum etiam ex verbis illis Genes. 50. obseruat Augustinus, lib. 1. locut. in Genes. vbi pro eo, quod nos habemus. *Et reddat nobis omne malū quod fecimus*; *Et redditione reddat nobis omne malū, quod ostendimus ei*; Legens S. Pater, dicit: *Ex hac locutione ait & Apostolus; Alexander ærarius multa mala mihi ostendit. Ostendimus enim dictum est, vel ostendit, pro eo quod est, fecimus vel fecit*. Sic ille. Eo autem loquendi modo Interpretum aliqui ideo vsum Paulum volunt, vt eo declararet, mala illa sibi ab Alexandro illata finem suum non fuisse consecuta, sed contra inferētis opinionem ita cessasse, vt ostensa potius quam facta, iure dicantur: *Dissipat* enim Deus *cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod ceperant*. Iob, cap. 5.

Ostendo phrasi Hebræa idem quod facio.

Quid eo dicendi modo indicat Apostolus.

32. *Reddet illi Dominus secundū opera eius.*

Huius loci duplex est lectio. Veterum siquidem nonnulli Græco astipulante Theophylacto & aliis, per Optatiuum vel Imperatiuum *reddat*, legentes, ita interpretantur, quasi suo persecutori exoptet & imprecetur Apostolus, vt quemadmodum se in hoc mundo plurimum afflixit, ita etiam ille in altero æternùm affligatur. Tametsi namque prohibuerit

Duplex huius loci lectio.

Dominus Luc. 16. ne quis *malefacientibus malefaceret, aut maledicentibus malediceret*, idemque etiam ipse-met fieri præcipiat Apostolus, Rom. 14. & abs se sic factum scribat 1. Corinth. 4. quandoq; tamen *vtrumlibet Zelo iustitiæ & iudicariæ potestate atque sine vindictæ liuore siue odio licere*, obseruat D. Gregorius, lib. 4. moral. cap. 8. Quod ipsum sanctis vel virtute diuina imperare, vel etiam optare non illicitum esse, quo peccatores resipiscant, vel eorum suppliciis alij corrigantur, aut certè Dei potentia demonstretur, docuit D. Thomas, 2. 2. quæst. 25. art. 6. ad 3. vbi breuiter annotat imprecationes illas quas in peccatores iacere solent in Scriptura homines iusti, his modis esse intelligendas.

Quandoq; mala impiis imprecari licitum.

Altera lectio & interpretatio.

Cæterùm, huius loci communior est lectio per Futurum, *reddet*, vt videlicet non sit imprecatio, sed futuri prædictio, hoc sensu: Alexander ærarius me quidem plurimum afflixit; sed non est impunè abiturus, quia pro illatis mihi malis mala quoque reddet ei Dominus, licet æterna. Sic Augustinus, lib. 16. contra Faustum, cap. 22. & lib. 1. de serm. Domini in monte, cap. 37. *Apostolus*, inquit, *priori loco non ait, reddat, sed reddet illi Dominus iuxta opera eius; quod verbum prænuntiantis est, non imprecantis*. Hanc Augustini interpretationem secuti sunt omnes ferè Latini Interpretes, Latini etiam Chrysostomi commentario nō repugnante, vt non dicam, manifestè consonante.

Paulus Alexandro non imprecatur, sed vltionem prædicit.

Expositionis confirmatio.

Confirmatur autem ex eo hæc expositio, quod alienissimus semper fuerit Apostolus ab illis prædicatoribus, *qui dicunt, & non faciunt*. Ex Christi siquidem præcepto Luc. 6. præceperat Romanis scribens, cap. 14. *vt persequentibus se benedicerent, nec vllo modo maledicerent*;

dicerent; quod vel optando, vel imprecando, etiam authoritate diuinitus accepta, si non fuisset transgressus, ab ijs tamen, qui eius doctrina iam fuerant imbuti, videri potuisset. Vnde Justinus martyr: *Si quidem Paulus Alexandrum qui malis eum affecerat, malis contra affecisset* (mala videlicet imprecando) *dicere liceret diuersa eum à doctrina sua egisse. Cum verò ea dicere, quæcunq; à Domino prouentura sunt, neque execratio sit neque conuitium, prædictiones certè fuerint Apostolicum decentes virum, qui seipsum non vlciscatur, sed locum iræ det.* Eodem modo accipiendum est illud eiusdem Pauli dictum Actor. 23. cum Hierosolymis captus & in Concilio alapâ percuti iussus: *Percutiet te,* inquit *Summo* Judæorum Pontifici, *paries dealbate.* Quæ verba non imprecando, sed indicando & arguendo eius iniustitiam, prædicandoque Dei iustitiam, vel potius denuntiando futuram eius animaduersionem & Pontificiæ dignitatis interitum esse prolata, plerique volunt Interpretes. Hinc Beda cit. verba explicans: *Non perturbatione animi commotus hoc dixit, sed vtique prophetando locutus est; quia figuratè illud Pontificium, quod erat in parietis dealbati simulatione compositum, percutiendum esset ac destruendum: cum iam verum sacerdotium Christi, Apostolis Euangelium prædicantibus, aduenisset. Et inde est, quod ait. Percutiet te Deus. Non dixit; percutiat; indicatiuo vtique modo hoc ipsum futurum significans, non optatiuè maledicens, &c.* Hæc Beda mutuatus ab Augustino, qui lib. 1. de ser. Domini in mõte, cap. 35. super hac ipsa re sic scribit: *Apostolus pontificis iussu palma percussus, contumeliosè visus est dicere ei: Percutiet te Dominus paries dealbate. Hæc enim verba minus intelligentibus, conuitium sonant: intelligen-*

Pauli & aliorum imprecationes, quomodo intelligendæ.

Paulus Veteris testamenti sacerdotium abolitum significat.

intelligentibus verò Prophetia est. Paries quippe dealbatus hypocrisis est, id est, simulatio, sacerdotalem præferens dignitatem; & sub hoc nomine, tanquam sub candido tegmine, interiorem quasi luteam turpitudinem occultans, &c. Hoc etiam pacto accipiendæ sunt omnes vel Christi Domini, vel Prophetarum, vel Apostolorum prima facie imprecationes & maledictiones, re tamẽ verà solummodo prædictiones. Christus enim Dominus Matth. 11. septem ciuitatibus mala non imprecatur, sed aliquid eis male euenturum merito infidelitatis prædicit. Hoc ipsum de alijs Prohetis & Apostolis dicendũ est, præcipuè de regio vate, apud quẽ Psal. 68. in impios dicitur: *Fiat mensa eorum, &c.* & passim alibi. Nec refert quod pleræq; eiusmodi prædictiones per Imperatiuum, vel Optatiuum efferantur; quia illos modos pro futuro accipiendos, vt non sint optantis, sed tantum futura prædicentis, docent Hieronymus, in illud Psal. 11. *Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa & linguam magniloquam*; Et Augustinus, in illud Psal. 78. *Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt:* B. quoque Christi martyr & Pontifex Anacletus, epist. 2. quod Psalm. 68 scriptum est: *Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper iniuria*, dictum esse testatur, *non optantis animo, sed prædicentis mysterio.* Suo igitur persecutori non optantis voto mala imprecatur Apostolus, sed spiritu prædicentis futurum prædicit, vt ille *secundum opera sua*, id est, secundum operum quæ fecit & conditionem, & numerum, & qualitatem à Deo mercedem recipiant, iuxta illud Deut. 25. *Secundum mensuram delicti erit & plagarum modus.* Et Apocal. 18. *Quantum se glorificauit, tantum date illi*

Imperatiui vel optatiui modi, apud Prophetas, pro futuro accipiendi.

Secundum opera hominis nõ in hoc mundo sed in altero, reddit Deus.

illi tormentum & luctum. Et hoc in futuro sæculo, quandoquidem in præsenti non soleat Deus reddere homini secundum opera, cum & peccata dissimulans non puniat hic, & quandoque male agentibus gratiam largiatur, sicut ipsi Paulo contigit, qui prius *fuerat blasphemus & persecutor*, & nihilominus tamen tantam à Deo misericordiam consecutus est, vt non modò Christianus fieret, sed etiam talis tantusque Apostolus. In futuro autem iudicij die non ita fiet, cum tempus futurum sit tantum secundum iustitiam iudicandi, quemadmodum dixit Dominus Psal. 74. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* *Dubium.* Quod si quis dicat, in die iudicij Alexandrum non recepturum secundum opera, eo quod pro peccato temporali reddet illi Dominus pœnam æternam: Respondendum est secundum Augustinum, lib. 1. de Ciuit. Dei, in retributione iustitiæ non considerari æqualitatem temporis inter culpam & pœnam. *Responsio.* Nam etiam secundum humanum iudicium pro culpa adulterij, quæ breui tempore committitur, infligitur pœna mortis; in qua non attendit legislator breuem illam moram occisionis, sed id potius, quod ille per mortem perpetuo excludatur à societate viuentiũ. *Quomodo homo secundum opera sua sit recepturus.* Similiter etiã homo, pro culpa temporali pœna æterna punitur: Quod quidem iustissimum esse intelligitur ex infinita dignitate Dei, in quẽ peccatur. Tanto enim quis grauius peccat, quanto maior est dignitas personæ offensæ in quam peccat.

❧(o)❧

83. Quem

33. *Quem & tu deuita; valdè enim restitit verbis meis.*

Huius loci paraphrasis.

Sensus est: Quia summum ex impiorum conuictu periculum sanctitati creatur, prauis exemplis sæpe multumque læditur, non rarò etiam vincitur, & opprimitur; tuum erit ô Timothee Alexandrum tanquam leprosum aut peste laborantē, ne te tuosq; inficiat, tuo tuorumq; consortio excludere. Hæresis siquidem & impietas contagiosi sunt morbi, quibus facile infici eum, qui non totis viribus & summa animi propositione cauerit, tam dictis quam factis declarauit dilectus Christi discipulus. Is enim in 2. sua epistola, hoc modo fideles omnes admonet: *Si quis venit ad vos, & hanc* (Catholicam) *doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis, &c.* Et teste Irenæo, lib. 3. cap. 3. cum balneum aliquando esset ingressus, mox vt impium Hæreticum Cerinthum intus esse cognouit, de balneo exilijt non lotus. Hinc factum est, vt eorum Hæreticorum congressus, imò & ipsa colloquia iam inde à primo Ecclesiæ ortu sapientissimo consilio fidelibus omnibus maiorum authoritas interdixerit, decernens vt quemadmodum leprosi extra castra semper esse debebant, nec in ciuitate manere propter infectionis metum; ita etiam Hæretici extra Ecclesiam & societatem fidelium per excommunicationem eijcerentur. *Nulla*, inquit Cyprianus lib. 1. epist. 3. *cum talibus* (impijs & Hæreticis) *commercia copulentur, nulla conuiuia vel colloquia misceantur, simusque ab iis tam separati, quam sunt illi de Ecclesia profugi.* Et S. Leo, serm. de passione Domini 18. *Viperea Hæreticorum vitate colloquia*

Hæresis & impietas, morbi contagiosi.

Hæreticorum consortio fidelibus vitanda.

colloquia; nihil nobis commune sit cum eis, qui Catholicæ aduersantes fidei solo sunt nomine Christiani, &c. B. quoque Athanasius, in vita S. Antonij: *Sic*, inquit, *hæreticos detestabatur Antonius, vt omnibus diceret, nec iuxta eos quidem esse accedendum.* Vnde Polycarpus, alium cum Marcione sermonem habere noluit, quam istum: *Agnosco te primogenitum Sathanæ.* Et hoc, quia tam difficile est bonum iustumque inter malos aut Hæreticos esse, vt ille tantum felix beatusue esse posse Regio vati visus sit, *qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit & in cathedra pestilentiæ non stetit*; Psalm. 1. id est, qui ab impijs & hæreticis ita procul discesserit, vt non solum consilia vocesq; eorum auribus percipere, sed neque possit tangere quæ ad illos pertinent, aut quæ illi vel minimum quidem attigerint. Eam ob causam, castissimus adolescens Josephus Genes. 39. pallium in manus turpissimæ simul ac impiæ fœminæ reliquit, quòd vt obseruauit Hieronymus, contactu impurissimæ manus contagione pestilenti contaminatum esset. Sic etiam Zorobabel cum populi principibus, idololatrarum oblatum sponte auxilium ad operarum laborem minuendum recusarunt: Discentibus enim idololatris 1. Esdr. 4. *Aedificemus vobiscum, quia ita vt vos quærimus Deum vestrum*: responderunt: *Non est nobis & vobis vt ædificemus domum Deo nostro, sed nos ipsi soli ædificabimus.* Quid, quod ipsum impiorum nomen ore sumptum & lingua versatum, lædere hominis animum posse, videatur innuere regius vates, sic apud se statuens: *Nec memor ero nominum illorum* (impiorum) *per labia mea* Psal. 15. Quare nō minus mirabile est impiorum societate Hæretico-

Difficillimum est, bonum inter malos esse.

Impiorum nomen ore duntaxat sumptum nocet.

Bonos inter hæreticos manere magnum miraculum.

rum conuersatione non lædi, quam illa omnium ore celebratissima miracula, Danielis inter sæuissimos leones sospitis & incolumis: trium puerorum in medijs flammis ambulantium, & Domino benedicentiũ: Israëlitarũ sicco pede maris alueo vestigia imprimentiũ: Rubi igne profusi & ad speciẽ ardentis, sed minimè cõbusti, &c. Rarũ siquidẽ est hoc, sicut & miracula, vt cuius exempla vix pauca inuenias.

Cæterum, ne priuati dispendij causa Alexandrum à cõmuni fidelium consortio exclusisse videretur is, qui *non quærebat quæ sua sunt, sed quæ Christi*, addit: *Valdè enim restitit verbis nostris.* Q. d. Non ideò eum vitãdum volo, quod mihi multa mala intulerit, cùm *gloriemur in tribulationibus*, Rom. 5. sed ideò, q̃ *verbis*, id est, p̃dicationi nostræ, resistẽdo ipsi Christo restiterit, ipso dicẽte, *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*. Paulinæ autem prædicationi non tam per seipsum (homo enim ex fœce, vilis opificij tantæ authoritatis non fuit) quã per alios, eosdem videlicet contra Apostolum commouendo, restitisse putandus est Alexander; quem pessimum fuisse & ad impietatis quoddam fastigium peruenisse ex eo cõstat, quod Pauli prædicatione audita, non modo non cõuersus, sed peruersus fuerit. Quemadmodum enim pessimum valetudinis signum est, quum remedia, quæ sanitatem afferre solent, morbum augent: ita nihil illis hominibus deploratius, qui ex sanis consilijs peiores fiunt, cùm *lex Domini* sit, (vt canit Dauid, Psal. 21.) *conuertens animas*. Consummatæ igitur nequitiæ indicium est, facinus, quod vna non successit via, alia semper atq; alia aggredi: De quibus loquens scriptura Job, c, 41. dicit; *Cor eius indurabitur tanquam lapis*

Paulinæ prædicationi quomodo resisterit Alexander.

Alexander summè impius.

lapis, & stringetur quasi malleatoris incus: Incudis quippè hoc proprium est, vt frequentibus ictibus concussa non emolliatur, sed magis induretur.

34. *In prima mea defensione nemo mihi astitit; sed omnes me dereliquerunt.*

Paulus exacto in carcere Cæsariensi biennio, quẽadmodum ex Actis Apostolicis cap. 24. constat, vinctus Romã primùm missus est, vbi duorum etiã annorum spatio moras trahens, in custodia prædicationis officium minimè intermisit. Decurrebat tum principatus Neronis annus secundus, conuersionis Pauli 21. Dominicæ passionis 25. cum sicut Cæsareæ causam suam egerat coram Felice præside; ita Romæ coram Nerone sese ita nullo præsidio humano adiutus defendit, vt ab Imperatore liber dimitteretur, qui tum temporis, tanta & tam immani crudelitate in Christianos & alios passim virtute præditos homines, vti postea fecit nondum sæuiebat. Huius defensionis hoc loco meminit, in qua & sibi neminem *astitisse*, & *ab omnibus* se *relictum* fuisse patheticè narrat, eiusdem rei duplicatis verbis. Mos enim scripturæ est, volentis rem aliquam exaggerare, diuersis sententijs idem significantibus eandẽ exprimere, quemadmodum ex diuersis locis patet 1. Reg. 3. *Indicauit ei Samuel omnes sermones, & non abscondit ab eo, &c.* 4. Reg. 4. *Ostendit ei domum aromatum & aurũ & argentum, &c. Non fuit quod non monstrasset eis Ezechias.* Item Joan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Vt enim magis comprehensio rei alicuius affirmatiuæ exprimatur, per negationem confirmari solet, & per numerum singularem.

Paulus Romæ causam egit anno Neronis 2.

Scripturæ consuetudo & loquendi modus.

Aliquando enim loquuntur homines generatim ad multitudinem significandam, quamuis non omnes partes multitudinis comprehendantur; qua etiam phrasi vtitur aliquando scriptura 1. Corinth. 9. *Omnis qui in agone certat, ab omnibus se abstinet.* Ad Philip. 2. *Omnes quæ sua sunt quærunt.* Id locutionis genus passim in sacris literis reperire est, quod non vniuersitatem omninò denotat.

Cur Paulus à discipulis derelictus.

Quod autē vel ex amicis vel ex discipulis ipsi⁹ Pauli nemo periclitāti, necessitatemq; patienti affuerit, id eius odio vel inuidia factum non est; sed supplicij potius Imperatoris sæuitia infligendi metu, & animi deiecti pusillanimitate. Tum enim Christianis tutum non erat illi suppetias ire, qui religionis Christi habebatur passim antistes acerrimusq; propagator. Hoc ipsum vt magnum miseriæ suæ grauamen sæpius repetit Regius vates Psal. 31. 87. & alibi. Quia ab ijs quos prius amicos habuimus, necessitatis tempore deseri & molestum & graue constituto in periculis accidit, quemadmodum Saulis vigente persecutione Dauidi euenit, cum nemo habere quicquam cum eo commercij auderet 1. Reg. 20 22. 23. 25. tantum abest, vt ei quispiā posset patrocinari; imò nec ipsius Saulis filius Jonathas amici causam auderet suscipere. Contigit etiam aduersus Christum publica edicta sæpius ꝓmulgari, vt *si quis eum confiteretur, extra synagogam fieret.* Ioan. 9. *Et si sciret aliquis vbinam esset, indicaret, vt apprehenderent eum.* Joan. 12. Propter eandem causam volebāt Lazarum interficere, eò quod ipsius ad mortem suscitatio, nominis Christi esset gloriosa confessio. Sic cæcus natus suū curatorem glorificans blasphemus

Ab amicis deseri magnum miseriæ grauamen.

Publica edicta contra Christū sæpius promulgata.

mus dicebatur Ioan. 9. & Nicodemus causæ Christi se patronum declarans, calumniam est ab impiis iudicibus passus, Ioan. 7. Quid quod ab hostibus suis captus Dominus in horto, ab omnibus suis discipulis & domesticis derelictus est? *Omnes enim eo relicto fugerunt*. Matth. 26. Ideo angelis interrogantibus in Ascensione: *Quare rubrum est vestimentum tuum & stola tua?* iure respondit: *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum*. Quasi partam de mundi principe eiusque sequacibus victoriam sibi vni deberi insinuaret, qui solus patiendo sine cuiusquam ope pugnasset. Huius rei typus videtur fuisse patientissimus Iob, quando cap. 6. queritur, *sibi nõ esse auxilium, & necessarios quoque suos à se recessisse*; imo à fratribus sit *præteritum sicut à torrente, qui raptim transit in conuallibus*. Quibus verbis, amicitiæ & necessitudinis legem violatam significare cupit vir iustus & patiens, cum à necessariis se vndique desertum animaduertit, opemq́; & officium in maximis suis malis & calamitatibus desiderat, videtq́ue quod propria ipsius calamitas, veteres amicos & proximos à se longissimè expulsos deterreat, qui potius subsistere firmi & constantes esse debuerant. Quocirca grauissimam sententiam subiũgens, huiusmodi desertorum culpam maximè exaggerat, dicens: *Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit*. Q. d. Qui in amici ærumnis & calamitate terretur, qui timet propius ad illum accedere, ne quid sibi mali accrescat è vicino malo, qui languescit in amici languoribus, qui non solum non erigit neque consolatur aut animos facit, non modò in amicum, sed & in ipsum Deum misericors est,

Christus passionis tempore à suis derelictus.

Iob Christi typus.

Amicum deserere, culpa grauissima.

35. Non illis imputetur.

Paulus pro suis desertoribus orat.

Optat infidam turpis fugæ culpam pauido amicorum & discipulorum gregi *nõ imputari* à Deo, hoc est, remitti & condonari percussus pastore. Hierem. 13. cum ex infirmitate potius carnis & humano timore, quam ex malitia sciat eam fuisse profectam. Id forte à B. Stephano Christi in cruce pendẽtis hac oratione imitatore, didicerat eius præcursor Saulus, cum voce magna clamantem audiuerat: *Domine, ne statuas illis* (persecutoribus Iudæis) *hoc peccatum:* Sicut enim Christi crucifixi clamor petras comminuit. Matth. 27. ita Stephani clamor lapidantibus finem imposuit: Et sicut Centurio ad Christi clamorem resipuit; eodem modo Stephani clamor Saulum permouit, seruauit ac docuit. Hoc igitur edoctus clamore Apostolus, petit sui desertorum amicorũ peccatum *non imputari*, hoc est, extra ordinem poni, nec firmo loco stare, non attendere ad id Deum studiose ac veluti cum quodam vindictæ gustu, sed *proiicere post tergum*, atq; illud *auferri, dimitti, deleri*; ita vt idẽ valeat quod precatur Apostolus, ac *Dimitte illis*. Sic enim futurum est, vt sint & dicantur *beati*, iuxta Regij vatis sententiam, quam cap. 4. Rom. in medium profert Apostolus, cum ait: *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum.* Paulina autem hæc pro desertoribus oratio ab eximia charitate profecta, excellentissimæ charitatis est signum. Sic enim de Iobo, pro sibi illudentibus amicis orante: *Certaminum,* inquit Nicetas, *munus & trophæum reportat, cum amicis veniam impetrat. Per insignis enim bonor ac dignitas, pre-*

Quid sit non imputare peccatum.

Paulina oratio, eximia charitatis signum.

tibus placatum Deum peccata illis condonare, dicente iusto: Ne statuas illis hoc peccatum. Hæc ille. Quod non ignorauit Regius vates, cum dicebat Psalm. 108. *Detrahebant mihi, ego autem orabam.* Et iterum Psalm. 34. *Cum mihi molesti essent, induebar cilicio; humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinu meo conuertetur.* Agnoscebat enim ille, in suum sinum, & in lucrum eam maximè orationem conuertendam, quæ pro illis funditur, à quibus molestiam accipias. Nam quicquid boni illi preceris, tibi precaris, sicut econtra, quicquid mali fratri moliris, in caput tuum recidit, quemadmodum idem testatur Psal. 68. cum ait: *Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum, & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.* Sic enim paruuli iaculari solent ad scopum, vt temerè & inconsideratè illum considerent, & potius id, quod minimè existimarant, percutiant & configant. *Iacula* enim *à pueris emissa*, ait Theodoretus, *nihil damni afferunt his qui petuntur, imo his qui percutere conantur.*

Pro inimicis orans, pro se ipso orat.

Simile.

Cæterùm hoc *imputandi* verbo ad suos errores contra veritatem stabiliendos, & in Catholicorum calumniam abutuntur nostri temporis Hæretici. Si enim (inquiunt illi) remittere peccatum nihil aliud est, nisi Deum non *imputare* homini peccatum; Deus in remissione peccati nullam ab homine pœnam, nullamue laboriosam satisfactionem exigit, quam tamen ad omne peccati malum prorsus exhauriendum, etiam post peccati remissionem, requirit Ecclesia Catholica. A quo enim Deus pœnam exposcit, adhuc ei peccatum imputat, cum ei illud ad pœnam imputet. Sed nullius negotij est hoc ab *imputandi*

Hæreticorum ab imputandi verbo petita calumnia refutatur.

Quatuor in peccato mortali distincta.

tandi verbo petitum cauillum refellere, vt ex quatuor, quæ in peccato mortali sunt diligẽter animaduertenda & distinguenda, fit euidens. Primum est
1. offensa & iniuria, qua quis Deum peccando afficit.
2. Alterum inordinatus peccati actus, qui semel factus
3. non potest non esse factus. Tertium turpitudo, macula, & fœditas animæ in ipsa anima inhærẽs, etiam transacto peccati actu, per quem, sublato gratiæ nitore, animus fœdatus inquinatur. Quartum est rea-
4. tus æternæ damnationis & pœnæ, cui ob peccatum mortale admissum redditur homo obnoxius. Ab

Ex his modis, varia Scripturæ phrases.

his quatuor, ortæ sunt variæ de peccatis in Scriptura phrases, vt iam, iuxta primum, dicantur *peccata* à Deo *remitti*, sicut homo homini remittere dicitur offensam & iniuriam sibi ab eo illatam: Iam, iuxta alterum, *tegi*, & *operiri*, eo quod ea Deus non videat ad puniendum; quo pacto Salomon Prouerb. 10. & D. Petrus, 1. epist. cap. 4. ab vna *charitate vniuersa delicta tegi & operiri* dixerunt: Iam iuxta 3. *mundari, lauari* & *abstergi à peccatis*: Iam denique, iuxta quartum *non imputari*, ideo videlicet, quod Deus auferens ab homine peccatum, eundem non amplius destinet & addicat æternæ pœnæ. Ex quo patet, peccata dici

Quomodo peccata non imputari dicantur.

non *imputari* homini quantum ad culpam, quæ facit hominem inimicũ Dei & auersum à Deo; & quantum ad reatum æterni supplicij, cui se per peccatum obnoxium reddit homo; non autem peccatum non *imputari* quantum ad pœnam quampiam temporariam, vt impiè volunt Hæretici. Hoc tamen intelligendum est de remissione peccati quæ fit per Sacramentum pœnitentiæ, cum in Baptismo plenissima fit peccatorum remissio, sine vlla satisfactione; de

qua

qua remiſſione forſitan loquitur Ambroſius in epiſt. ad Rom. cap. 5. cum *ad impetrandam peccatorum remiſſionem, nulla* dicit *requiri à peccatoribus pœnitentiæ opera, niſi vt credant.*

36. *Dominus autem mihi aſtitit, & confortauit me.*

Quo magis in huius vitæ ærumnis & perſecutionibus deſtituuntur homines iuſti humanis auxiliis, eo maiora diuinæ opis præſidia ſentiunt & experiuntur; ideo dicebat pſalmographus Pſalm. 36. ſe *non vidiſſe iuſtum derelictum*, nempe à Deo. *Fidelis enim eſt Deus, adiutor in opportunitatibus & tribulatione, qui ſuos non tentari patitur vltra quam poſſint ferre, cum* dixerit; *non te deſeram neque derelinquam*, Hebr. 13. & Pſalm. 90. *Quoniam in me ſperauit, liberabo eum, protegam eum quoniam cognouit nomen meum. Qui namque deridetur ab amico ſuo ſicut ego,* ait Iob, *inuocabit Deum & exaudiet eum,* quemadmodum Pſalm. 4. ſibi contigiſſe dicebat: *Cum inuocarem exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ, in tribulatione dilataſti mihi.* Quaſi diceret, ſibi clamanti, Deū reſpondiſſe, affuiſſe, ſua ope & præſentia oſtendiſſe iuſti clamorem exauditum, votis & poſtulatis ipſius ſatisfactum: Et quem abiiciunt alij, non ſolum ipſe ſit ſuſcepturus, ſed & in fidem ſuam recepturus, quā amicorum infidelitas prodidit. Hæc autem quæ ſæpe habetur in Scriptura *exauditio* ſiue reſpondendi formula, non verbis ſolum, ſed verius reipſa atque auxilio fit. Hominum namq; iuſtorum, hoc eſt proprium, ad diuinam opem in extremis neceſſitatibus confugere, cum reſpicientes ad humanam, nullam repererunt, quemadmodum vnico amicitiæ exem-

Derelictis adeſt Deus.

Iuſtorum proprium, in calamitatibus ad Deum confugere.

plo suorumque amicorum perfugio probat Iob in tanta humanæ amicitiæ vanitate atque perfidia. Succedit enim Deus, qui est ex animo amicus vereque beneuolus, hominum infidelitati & falsis fratribus. Vnde suo iure diuinam opem, diuinique nominis gratiam conciliare conabatur qui dicebat, Psal. 24. *Quia vnicus & pauper sum ego.* Adest enim solitario pauperi, & ab omni amicorum præsidio destituto, atque illius cura tangitur, cuius neminem cura tangit. Cum enim amici alij facile abeant, atque rupto amicitiæ fœdere atque vinculo discedant, præstat illius, qui nunquam amicitiæ fœdus violabit, gratiam inire, & ei adhærere, qui nunquam suo loco & constituto fœdere mouebitur, sicut bene expertus canebat Psalm. 72. Regius vates: *Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.*

Deus, verus amicus.

Illud autem circa hanc *assistentiam* diuinam obseruandum est, cum defensio quasi bellica agitur aut diuina protectio, Deum semper in Scriptura à dextris hominis constitui. Est enim latus dextrum commodius propugnāti & defendenti, cum & ipsum sinistrum quod infirmius est, à manu & brachio dextro protegi soleat. Hinc illæ de Deo sententiæ Psalm. 129. *Dominus protectio tua super manum dexteram tuam.* Et Psal. 109. *Dominus à dextris tuis confregit in die iræ suæ reges.* Et iterum Psal. 118. *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear.* Et Psalm. 15. *Astitit à dextris pauperis, vt saluam faceret à persequentibus animam meam.* Vnde dici potest Deus stipator, vt qui iuxta se habeat imbecillum hominem, quem scuto protegat & vibrato gladio manu dextra propulsatoq; hostium impetu, tutum & securum reddat. Quidni n. in tuto sit, *qui habitat in adiutorio*

Deus semper à dextris nunquā à sinistris constituitur, & cur.

Deus stipator hominum.

iutorio altissimi, & in protectione Dei cæli cõmoratur? Psal. 90. Quare, si non stipator Deus sed hostis aliquis dicatur esse à dextris hoĩs, subiectionẽ quandã affert & pmissam hosti potestatẽ nocendi, cũ homo sit futurus inermis & intectus. Sic n. dicitur is, cui nullus adest ,ptector aut latero, queadmodũ Psal. 108. declaratur, cũ *Constitue*, inquit Regius vates, *sup eum Rectorem; & diabolus stet à dextris eius*. Superat n. & eminet loco, oportunitateq; vel nocendi vel defendẽdi, qui stat à dextris; ideo eundem tanq̃ oportunũ nocendi locũ occupare nititur Sathanas, iuxta illud Zachar. 3. *Sathan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei.* Quare, cũ sibi in suis tribulationibus *astitisse* dicit Apostolus, ad Dei leuam se collocat, ita vt ipse sit ad suam dextrã, locum vtpote in bello & securiorem & tutiorem. *Quid sit à dextris esse.*

Iustis autem suis in tribulationibus positis ideo *assistit* Deus, quod iucundissimum sibi spectaculum præbeatur ab eo, qui cum calamitatibus, ærumnis, doloribus, cruciatibus luctatur, seque victorem atq; superiorem singulari virtute præbet. Vnde Antonio athletæ fortissimo conquerenti, quod solus in periculosissimo certamine relictus esset: *Vbi,* inquit, *eras Domine?* respondit patronus atque spectator antagonistarum omnium Deus: *Hic aderam astabamque tibi spectator tui certaminis, atque virtutis tuæ coronator.* Sic montem Moriam *theatrum* rectè quis dixerit, in quo spectaculum exhibitum est Deo spectãti sacrificium Isaac, quod ab Abrahamo parabatur; ideo appellatus est locus ille *Dominus videns* Genes. 22. Sicut enim Romani quondam Imperatores immanes belluas vndique conquisitas publico sumptu alebant, vt ludos exhiberent, quibus ita delectabantur, vt prima *Cur Deus suis in tribulationibus positis assistat.* *Simile.*

ipsa luce ad spectaculum descenderet: Sic Deus impios homines in hoc mūdo, velut in cauea feras continet, Dæmones & tyrannos rugire velut leones permittit, vt ludorum spectaculo sibi ipse delectetur. Vnde Augustinus: *Omnis, inquit, malus, aut ideo viuit vt corrigatur, vt ideo viuit, vt per illum bonus exerceatur.* His tamen persecutoribus ac dæmonibus non obiicit Deus vilissimos gladiatores aut nefarios homines, vt olim Romani; sed optimos & fortissimos quosque, sed vitæ æternæ præmio dignissimos: Quibus obiectis; *Quiescam,* inquit Deus, *& considerabo in loco meo; sicut lux mediterranea clara est, & sicut nubes roris in die messis.* Q. d. In solio meo sedebo spectaturus gentem conuulsam & dilaceratam cum calamitatibus hostibusq; depugnantem; cui post calamitatum & ærumnarum nubem atq; tempestatem, lucem & serenitatem afferam, & post pugnādi æstum suauissimum rorem & præmia amplissima demetendi facultatem.

Iustus afflictus, gratissimū Deo spectaculum.

Quare incredibili ex illo certamine lætitia perfusus, suos vt diutius perdurare in certamine possint, *confortare* ac corroborare solet Deus. Vnde Paulus non solum in necessitatibus sibi Deum affuisse, sed & ab eodem simul fuisse *confortatum,* id est, ex alto latenti protectionis & obumbrationis ipsius virtute indutum; qua tum posset calamitates viriliter sustinere, tum tribulationibus resistere. Cum enim animus, iuxta Chrysostomum, semel mœrore affectus nihil commode possit audire, quadam silentij suauitate iis sæpe declarat Deus, qui sunt in ægritudine, nullam principio aptiorem esse medicinam quam quietem & quandam ab omni verborū strepitu

Suos in tribulationibus positos confortat Deus.

Quid sit confortare.

pitu libertatem, quam in se Regius vates experiebatur, cum Psalm. diceret: *Secundum multitudinem dolorum meorum consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Ob simile consolationis genus 2. Corinth. 1. Deo gratias agens Apostolus: *Benedictus*, inquit, *Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, &c.* Est namque, vt alibi dicit D. Thomas, miseris imprimis delectabile, sumere actuale experimentum de vera amicitia per certa verissimaque signa, nullis etiam verbis adhibitis. Et quidem forte angelus qui Christum Dominum in horto orantem *confortabat*, ea potissimum ratione consolabatur; non quidem verbis vllis, sed quadam assistentia & societate, tum etiam consideratione atque ponderatione eorum, quibus Christi anima mœroribus angebatur. Adde etiam habitu gestuque simili assumpto, vt Christo assertore flectente genua, ille etiam flecteret, & cum humo prostrato se quoque prosterneret: Quæ omnia amicitiæ & solatij officia in discipulis desiderabat Dominus. Neque enim verba à Petro consolationis requirebat, sed attentam vigilantis animi considerationem & societatem quandam mœroris, atq; doloris, quemadmodum verba Christi, Matth. 26. indicant. *Sic non potuistis vna hora vigilare mecum, &c.*

Christus in monte oliueti quam ab angelo confortatus.

Solenne est autem iustis hominibus & maximè regio vati Deum suam vocare *fortitudinem* Psal. 30. 117. eo quod per eius corroborationem se propugnari & ab inimicis fieri saluos ipso experimento sentiant. In quam sententiam dictum est ab Ezechiele cap. 3. *Manus Domini erat mecum me confortans.* Vires enim armaque contra hostes suppeditat Do-

Sancti, suam fortitudinem cur Deum vocent.

minus spiritualia iustis, vt in omni bono confirmati, nunquam à sua fortitudine deficiant, sed peccatorũ, qui prima facie terribiles videntur, brachia conterant Psal. 36: *Brachia peccatorum conterentur. Confirmat autem iustos Dominus, bonus* videlicet *& confortans, & sciens sperantes in se*, sicut Nahum cap. 1. scriptum est: Vbi de Judæorum consolatione loquens, eosdem hortatur, ne desperent, etiamsi videant potentissimum hostem captis Judææ vrbibus in Jerusalem copias ducere; quia, inquit, *Deus scit sperantes in se*, hoc est, illis bene faciet, eos proteget, defendet & consolabitur. Q. d. Nolite timere Assyrios; confidite in Domino & in eo spem vestram reponite, nunquam deseret sperantes in se. Quo pacto supra cap. 2. dictum est: *sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognouit Dominus qui* sunt sui, id est cognouit & cognitos seruabit, ne pereant. Et Matth. 6. *Scit enim pater vester quia his omnibus indigetis*, *id est*, scit & non patietur vos egere necessarijs, quia *dat cum tentatione prouentum vt possint sustinere*. 1. Cor. 10. vocatur totius *consolationis Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra*. Quæ causa est, quod Matth. 10. vetet à fidelibus iustis *eos timeri, qui occidunt corpus, cum vltrà nihil possint facere*. Destinat enim sæpenumero præsidia angelorum, quibus de singulis *mandauit, vt eos custodiant in omnibus viis suis, eosque in manibus portent, nequando offendant ad lapidem pedem suum*. Psalm. 90. Cuius illustre est exemplum Helizæi, qui 4. Reg. 6. metuenti puero dicebat: *Noli timere, plures nobiscum sunt.*

Deus fortitudo fragilium.



37. *Vt*

37. *Vt per me prædicatio impleretur & audiant omnes gentes, &c.*

Cur tantam salutis suæ curam contra fidei hostes diuina prouidentia gesserit, causam reddit, nempe vt cœpta per ipsum prædicatio fœlici terminaretur exitu, & omnes gentes ad salutarem fidei auditionem non modo prouocaret, sed & ipsa fidei veritas in audientium animis eiusmodi radices se concionante ageret, ex quibus ad communem fidelis populi cœtum, magnus pietatis iustitiæ & totius virtutis redire prouentus posset. Nam Paulus tanquam singulare *vas* in eum vsum à Deo selectus erat, Christi *nomen vt coram Gentibus, & regibus, & filiis Israël portaret*, id est, vt de Christo constanter loquens, primus Regum auribus illius fidem & nomen & doctrinam obtruderet. Ad hoc enim peculiariter extra cæterorum Apostolorum ordinem fuerat vocatus, vt sibi impositum onus nominis Christi euulgandi impigrè ac fideliter exequeretur. Hinc est quod alibi *væ* seu periculum sibi dicat imminere, *si non euangelizauerit*. Quemadmodum enim qui alicuius obligationis onere grauatur & constringitur, obligatus etiam manere solet ad illius rei dispédia & laborem; ita de Paulo portaturo Dei nomen subiecta est Act. 9. quasi portandi explicatio & ratio: *Ego ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Sicut etiam prophetandi prouinciam veteris testamenti vates vocabant onus: ita Paulus euangelizandi munus assumens, dicitur illud *portare*, vt videatur etiam super se pondus & obliga-

Paulus, vas singulare ad Christi portandum nomen electus.

Simile.

Quid sit, portare nomen alicuius.

obligationem suscipere, tum diuinæ legis prædicandæ & tuendæ, tum & pro illa opprobria & iniurias sustinendi. In qua significatione Job cap. 27. *assumens parabolam suam dixit se* ita diuinæ potentiæ & suæ causæ manifestationis & defensionis onus & obligationem super se accipere, vt paratus sit de omnibus rationem reddere.

Quibus gentibus liberatus prædicarit Paulus.

Quibus porrò gentibus primis suis vinculis solutus prædicauerit Apostolus, vt suæ prædicationis cursum posset implere non est facilè definire. Varias regiones peragrasse, vel nouas adeundo, vel quas antea iam doctrina Euangelica imbuerat reuisendo & confirmando, non modo hic aliique Pauli loci, sed & antiquissima traditio, & concors Doctorum sententia faciunt testatum. Vnde Eusebius, lib. 2. suæ hist. cap. 21. ita scribit: *Fælici successit Festus: sub cuius præfectura cum Paulus ibi causam pro se egisset, vinctus Romam ducitur, & biennio Romæ in custodia mansit, liber tamen ad prædicandum Euangelium, vt Lucas ait; quo tempore librum de Actis Apostolicis finiuit, cum vltra id temporis historiam non produxerit: Paulus verò cum pro se in iudicio respondisset, traditum est, eum ad Euangelium passim prædicandum se denuò recepisse, &c.* Cui consentiens Hieronymus, in Paulo, posteaquam eadem ferè retulit quæ Eusebius, subdit, *à Nerone Paulum dimissum, Euangelium Christi in occidentis quoque partibus prædicasse.* Caietanus tamen, ex illis Pauli verbis, quibus *penulam à se Troäde relictam, &c.* significat, probabiliter argumentatur eum vinculis liberatum, Græciam & Asiam reuisisse. Quod tamen de Epheso & Ephesina Ecclesia accipi non debet, propter id quod vocatis ad se Mileti Ephesinæ Ecclesiæ

Paulus Græciam & Asiam reuisit.

clesiæ natu maioribus, asseueranter & pro certo prædixit nunquam eos amplius visuros ipsum. *Et nunc ecce scio*, inquit, *quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transiui prædicans regnum Dei.* An verò tunc in Hispaniam quoq; profectus fuerit, nonnullis negantibus, affirmatiuam sententiam non modò probabiliorem, verum etiam propemodùm certam & indubitatam censet Pererius, in cap. 15. epist. ad Rom. disp. 1. In cuius confirmationem plurimorum & antiquissimorum doctrina, simul & sanctitate præstantissimorum Patrum consensum refert.

Paulus in Hispaniã profectus.

38 *Quia liberatus sum de ore leonis.*

Leonis vocabulo Nero intelligendus.

Leonis vocabulo, ob insignem crudelitatem & sæuitiam, Neronem intelligit, post Eusebium, Chrysostomum, Theophylactum, communis interpretum sententia, ex cuius *ore* se dicit ereptum Apostolus, quia ad modum leonis cœperat tyrannus ille os suum aperire ad deuorandum Romæ Paulum, quem tanquam prædam iam vnguibus premebat, suoque rugitu terruerat, quasi innoxium animalculum paulò post perdendum ac commolendum. Licet enim *leo* perpetuæ vigiliæ symbolum in principe, regalibus virtutibus magna mititate, pietate, liberalitate, vincendi studio, iustitia, vigilantia, fortitudine, corporis totius habitu incessu, oculis, pectore per magnificis sit præditus; integram tamen tyranni principis familiam, *leonis* principis animalium, leænæ vxoris, leunculorum filiorum nominibus non semel significant sacræ literæ. Sic Nahum cap. 2. de rege Assyriorum: *Leo*

Leo crudelitatis & tyrannidis symbolum.

cepit sufficienter catulis suis, & necauit leanis suis, & impleuit præda speluncas suas. Et iterum, Ezechielis decimo nono: Vbi fortasse *leana* nomine synagogam intelligit Propheta, parentem atque nutricem principum inhumanissimorum, & syluam altricem ferarum; Eodem modo pro principe crudeli vsurpatur *leonis* nomen, Ezechiel. 32. & 38. *Negotiatores Tharsis & omnes leones eius.* Et in Psalm. 33. vbi habetur; *Diuites eguerunt & esurierunt*, D. Hieronymus ex Hebræis legit, *leones*. Ferarum autem Regem leonem tyranumue esse, ex illis potissimum notis docent periti naturæ: pectore, genibus, incessu, saltu, celeritate cursus, visu, iuba, ore cataphracto, firmis lateribus, neruis solidis, magnis vnguibus; atque ex eo potissimum tyranni referunt leones, quod vt Aristoteles scribit, adeunt vrbes & iniuriam hominibus leones inferunt, præsertim tempore suæ senectutis: Tunc enim per corporis imbecillitatem, & dentium defectum venari nequeunt. Quam leonis tyrannidem eleganter describit Basilius homil. 9. Hexam. *Vna*, inquit, *cum leone animositas, & ad incandescentiam iræ propensio illi agnata est, vita solitaria, expers societatis ad ea, quæ genus subeunt idem. Velut enim tyrannus quidam animantium rationis expertium, pares honores, congressionesque cum cæteris non acceptat, sed aspernatur.* In quibus verbis expressam tyranni principis imaginem contineri, nullus non videt.

Leo ferarum rex & tyrannus.

Leonis crudelitas descripta.

Nero cur Leo dictus.

Nec tantum propter tyrannidem, quam in Christianos exercebat, *Leo* dici potuit à D. Paulo crudelissimus Nero, sed etiam ob truculentam

tam ac horrisonam vocem, trucem oris speciem & immanem conspectum. Non enim solum in principe damnari possunt os cruentum, & noxij vngues, quibus ad innocentium & egenorum deprædationem & tyrannidem vtitur, sed ipsum etiam rugire, frendere, dentes exerere, siue ipse rugitus leonis, vox leænæ, dentes catulorum leonis. Prouerb. 28. *Leo rugiens & vrsus esuriens, princeps impius super populum suum.* Æque enim nociuum, aut etiam immanior est rugitus aut dentes vrsi; id est, vocis asperitas & terror, ac ipsa dentium ac vnguium immanitas Prouerb. 19. *Sicut fremitus leonis, ita & ira regis*, id est, vox & facies irata.

Truculentus aspectus in principe damnatur.

Sunt nonnulli qui per huius loci *Leonem* vel Festum præsidem, de quo Act. 24. 26. vel ipsum Diabolum intelligant omnis mali artificem; de cuius *ore* se ereptum dicit Apostolus, quod occasionem non inueniens, qua se deciperet, pressuras, seditiones & pœnas incitare solebat; quemadmodum Actor. 13. videre est. *Et hoc, vt si*, inquit Ambrosius, *non quasi peccator, vel quasi iustus, de hac tamen tolleretur vita, ne multos hortaretur ad fidem. Quod cum prope impleret*, (captus videlicet ab immanissimo principe Nerone) *Dei prouidentia liberatus Apostolus, insultat illi, infirmum illum testificans, quia de ore eius ereptus est. Vnde quod cupiuit implere non potuit. Igitur Dei auxiliis morti se ereptum gloriatur.* Hæc Ambrosius. Nec est scripturæ insolens hæc *leonis* pro Diabolo acceptio, cum haud infrequenter diabolum *leone*, furorem ac crudeli-

Leonis nomine diabolus significatur.

Diabolus in scriptura Leo sæpe dicitur.

statem rugitu soleat significare. Est enim rugitus famis & crudelitatis certum in leone indicium. Dicitur namque rugire, vel cùm prædam nanciscitur, sicut Esai. 31. *Quomodo si rugiat leo & catulus leonis super prædam suam.* Amos 3. *Nunquid rugiet leo in saltu nisi habuerit prædam* Ecclesiast. 51. *A rugientibus præparatis ad escam.* Vel rugiunt quando fame stimulantur, vt est apud D. Petrum 1. epist. cap. 5. *Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* De quo sic scribit Basilius homil. 9. Hexam. *Tanta illi vocis eliciendæ natura præstitit instrumenta; vt animantium complura longè ipso celeriora, solo sæpe rugitu capiantur. Inter edendum igitur, vel cum esurit rugit leo, tuncque ferocissimus est; at iam pastus & fame vacans facilis mitisque est.* Diabolus verò leonis instar famescit, sitit hominum sanguinem; in illa quoque re leone deterior, quod ille satiatus mitescit, (vt præter Basil. etiam Arist. Plinius, Ælianus testantur) ille verò semper rugiens, semper famescens, plenus semper, semperq; ieiunus & inexplebilis sit.

Diabolus leone crudelior.

Quapropter, de potentissimi & crudelissimi tyranni faucibus ereptum se dicit Apostolus, vt declaret quantæ sit Deo curæ iustorum suorum salus, vita, incolumitas. *Pretiosa siquidem est in conspectu Domini mors sanctorum eius*, ait Regius vates Psalm. 115. *Pretiosam* dicit, id est, raram, eo quod rarò hostium immanitati suorum vitam eripiendam relinquat. Cruciandos quidem, affligendos, vexandos, sæpe, vt ex hac epistola fit euidentissimũ; at occidendos, & penitus de medio tollendos rarò permittit, & hoc quidem non nisi pro ingenti quodam quasi

Sanctorum mors rara & pretiosa apud Deum.

 pretio

pretio & bono vel suæ Ecclesiæ, vel diuinæ gloriæ, vel ipsius etiam iusti meritorum & honorum lucro ex morte consequuturo. Quod attestatur Psalmographus, Psalm. 71. cum à violentia & oppressione tyrannorum, animas iustorum seruandas Dei ope & fauore prædicit: *Ex vsuris*, inquit, id est, dolo, fraudibus, insidiis, vitæ discriminibus, *& iniquitate*, hoc est, manifesta violentia, *redimet animas suorum* iustorum. Causamque subiungens: *Et* (id est) quia *honorabile nomen eorum coram illo*, vel vt Hieronymus ex Hebræo, *pretiosus sanguis illorum coram oculis eius*. Non enim facile illorum sanguinem profundi patitur, nec permittit impunè abire, qui illum profuderit.

39. *Et liberauit me Dominus ab omni opere malo.*

Huius loci paraphrasis.

Græci & plerique Latini, verbum *Liberandi*, interposita coniunctione copulatiua *(&)* in futuro legunt, hunc sensum facientes: Dominus, qui ante decem annos *liberauit me de ore leonis*, & in posterum *liberabit ab omni opere malo*, ne in confessione scilicet, & propagatione fidei nutem, minisq; aut suppliciis vllis cedam; sed in Apostolicæ confessionis petrâ solidatus, nullis prorsus perturbationibus concutiar, quin potius *ad cauernā laci vnde excisus sum* attendens, & in timore Domini persistens, nihil designem, q; Dei oculos aliquo modo offendat. Vbi notanda est D. Pauli de propriis viribus diffidétia, & firma eiusdem in Deum confidentia, qua sibi de eiusdem protectione, & *ab omni malo* liberatione, &c. nihil non pollicetur. Ea namque humanæ virtutis imbecillitas est, vt de salute sua, sine Dei auxilo, nihil sibi quis

Humanæ virtutis imbecillitas.

promittere queat, cùm neque à volente, neq; à currente, sed à miserente Deo dependeat salus. Quam ob causam toties hortatur credentes Apostolus, vt *qui stat, videat ne cadat*. Vnde illi duntaxat, qui ex vera fide sunt iustificati, *pacem ad Deum habent, per Dominum Iesum Christum, per quem habent accessum per fidem, per gratiam istam, in qua stant, & gloriantur in spe gloriæ filiorum Dei*. Rom. 5. Sicut enim per Christum adepti sunt gratiam iustificationis, cum Deo essent antea inimici; ita per eundem multò magis sperant omnium virtutum spiritualium armorũ præsidia, quibus sic possint carnis, mundi, & Diaboli laqueos euadere, vt nullis aduersis rebus à recti bonique tramite dimoueantur. Fides enim in qua *stant*, siue constanter perseuerãt, medium quoddam est, per quod iusti effecti, de Dei bonitate tam bene sentiunt; & est organum quoddam, per quod virtus sanguinis & mortis Christi ad eos deriuatur; cuius efficacitas tanta est, vt etiam in ærumnis & tribulationibus glorientur, *scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem*, qua animus in Christo acquiescens, confidit Deum patrem in quem credit, & cuius voluntati obsequitur, perpetuo sibi futurum adiutorem & protectorem.

Iustorum spes.

Obseruatio circa hunc locum.

Recte porro Chrysostomus & Theodoretus obseruant, cum Paulus paulò ante de primis vinculis loqueretur, dixisse; *Liberatus sum de ore leonis*: loquens vero de secundis vinculis dixisse: *Liberabit me Dominus ab omni opere malo*; non dixit; *de ore leonis*, quia tunc à Nerone occisus est. Sic enim Theodoretus: *Non dixit*, inquit, *liberabit me rursus à leone, sed*

ab omni opere malo; sciebat enim fore, vt vitæ omnino finem caperet. Quod ipsum explicatius videtur innuisse Chrysostomus. *Quomodo dicit; liberabit me siue eruet me; cum paulò ante dixerit; liberatus, siue ereptus sum de ore leonis? Sed prius dixit; eripuit me de ore leonis; postea vero dixit; liberabit, siue eruet me, non iam ex ore leonis, sed ab omni opere malo.* Q. d. Tunc periculis à Deo liberatus sum vt ministerium prædicandi Euangelium implerem; quando autem satis iam Euangelio factum est, eripiet me Dominus ex omni peccato (id enim appellat *opus malum*) nec permittet vlla cum reprehensione ex hac vita proficisci. Nam posse vsque ad sanguinem stare aduersus peccatum, nec cedere, quid aliud est, nisi à crudeliori leone, videlicet Diabolo, eripi. Maior itaque salus erit quam prior fuerat.

39. *Et saluum faciet in regnum suum cæleste.*

Tanta spei Christianę est magnitudo, vt non solum cælestium bonorum æternæq; hæreditatis spe (quam à Deo sibi promissam expectat) Paulus lætetur, sed vt omnia quæ sibi accidunt aduersa infracto corde perferens, rerum tristium acerbitate glorietur, adeo vt quod de Romanis quidam non inscitè dixit, id sanè de Christianis ex Paulo multo verius dici possit: *Et facere & pati fortia, Christianum est.* Frequenter Apostolus de malis, quæ hac in vita patiebatur, gloriam quærebat, quod per ea mirum in modum spes ipsius vegetata roboraretur, quam habebat æternæ hæreditatis & gaudij cælestis, quemad- *Christiana spei magnitudo.*

modum

modum cap. 5. ad Rom. probat ea figura, quæ dicitur à Græcis Climax, à Latinis Gradatio, de qua disserit Augustinus lib. 4. de doctr. Christ. cap. 7. Qui enim longa experientia didicit & sensit, quod nullis rebus aduersis à diuinæ legis obseruãtia & virtutum cultu deduci queat, vehementer in spem vitæ cælestis erigitur, & magnã de ea spem habere dicit, quod ad Dei hæreditatem sit admittendus, quia per tribulationes diu multumque probata spes, nequaquam potest confundere, siue pudore afficere, quasi quæ sperãtem frustretur ac fallat. *Nihil enim est*, ait Chrysost. *quod adeo nos ad bonorum spem erigat & confirmet, quam bona conscientia.* Nullus enim eorum, qui vitam iustè & sanctè exegit, de futuris bonis diffidit: Contra vero plerosq; videas, qui scelerum suorum conscientia stimulantur atq; fodiuntur, quibus nec futura improborum condemnatio, nec bonorum remuneratio credibilis fiat.

Bona conscientia spem erigit.

Caroli.
Non solis Dei promissionibus Christiana spes nititur.

Ex quibus fit euidens, non solis Dei promissionibus spem nostram niti aut roborari, sed bonæ cõscientiæ testimonio, patientiæ probatione, & longa tribulationum tolerantia. Vnde non immerito beatum illum virum prædicabat D. Iacobus cap. 1. *qui suffert tentationem, quia cum probatus fuerit*, ait, *accipiet coronam vitæ, quàm diligentibus se Deus promisit.* Et Dominus Matth. 5. *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.*

In regnum, pro in regno positũ.

Illa Pauli verba *in regnum suum cæleste*, Græcismũ sapiunt, qui solet vsurpare præpositionem Græcam εἰς quæ coniungitur accusatiuo, pro præpositione ἐν, quæ Datiuo apud Græcos, Ablatiuo apud Latinos iungitur. Cui simile est quod Ephes. cap. 4. scriptum est:

est: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* Vbi per diem redemptionis intelligit diem regenerationis per baptismum. Vnde hoc loco *saluum facere in regnum cæleste,* positum est pro *in regno cælesti.*

Regni porro *cælestis* nomine, bonis omnibus cumulatam felicitatem intelligit Apostolus, quam qui consequuntur, demum dicuntur fieri salui. De hoc regno Matth. 26. cap. loquens Dominus: *Venite,* inquit, *benedicti patris mei, percipite regnum paratum vobis à constitutione mundi.* Idem regnum sua peccata admirabiliter recognoscens, à Domino petebat latro Lucæ 23. in hunc modum: *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Cuius etiam Ioan. cap. 3. meminit Dominus, cum Nicodemo: *Nisi,* inquit, *quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et Apostolus Ephes. cap. 5. *Omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.* Regnum enim Christi, cæleste est, nec cum fluxo, mobili & fallaci mundo aliquid commune habet Ioan. 18. sed eis dũtaxat patet, qui, iuxta eiusdem Domini sententiam, *ex veritate sunt, eiusque* (veritatis) *vocem libenter audiunt,* hoc est, qui tum recte agere desiderant & student, tum secundum iustitiam & veritatem operantur. Iis, inquam, regni gloriæ (quod perfectũ & summè lucidum est) lumen perpetuum præparatur; quæ cum ipsis semel illuxerit, firmi ac stabiles perpetuo consistent. Et hoc regnum *vita æterna* in Scriptura ideo dicitur, quod regni illius beatitudo nullo temporis termino finienda sit, cum aliquis eam semel fuerit consecutus;

Regni cælestis nomine, quid hic intelligendum.

Christi regnũ.

Dei regnum cur vita æterna dicatur.

tus; quoniam fœlicitas ex omnibus bonis sine vlla mali admistione cumuletur; quæ cum hominis desiderium expleat, in æterna vita necessariò consistit. Neque enim potest beatus non magnopere velle, vt illis bonis, quæ adeptus est, sibi perpetuò frui liceat. Quare nisi ea possessio stabilis & certa sit, maximo cruciatu timoris angatur, necesse est. Si enim in maximis bonis, quæ natura expetuntur, vitam ponimus, cur eo summo bono quod vitam æternam dicimus, beatitudinem non finiamus, quæ vt malorum omnium liberatione, ita bonorum omnium adeptione constat, quemadmodum in sacris literis videre est Apocal. 7. & 21.

Regnum calorum necessario æternum.

40. *Cui gloria in sæcula sæculorum Amen.*

Iustorum in Deum confidentia.

Iustis hominibus, suis viribus diffidentibus, consuetum est: se totos diuinæ benignitati committant, minimè dubitantes, quin is ipsos paterna illa sua & admirabili charitate complexus, abundanter iis omnia sit suppeditaturus, quæ sunt ad vitam & salutem necessaria. Hinc ad agendas Deo gratias frequentius se conuertunt, quantas animo maximas capere possunt, quantas oratione complecti. Cuius luculentum regius vates exemplum Psalm. 7. dedit, qui cum precationem ita instituisset: *Saluum me fac ex omnibus persequentibus me*, hoc est (vt etiam hic ait Apostolus) libera me ab omni opere malo; sic orationem illam absoluit: *Confitebor Domino secundum iustitiam eius, & psallam nomini Domini altissimi.* Eodem modo diuinæ bonitatis non dubia spe fretus Paulus,

ver-

verbis ad Dei laudem, (quæ latriæ & religionis est propria) pertinentibus Deo gratias agit, quasi beneficia, quæ expopoſcerat, iam reipſa obtinuiſſet. Ideo *gloriam* eidem reddit & humiliter precatur, non quidem faciendo in Deo aliquid, ratione cuius glorioſus ſit, ſed Dei claram noticiam & celebrem eius cognitionem, & in ſe concipiendo, & apud alios proferendo. Quo pacto Exod. 15. cap. *Deus meus est*, dicebat Moyſes, *& glorificabo eum.* Iob. 11. *Glorificauerunt Deum ipſe & vxor eius:* Et Dauid Pſalm. 21. *Vniuerſum ſemen Iacob glorificate eum.* Gloria hæc humana erat, quam Deo ipſi offerebant, & qua alios ad eandem offerendam inuitabant. Vocabuli ſiquidem *Gloria* imprecatio, quædam laudis confeſſio eſt, qua Deum gloria, veneratione, celebritate, laude, gratiarum actione dignum enunciamus. Vnde cum Paulus gloriam Deo precatur, eum quoad ſe, & quoad creaturas, glorioſum confitetur, & affectu ſe conſentire & gaudere pronunciat, vt talis gloria ſit Deo, taliſque ſit Deus, qualis verè eſt. Hanc porro gloriam Deo optat verbo optandi; *Amen*, Paulus euenire, *in ſæcula ſæculorum*, hoc eſt, vt ita duret, vt duratio nullum habeat finem, quemadmodum notat Auguſtinus, libro vigeſimo ſecundo, de ciuitate Dei, capite vigeſimo tertio dicens, ſignificari his verbis geminatis in Scriptura, quod finem non habet durationis, vt etiam aduertit Origenes Roman. 1. Voce Hebræa *Amen* (vt diximus) quam LXX. per verbum *fiat* reddunt, ſuum conſenſum & ſuam optationem declarat, quaſi exprimat ſe optare,

Cur Deo gloriam precetur Apostolus.

Gloria vocabulo quid intelligendum.

Gloria æterna.

Vox Amen, quid importet.

ex parteque sua consentire, vt Dei gloria nunquam deficiat de ore vllarum creaturarum. Et licet vox *Amen* sæpe affirmantis & asseuerantis sit; & verè significet, vt patet in multis Euangelij locis, vbi loquens Christus, dicit: *Amen Amen dico vobis,&c.* hoc tamen loco est optantis. In qua significatione Psalm. 40. sumitur: *Benedictus Dominus Deus Israel à sæculo & vsque in sæculum Amen, amen.* LXX. reddiderunt, *fiat, fiat.* Et Psalm. 71. *Replebitur gloria eius terra, fiat fiat*, pro quo est *Amen Amen*, in quibus locis semper est optãtis. Ad eum modum cap. 1. Apocal. Christo Domino Ioannes optans *gloriam & imperium in sæcula sæculorum Amen*, se desiderare & vehementer petere significat, vt Christus ab omnibus colatur atque in omnibus per fidem & charitatem imperium obtineat; hoc est, vt ipsum vniuersi glorificent atque vt regem ac principem vniuersi recipiant, summoque amore & honore prosequantur.

Amen, quid hoc loco.

41. *Saluta Priscam & Aquilam & Onesiphori domum.*

Verbum Græcum ἄσπασαι, quo vtitur hoc loco Paulus ad salutem Priscæ, Aquilæ, & Onesiphori domui impertiendam, apud profanos authores pro salutatione per oscula & amplexus fieri solita non raro accipitur; cum verbum Græcum idem sonare videatur, ac ad seipsum trahere & complecti. Quem per oscula salutandi morem, plurima SS. literarum exempla frequentem demonstrant, vel amoris, vel honoris testificandi gratia. Vnde sponsa tantopere osculum oris expetit Cant. cap. 1. & Christus negatum sibi à Simone subqueritur Luc. 7. & Paulus (sicut

Græcum verbum ἄσπασαι apud profanos, quid.

Antiquus mos per oscula salutandi.

ut & Petrus 1. Pet. 5.) toties hortatur absentes, vt sese consalutent *in osculo sancto.* Rom. 16. 1. Cor. 16. 2. Cor. 15. 1. Thess. 5. & benignus pater prodigum filium resipiscentem, cadens in eius collum pro salutatione osculatur. Luc. 15. Hinc est quod Christianitatis vna tessera fuerit olim mutuum, præsertim in sacrorum celebratione, osculum & amplexus, qui mutuus in osculo semper interuenit. Cæterum in nouo Testamento sæpissimè hoc verbum Græcum pro simplici & sine osculis aut amplexu salutandi modo atque salutatione sumitur, vt cum ait Christus Math. 5. *Si salutaueritis fratres, &c.* Matth. 10. *Intrantes in domum salutate eam.* Luc. 10. *Neminem per viam salutaueritis.* Act 18. dicitur. *Paulus salutasse Ecclesiam.* In hac simplici significatione idem verbum Græcum & hic & alibi vsurpauit Apostolus, quoties vel suo, vel aliorum nomine aliquos salutauit, sicut & dilectus Christi discipulus epist. vlt. Quod ipsum pluribus locis confirmat idem Apostolus, cum fratres salutandos volens, eodem verbo Græco vtitur addito *osculi sancti* nomine. *Salutate fratres omnes in osculo sancto.* 1. Thess. 5. 1. Cor. 16. 2. Cor. 13. Rom. 16.

Mutuum osculum olim Christianitatis tessera.

Verbi ἀσπάσαι scriptura acceptio.

Quid hoc loco.

Suo igitur nomine *Priscam & Aquilam* cum *Onesiphori domo* salutandos cupit per Timotheum Apostolus, vt ardentissimam charitatem & plusquã maternũ paternumue suum in illos affectum manifestet; quod videlicet etiam morti vicinus eorum recordetur; Solet enim plerumque moribundus homo ad suum duntaxat dolorem attentus, & impendentis mortis timore correptus, nihil aliud curare, quàm suos dolores & cruciatus, ita vt non tan-

Cur suos salutet Apostolus.

Moribundi ad suos dolores tantum attenti.

tum externarum rerum, sed & familiæ & filiorum curam omnem abijciat. Non sic Paulus, tanquam futura paulò post victima in sacrificium iam delibatus: Tantum enim abest vt filij sui Timothei curam abijciat, vt etiam aliorum non oblitus multam salutem ijsdem imprecandam velit. *Pauli charitas.* Tanta enim erga suos fuit Pauli charitas, vt impendentem mortis corporisque dolorem omnem cruciatuumque sensum ea vinceret. In quo Christi erga hominum genus, præsertim Apostolos, imitatus fuisse videtur amorem, de quo Joan capite decimotertio scribens D. Joannes; *sciens Iesus*, inquit, *quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* *Sũmus Christi in suos amor & solicitudo.* Hinc non tam sui, quàm suorum solicitus, ferculo sui corporis illos reficit, & incredibili dolore affectus in cruce, pendens matris & discipuli curam gessit; crucem baiulans non solum super semetipso anima illius non lugebat, verum & pias illas fœminas, suam ipsius mortem lugere his verbis dehortatus est. Luc. 23. *Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete.*

Quonam verò salutationis genere salutandi sint hi nobilissimi Christiani, non exprimit Apostolus, memor fortassis illius formulæ, quam discipulis suis Christus præscripsit Matth. 10. cum ait: *Intrantes domum, salutate eam dicentes: Pax huic domui.* Quem salutandi modum vsurpasse *Antiquorum salutandi formula.* Christum, salutandoque *pacem* precatum fuisse, testatur noui Testamenti scriptura Joannis vigesimo. Sic à discipulis discessurus Joannis decimo quarto

quarto *Pacem*, inquit, *meam do vobis, pacem relinquo vobis:* Et hoc, vt se Christum esse hac salutandi formula, probans timorem ac terrorem discipulorum expelleret. In cuius rei declarationem annotat Card. Toletus, in capite 20. Joan. antiquum fuisse vsum ijs, qui adueniebant aliunde, maximè si aliqua inerat suspicio nocendi, salutare & dicere: *Pax vobis*; ad significandum aduentum esse pacificum, non ad aliquid mali inferendum. Jud. cap. 6. Gedeoni timenti mortem ex Angeli aspectu dictum est: *Pax tecum, ne timeas, non morieris* 1. Reg. 16. dixerunt Bethleemitæ Samueli inopinatè venienti: *Pacificumne est ingressus tuus*? id est, venis ad nos castigandos, quia non audiuimus salutationem pacis 4. Reg. 9. Joram dixit: *Pax est Iehu.* Eodem modo venientes, Christus & discipuli quos præueniebant, iucunda pacis salutatione pauida corda serenabant, dicendo; pax vobis, ac si dicerent; non vos pauore, non pœnas exigere, sed consolari, confortare, instruere venimus. Quo salutandi ritu sacris solenniter operantes Episcopi tanquam Apostolorum successores, chorum etiam hodie salutant, vt mortis & resurrectionis Christi fructum annuntient, pacem & reconciliationem hominum cum Deo, quam nascente Christo promiserant Angeli canentes, *pax hominibus bonæ voluntatis*; quam pacem in omnium suarum ferè epistolarum limine ijs, ad quos scribit, exoptat Apostolus.

Antiquus Pacis imprecandæ vsus.

Episcopi pacem precantur.

Hic autem Aquila, quem salutandum cupit Paulus, professione Judæus, genere Ponticus

Aquila, quis.

fuit longeq́; diuersus ab eo item Pontico ex Synope Aquila, qui post L X X. Interpretes vetus testamẽtum in Græcum vertens, sua interpretatione illud plurimum contaminauit, vixitq́; (vt ex aliorum sententia indicat Hieron. lib. 3. in cap. 8. Esai.) ante Christum, vel potius vt placet Epiphanio lib. de mens. post Christum sub Hadriano Imperatore, à quo etiam præfectus est restaurandæ Hierosolymorum vrbi. Hunc epist. 101. Judæum fuisse, & post Christum floruisse innuit Hieronym. vocatq́; *proselytum & contentiosum interpretem, qui non solum verba, sed etymologias quoque verborum transferre conatus est.* Ille verò Aquila, de quo hic Apostolus, in sanctorum numerum cum vxore relatus legitur in Martyrol. Rom. 8 Julij, meminitq́; illius, sicut & vxoris perhonotificè ad Rom. scribens cap. vlt. Apostolus, vbi eos *adiutores* suos *in Christo Iesu* nominat, qui *pro anima*, id est, *vita ipsius suas ceruices supposuerũt*, vt ijs propterea non solus ipse gratias agat; sed & cunctæ Ecclesiæ Gentium, eò quod beneficium & priuatum sibi, & commune gentibus esset, quandoquidem sua vita ab his seruata in communem Ecclesiarum vtilitatem redundaret. Apud hunc Aquilam sæpius hospitatum se testatur Apostolus 1. Corinth. cap. vlt. ad quem etiam Athenis Corinthum veniens accessisse, & apud eos manens sceno-factoriam, (id est, pellionis ad tabernacula exstruenda) artem, quam exercebat ipse, etiam exercuisse dicitur à D. Luca cap. 18. Quem tamen Corintho migrasse, Ephesiq́; postea habitasse, videtur hic Pauli locus facere testatum, cum videlicet Timotheo Ephesum scribens, eundem salutandum iniungit.

Diuersus ab interprete scripturarum.

Aquilæ & vxoris elogium.

Aquila Pauli hospes & scenofactoria artem.

Hunc

Hunc Aquilam Dorotheus in synopsi Heracleæ Episcopum facit, Græcorumq; Menologium 14. Iul. præclaro hoc elogio eundem insignit, vocans *sanctum Apostolum, vnumque de LXX. discipulis, sacerdotem & Pauli hospitem.* In hoc porrò Aquilæ nomine rationem mysticam Arator in cap. 18. Act. & Catharinus hic obseruantes, eius etiam nominis etymologiam inuestigant, quorum ille ex Latino regiæ volucris nomine; hic verò (& forsitan melius) ex Græco ἄκυλος deriuant, quod Latine glandem ex iligna, siue elignis fructum significat.

Aquilam Heraclea Episcopum facit Dorotheus.

Aquila nominis etymon.

Prisca siue *Priscilla* (vtroque enim nomine dicta reperitur) dicti Aquilæ vxor fuit, quam tamen viro suo hoc loco, & ad Rom. 16. pposuit, vel quod in fide esset illa viro feruentior, vel quod indifferenter ordinem seruauerit, quemadmodum annotauit Chrysostomus hic hom. 16. Quare fallitur procul dubio in Synopsi Dorotheus ille, dum hanc inter discipulos LXX. numerat, Episcopum Colophone, cuius & Paulus mentionem faciat.

Prisca Aquilæ Vxor.

Dorotheus reprehensus.

Vult præterea, præter hos coniuges, Onesiphori (de quo cap. 1.) *domum* salutandam; *domus* nomine totam familiam siue gentem eius intelligens. Hebræorum enim est consuetudo, *domum* pro tota familia & integra gente siue etiam progenie & posteritate accipere. Sic populus Hebræus dicitur domus Jacob Psalm. 113: *In exitu Israel de Aegypto, domus Iacob de populo barbaro:* Et Esai. cap. 7. *Audite domus Dauid*, significans posteros. Hoc modo dicuntur Rachel & Lia *ædificasse*

Domus nomen pro familia aut Gente acceptũ.

domum Israël; Ruth capite quarto, quia genuerunt ipsæ vna cum ancillis suis duodecim patriarchas, tribuum duodecim capita. Similiter etiam loquuntur Latini, vt Virgilius, *Assaraci domum* appellauit posteros eius Troianos, vnde oriundi erant Romani: Quin & Aristoteles in Oecon. nomine *domus* non modo homines eius habitatores, sed & possessiones eorum comprehendit. Vnde Xenophon in œcom. *Quid tandem*, inquit, *nobis videtur esse domus: Nunquid sola habitatio? annon etiam quæcumque quis extra domum acquisiuit & omnia nomine domus censenda erant? Nam etiamsi non sint in ciuitate, quæ Dominus habet, quæcumq; tamen possidet, ea vocantur domus eius.* Hæc ille.

42. *Erastus remansit Corinthi.*

Vt sciret per quæ loca Romam venire deberet Timotheus, quoddam quasi itinerarium eidē præscribere videtur Apostolus, cum *Erastum Corinthi remansisse*; *Trophimum* verò *Mileti relictum ægrotum* dicit: Ideò enim adiunctis etiam locis, in quibus manebant ij, nominari videntur, vt per ea loca transiens, eosdem visitaret Timotheus. *Erastus* autem ille, qui *Corinthi remansisse* dicitur eiusdem ciuitatis (alij Ephesinæ) *arcarius* dicitur, Rom. cap. 16. id est, vt Græcè habetur Oeconomus, seu quæstor ærarius, dispensator & administrator pecuniæ ciuitatis. Hunc Dorotheus, in Synopsi inter LXX. discipulos collocatum, primum Hierosolymitanæ Ecclesiæ Oeconomum, postea Parmeadis Episcopatum gessisse scribit: sed verius Romanum Martyrologiū 26. Iulij eundem *Philippensium Episcopum* ab ipso Paulo constitutum, ibidemq; martyrio coronatum tradit.

Erastus quis.

Erastus Philippensium Episcopus.

tradit. Eum autem Erastum specioso *arcarij* titulo decoratum voluit ad Rom. scribens cap. 16. quemadmodum ibi annotat Chrysostomus, tum vt ostenderet Euangelij prædicationem magnos etiam attigisse, quo sic videlicet tenera adhuc Ecclesia magis animaretur; tum etiam vt intelligeretur, nec diuitias, nec principatus & quiduis horum ei, qui attenderit, impedimento esse. Et hanc ob causam Philippenses cap. 4. salutat illorum nomine, *qui de Cæsaris domo erant*. Quo etiam spectare videntur, quæ de Sergio Paulo proconsule, Dionysio Areopagita, Sosthene, &c. in Actis Apostolicis passim dicta reperiuntur, qui dignitate, scientia, diuitijs & magnis titulis fuerunt illustres. Corinthus, vbi remansisse dicitur Erastus, notissima est nobilissimaq; Achaiæ ciuitas, quæ & Peleponesus olim, & nunc vulgò Morea, alias Ephire in Græcia dicitur: Quam *totius Græciæ lumen* appellauit Cicero, in ea oratione, quam pro lege Manilia habuit. Hanc à Romanis solo æquatam propter insolentiam aduersus legatos, loci comoditate & celebritate permotus Cæsar Augustus restaurauit, libertinis colonis eò missis; ita vt ibi Præses habitaret totius Achaiæ, qualis fuit Gallio de quo cap. 18. Act.

Cur Erastus arcarius à Paulo dictus.

Corinthi descriptio.

Corinthi restaurator Augustus.

43. *Trophimum autem reliqui infirmum Mileti.*

Hic Trophimus jam *Asiaticus*, jam *Ephesius* in Actis Apostolicis dictus, Pauli (sicut & Petri, teste Beda) discipulus fuit, propter quem in templum Hierosolymitanum introductum commota est tota Hierosolymitana ciuitas, factaq; concursio populi

Trophimus quis.

in Paulum Act. 25. Postquam enim Judæorum, qui de Asia erant, clamorem ob Gentiles in templum introductos, recensuit D. Lucas, causam rei subiungens: *Viderant*, inquit, *Trophimum Ephesium in ciuitate cum ipso* (Paulo) *quem æstimauerunt quoniam in templum introduxisset Paulus.* Fuit enim Christianis qui Judæi non fuissent prohibitus ingressus templi secundi, eodemq; loco habiti hac in parte, quo Gentiles. Oderant siquidem Judæi Gentiles & Christianos, ita vt si eis licuisset, Christianos ex ipsis factos redegissent in ordinem Gentilium, quemadmodũ notauit Lorinus, cum pleriq; ex Judæis ad Christum conuersi acriter contenderint, ne Gentiles Christiano ritu initiarentur, nisi simul Judaismum profiterentur. Violatam itaq; legem à Paulo existimantes Judæi, quod in templum hominem Asiaticum Gentilem introduxisse videretur, commota est tota ciuitas & facta concursio populi. Vnde apprehendẽtes Paulum traxerunt extra templum cum eiusdem vitæ maximo periculo, &c. Ex quibus patet hunc Trophimũ notæ dignitatis virũ fuisse, cuius causa tantã sustinuisse Paulum persecutionẽ narrant Acta Apostolica. Hunc Dorothe⁹ in Synopsi tradit, cũ Aristarcho & Puda, (alias Pudente, de quo paulò inferius) in q buslibet pſecutionibus afflictionũ Pauli consortẽ fuisse, & postremo per martyriũ vna cũ ipso sub Nerone, capite truncato occubuisse; q ipsum etiã Græcorũ menologiũ confirmat, Arelatensi Ecclesiæ præfuisse, tradit Martyrologium Rom. 29. Decemb. de quo præclarum hoc extat eiusdem Martyrologij elogiũ; *Aurelate, natalis S. Trophimi, cuius meminit S. Paulus ad Timotheum scribens: qui ab eodẽ Apostolo Episcopus*

Christianis Iudæorum templum 2. prohibitum.

Propter Trophimum commota tota Hierusalem, & cur.

Dorothei Trophimo sententia.

Martyrologiũ Rom. de Trophimo.

ordinatus, præfatæ vrbi primus ad Euangelium prædicandum directus est: ex cuius prædicationis fonte, vt S. Zosimus Papa scribit, tota Gallia fidei riuulos accepit. Relictus est autem Trophimus Mileti ægrotus, non in illa nauigatione quam cap. 20. describit D. Lucas, in qua cũ cæteris & ille interfuisse dicitur, neque cum primo renauigauit iam vinctus, quoniam non legitur appulisse Miletum, sed post primam liberationem, cũ Asiam & cæteras ciuitates reuisens, secũdo Romam venit. In hoc enim itinere, discipuli valetudinem periclitari animaduertens Apostolus, ex recto itinere, quod ille peragrabat, Miletum videtur eundem à discipulis curandum amandasse. Est autem Miletus, non in Europa, sed Asiæ Ioniæ & Cariæ vrbs celeberrima, plusquam octoginta ex se quodammodo gignens oppida per cuncta maria, quemadmodum testatur Plinius, lib. 5. cap. 29. diuersa tamen à Melite siue Melita illa vrbe siue insula, inter Siciliam & Africam sita, de qua cap. vlt. Act. D. Lucas. Huius Mileti incolas vt generosa vellera lanæque politissimæ nobilitarunt, ita deliciæ luxusque infames reddiderunt, quandoquidem qui prius potentes & opulenti fuerant, suis deliciis & opes & potentiam amiserint.

Trophimus quando ægrotus à Paulo Mileti relictus.

Mileti descriptio.

Cur autem Trophimum charissimum suum discipulum infirmum Mileti reliquerit Apostolus, cum & Publij parentem, disenteria laborantem, & omnium, qui in insula Mileta habitabãt, infirmitates curauerit, duplex præter alias reddi potest ratio. Vna ex parte ipsius Pauli, eo quod sanitatum conferendarum gratia non detur per modum qualitatis permanentis, sicut nec donum miraculorum aut prophetiæ, &c. Habitibus enim vtuntur vt volunt qui I.

Cur Paulus Trophimum miraculose non sanauerit duplex ratio.

qui iis præditi sunt, nõ autem semper propheta prophetat, nec sanitatem confert quando vult; sed quãdo Deus præsto est gratiæ suæ auxilio ad operanda
20 eiusmodi opera. Altera ex parte ipsius Trophimi, eo quod *exteriora miracula fieri soleant, vt mentes ad interiora perducantur, quatenus per hoc quod mirum visibiliter ostenditur, ea quæ admirabiliora sunt inuisibilia credantur*; inquit Gregorius, lib. 24. Moral. cap. 11. Hac enim ratione Trophimus sanitatem per miraculum recuperare non debuit, vt qui iam totus intus viueret. Plura super re simili in 1. epist. cap. 5. text. 26. vbi quæsiuimus, cur suum Timotheum à stomachi debilitate & variis infirmitatibus per miraculum non curauerit Apostolus.

34. Festina ante hyemem venire. Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes.

Vrget iterum Timothei profectionem Apostolus, cupiens vel propter sibi imminentem mortem, vel propter consolationem sibi amicorum solatio destituto, in Timothei aduentu, futuram, vel denique propter itinerum incommoda marisque non tutam hyemali tempore nauigationem, ipsum in autumno adhuc adesse. Quod vt facilius impetret, nobiliorum quorundam Christianorum, imo & omnium fratrũ Romæ degẽtium in illum amorem & desiderium subiuncta eorum salutatione, declarat. Pudens enim vir fuit clarissimus, ordinis Senatorij, ciuis Romanus, pater Praxedis atque Pudentianæ virginum. Huius Pudentis domum Romæ fuisse

Pudens, quis.

primum S. Petri Apostolorum principis hospitium, maiorum firma traditione præscriptum esse, docet Baronius, addens illic primùm Christianos conuenisse ad synaxim, posteaque in Ecclesiam Pastoris titulo mutuatam, quę hodie vulgo Ecclesia S. Pontentianæ nuncupetur. Ad Linum quod attinet, eum natione Tuscum, patria Volaterranum, mox in D. Petri demortui locum subrogatum fuisse, communis Patrum & Historicorum est traditio, quemadmodũ fusè contra nonnullos Clementem substituentes, ostendit Card. Baronius, tom. I. Annal. Anno Christi 69. His ideo adiunctã mulierem *Claudiam* vult Chrysostomus, tum quod cæteris clarior & nobilior esset, tum etiam vt ostenderet nulli ad virtutem positum obstaculum, cum vel ipsæ sexus aliàs fragilioris fœminæ eo peruenire possint. *Fratrum* nomine, omnes tunc Romæ degentes Christianos intelligit, cuius appellationis varias rationes retulimus in I. epist. cap. 4. text. I I.

Pudentis domus in Ecclesiam conuersa.

Linus Petri successor.

Cur hic Claudia adiũgatur.

Fratres olim Christiani dicti.

45. *Dominus noster Iesus Christus sit cum Spiritu tuo.*

Posteaquam salutes illorum misit Apostolus, qui secum Romæ commorabantur, quasi vltimum vale Timotheo dicturus, bonum eidem maximum salutis loco ipsemet precatur. Precatur autem ipsius spiritui præsentem iugiter adesse *Dominum Iesum Christum*, quo ab alicuius mente àbsente, conuenienter dicere possumus, quod Ecclesiastæ cap. 3. scriptum est: *Væ soli, quoniam si ceciderit nõ habebit subleuantem se*; cum is, cui præsens adest Dominus è diuerso dicere cum Regio vate Psalm. 22. possit: *Si ambulauero in medio*

dio vmbræ mortis, non timebo mala quoniam tu mecum es.

Cur spiritui nõ corpori Dominum exoptet. Timothei porro non corpori (in quo tanquam in templo Dominus habitare solet 1. Cor. 6.) sed spiritui familiarem Domini Iesu Christi associationem exoptat Apostolus, quia cum *Deus spiritus sit* Ioan. 4. tum ipsi iucundior est societas & coniũctio cum eo, quod à terrenis principiorum generibus est remotius. Vnde quidam: *Bene,* inquit, *Dominus cum Spiritu hominis esse optatur; quia in spiritu & mente rationali creatus est homo ad imaginem & similitudinem Dei; & ibi est capax diuinæ gratiæ & illuminationis. Spiritus* autem in *Quid Spiritus in homine dicatur.* nobis, ait D. Thomas in cap. 4. ad Hebr. dicitur illud, per quod cum substantiis spiritualibus, *anima* verò illud, per quod cum brutis communicamus. Quare spiritus nomine, mentem humanam, intellectum videlicet & voluntatem intelligit Apostolus. Quo modo B. Augustinus, lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 7. *Dicitur,* inquit, *spiritus ipsa mens rationalis, vbi est quiddam tanquam oculus animæ, ad quem pertinet imago & agnitio Dei.* Quod discrimen ipsemet Paulus 1. Thess. cap. 5. his verbis videtur indicasse; *Vt integer spiritus vester, & anima, & corpus conseruetur.* Hunc enim locum sic apud Theophylactũ interpretatur Gregorius Nyssenus; *Spiritum dicens Apostolus, rationalem partem indicauit, animam vero dicens, indicauit partem sensitiuam.* Cũ *Huius loci precatio quid importet.* itaque Timothei spiritui præsentem *Dominum* exoptat, eiusdem timorem commendatum cupit: Et cum eidem adesse *Iesum* siue Saluatorem desiderat, ardentissimum in eum amorem prouocat; cum denique *Christum,* id est, vnctum, eidem coniunctum esse precatur, cultum, gloriam & honorem perenniter eidem vult exhiberi. Q. d. *Cum Spiritu tuo sit Dominus,*

mus per timorem, *Iesus* per amorem, *Christus* per honorem. Hunc salutandi morem videtur ab Hebræis Apostolus mutuasse. Hoc enim ferè modo Gedeoni Iudic. 6. dicitur salutando dixisse angelus: *Dominus tecum virorum fortissime*. Et Ruth. 2. Booz messores sic salutare iubet; *Dominus vobiscum*, scilicet, sit. Et Paralipp. propheta à Deo missus, inuenitur sic salutasse Aza regem Iuda cũ exercitu suo, victores de prelio reuertentes. Quo pacto Luc. 2. B. Virgini denuntiat Angelus Dominum sibi adesse, nempe tanquam fautorem, amatorem & defensorem. A quibus, Ecclesiæ Catholicæ in diuinis officiis vsus dimanauit, cum Sacerdotibus & Episcopis Clerũ & populum salutantibus respondetur: *Et (Dominus* sit scilicet) *cum spiritu tuo*.

Salutandi formula (Dominus tecum) vnde desumpta.

46. *Gratia vobiscum Amen.*

Ne communis illa salutatio, quam propria manu vt signum siue sigillum in omni sua epistola scribere se dicit, 2. Thessal. 3. hic deesset; priorem salutandi formulam diuersis quidem, consuetis tamen vocibus repetit Apostolus, cum ait: *Gratia vobiscum*. In quam rem annotat Card. Toletus, in fine cap. vlt. epist. ad Rom. sibi Paulum multipliciter valedicendo videri similem patri charissimo & amantissimo, qui à filiis discedens, post vltimum vale, iterum atque iterum ad colloquium reuertitur, amoris affectu tractus & detentus, quemadmodum & hoc loco patet. Postquam enim Dominum Iesum Christum adesse Timotheo exoptauit, eidem etiam cum suis commilitonibus Christianis *gratiam* precatur; cuius dono deletis peccatis, non solum cum homine re-

Paulus, charissimo patri similis.

Quid sit gratia.

conciliatur Deus, sed & ipsius spiritum inhabitat, regit, corroborat, & ita potentem reddit, vt nec Diaboli, nec carnis, nec mundi machinamenta quicquã afferre eidem nocumenti possint. De hac 2. Cor. 11. in lucta posito Apostolo responsum cælitus à Domino dicitur. *Sufficit tibi Paule, gratia mea*, qua scilicet apud hominem se diligentem & sua mandata obseruantem, cum patre Ioan. 14. Dominus Iesus *venire, & apud eum mansionem* per dona Spiritus sancti *facere* dicitur, tum vt hoc aduentu & inhabitatione, homines redemptionis per Christum factæ participes efficiantur; tum vt in filiorum Dei consortium vt admittantur. Qui namq; Christũ prædicatum recipit, & eius sermonem doctrinamque mente & affectu amplectitur, eum & pater diligit, & in numerum filiorum adoptat, & eidem simul omnia diuina gratię & Spiritus sancti dona impertitur, quibus hominis spiritui inhærẽtibus in eo Deus & operatur, & multa salutaria effecta producit. Eum enim mouet, conseruat, & vna cum eius arbitrio operatur. Vt autem quod Timotheo eiusque in fide & charitate conciuibus eueniat quod optauit, vocula *Amen* exprimit; quæ alibi, vt Genes. 18. & in Euangeliis sæpissimè licet affirmantis sit, hoc tamen & aliis locis vt Psalm. 40. 71. optantis est, qua Paulus omnes suas epistolas, quasi aureo quodam puncto concludit. In qua significatione, & paulò ante, & 1. epist. cap. 1. ab Apostolo vsurpari diximus. *Regi sæculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria, in sæcula sæculorum, Amen.*

Gratia efficacia.

Amen, quid.

FINIS.

INDEX

INDEX PRÆCIPVORVM SS. SCRIPTVRÆ LOCORVM, QVÆ IN HOC COMMENTARIO FVSIVS EXPLICANTVR ET ELVcidantur.

Ex veteri Testamento.

Ex nouo Testamento.

vlt.

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM, QVÆ IN HOC COMMENTARIO CONTINENTVR ET EXPLICANTVR.

A.

B

non,

 Diuitiæ

impiis

Reso-

FINIS.

LAVS DEO.

ERRATA.

IN carm. vers. antepenult. pro *quam*, lege squamæ. pag. 8. vers. 21. quingentis. ibid. 22. simul. 83. 18. causam. 86. 11. attendendum. 131. 24. prauisque. 159. 8. Iuuenilia. 185. vlt. Posuisti. 186. 5. amplius. 187. penult. pugnæ. 198. 24. Cerinthum. 199. 16. Apostolus. 217. 2. versata. 281. 29. propter. 288. 28. hic. 293. 21. vasa. 296. 5. vulgus. ibid. 7. vtcumque 299. antepenult. Ligna. 300. 9. efformati. 301. 13. aqua. 327. 27. seruum. 332. 23. deuitari. 345. 17. suo. 377. 30. animales. 391. 10. graue. 396. 20. *adde*, non. ibid. 24. addiscere. 557. 29. qui. 540. 23. direxi. 568. 10. vorare. 601. 23. Dicentibus. 604. penult. confessio. 605. vlt. immisericors. 641. 8. Asia. 642. 12. dele, vt.

Cætera, prudentis Lectoris iudicio corrigenda relinquuntur.

Digitized by Google